UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Anglia

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1671

urn:nbn:de:hbz:466:1-10773

Visual Library

N. IIII. 15.
Th. 4862²

EVROPEÆ HISTORIÆ SOCIETATIS IESV PARS PRIOR. ANGLIA.

EX EDITO ROMÆ ITALICO
R.P. DANIELIS BARTOLI *è Societate IESV,*
Latinâ: Interprete R. P. LVDOVICO
IANINO *ex eadem Societate.*

Collegij Paderbornensis Soctis IESV ex donatione
P P Missionariorū
Diœcesis Anno 1676.



LVGDVNI,
Sumptibus ADAMI DEMEN, in vico Mercatorio,
sub signo Fortunæ.

M. DC. LXXI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PATRES NOSTRI

Traditi sunt in Concilia: Dixerunt causas apud inimicos, quos diligebant, præstiterunt eis,& quantam potuerunt correptionem, & quantam valuerunt dilectionem, & sparsus est sanguis iustus.

S. Augustinus in Psalm. 39.

PRÆMONENDO LECTORI.

QVOD narrandis nostrorum in Europa gestis præmitti placuerit quæ in Anglia gesserunt, fecit prærogatiua meriti quam tenet apud omnes, fusus prodigè cruor, quolibet glorioſior ſudore. Vix ſacris emerſam fontibus Angliam aſſeruerat ſibi Chriſtus in filiam; cum multa ſtatim martyrum filiorum millia peperit. Inde à funeſta deſertione Henrici octaui plus ſola huc vſque profudit ſanguinis, quam reliquæ ſimul per Europam omnem Prouinciæ ſudoris. Et viſum Deo in partem non minimam tam clari agonis Societatem IESV adlegere, eiuſque cum eo non auarè ſanguinem miſcere.

Certè quantum terrarum obiuit Societas obiuit autem) quæ Dei gratia) quicquid extra *Terram Incognitam* iacet, infeſtiorem ſibi Angliæ regno nullam ſenſit, cuius nempe vel vnus aditus ſibi foret præiudicata ſententia capitalis, & violatæ reus maieſtatis. Ac ſi qua noſtros diſſimulato Sacerdote, ſimulatio perſonæ alterius in regnum induxiſſet, tanta mox in illos exploratorum colluuies, & delatorum graſſabatur, vt oris ignoti vna eos

latebra seruaret; cogebantur tamen ad seruandos hominum animos, non magis latere, quàm si forent ab exploratoribus securi. Ex quo illis semper vtrinque mors, vel aperta in oculis ad inuadendum; vel à tergo sequax ad deprehendendum. Qui etsi est apex Apostolici spiritus, & purgatissimæ charitatis, fuit tamen nostrorum non vnius aut decem, & viginti, sed magno numero Anglorum decus eximium; fuit & hospitum pari periculo eosdem excipientium idem animi robur, vt ambiguum sit vtri palmam ferrent virtutis heroïcæ & mutuæ inter se charitatis, vtrique omnino nulla inuicem inferiores laude.

Hinc gentis egregiæ, nobilium maximè si satis cordata iudicia perspexi, probaturos non dubito, tot innocentiam Sacerdotum quos feralia edicta sustulerunt, à me vbi res tulerit defendi, & narratione veri sincera, & simplici ab scelere proditionum iuratarum, & rebellionis vindicari. Nam quem sinat honoris & famæ ratio patria gaudere, parricidarum, & perduellium feraci, malléque ipsam atroci calumnia maiestatis ream, quàm indubitatis auctoritatibus, & probationibus insontem? Prorsus enim vel vnus monstrorum eiusmodi vno æuo partus, maiorem inurat patriæ suæ infamiam, quàm possit integro sæculo deleri. Tantorum igitur depulsio scelerum à nostris, & aliis, quos iuris species adumbrata, crudeli supplicio addixit non potest non esse, tùm patriæ illorum perhonorifica, tùm sanctimoniæ, & innocentiæ debita.

Nec vero me ad hoc necesse fuerit ingenium, aut artem quærere, dumtaxat suo, & loco, & æquilibrio examen restituam trutinæ, cui impositæ fuerant causæ illorum

rum Sacerdotum. Hac vna examinis improbi castigatione, fidelem trutina de iis edet sententiam, eamque vltronea omnium probabit consensio. Fuit illa tunc temporum, & Ministrorum culpa temporibus inseruientium vt lancem iuris, suo centro eiectum examen suspenderet iniquissimis momentis; & quicquid longæ Regum manus in eam iniicerent vmbra licet, ac somnio leuius, omne veri pondus rectique superaret, & arbitrariis de perduellio suspicionibus, omnem innocentiam damnaret. Horum testes, ne fingi putentur in promptu habeo illius æui historicos, natione Anglos; secta Protestantes; rerum ipsarum intentos spectaculo, qui origines earum velut autographas, posteris transcripserunt. Infensa magnis Catholici orbis Principibus Anglia dum Regno potitur Elizabeth, hoc est annos quatuor supra quadraginta, tam acutis orthodoxos Anglos figebat oculis, vt eorum se certò introspicere animos crederet, statuens apud se pro indubitato non minus esse à fidelitate in patriam auersos, quam à nouis patriæ religionibus; arctiusque illos Catholicum nomen externis hostibus iungere, quàm naturæ instinctũ, propriis ciuibus. Hinc illa eorum atrox oppressio, tanquam proditorum; hinc à direè oppressis, & exagitatis, nullo mulcendus præsidio metus, velut salute desperata, omnia ausuris; hinc malorum summa gradatim crescentium, quæ sibi conscisit imaginosa politica, dum pro veris iurat, & extra dubium positis, quæ verè, certoque somniat. Enimuero quæ maior vbivis gentium, quàm Catholicorum in Anglia, erga Principem fides, amor, obsequij sanctitas, & æquitatis religio, in Deum, & Cæsarem? Vbi vero parem inuenias illorum amori constantiam, etiam post carnificinas, & cruciamenta nus-

quam alibi sæuius,& operosius quam in Catholicos vsurpata? Nam si paucos fortassis, & semel, tentata diu patientia in furorem egit,quod sumus libro sexto narraturi; cæteros omnes Rex sereniſſimus Iacobus pronuntiauit innocentes, & rebellione paucorum illorum supplicio expiata,edixit reliquos ne suspicionis quidem nebula fuscatos. Et hæc in regno agentes Catholicos,scriptorum, iudicum, Regisque ipsius censura purgauit; eorum probitatem quos Seminaria, & Collegia nostrorum in subsidium patriæ remittebant, illa quam dixi tribunalium arbitra suspicacitas Ministrorum pressit acerbius. Vt enim ambigebat nemo quin ad auitam in regno fouendam, augendámque religionem in illud redirent,eadem opera censebantur patriæ proditores, & Principi hostes conscribere,ministerium Christi adhibere ad molitiones clandestinas,& religionis officia in machinamẽta vertere perduellionum.Quare ille in regnum Sacerdotum ingressus pro scelere; Sacerdotium pro lite conclamata; pro confessione proditionis, personæ conspectus habebatur. Vna supererat tam enormibus falsis illinenda species ficti iuris,quo actoribus capitalium,& cognitoribus, arte vsuque nihil erat pronius. Hæc autem quam *culpam temporum* vocare libuit, cum suspecta omnia Principibus faceret,& metus armorum externorum turbulentissima regnum vexaret tempestate, excutiebat publici administris illud animi tranquillum, extra quod verum à falso non cernitur. Iam si Poëta existimatus est, prudenter Vlyssi attribuisse solœcissimos nauim inter procellas anxiè regenti, quos in tranquillo nauiganti, non attribuisset,gnarus animum perturbatum, planè esse alterum à seipso; quanto magis in agendis rebus quæ suos etiam

habent

habent solœcismos, quibus vt fiebat ab Vlysse, dum indicatur manu terra, plærumque cœlum nominatur. Huc si religionis Catholicæ accedant odia, tanto illic magis cauendæ, & inuisæ, quanto contrariæ; palam est in causis nostrorum Sacerdotum quid ex iis fuerit expectandū qui simul earum sedebant Iudices, & accusatores. In his perplexissimi argumenti, difficultatibus euadendis, obliuione vtar quam sinet historia, gradus interdum, & gestorum; personarum quandoque, ac nominum, nisi hoc perspectum habuero, aliquos sibi gloriæ vertere, quod contra Catholicam sunt ausi. Cœterum libenter exemplo Cæsaris insistam, qui post captas Athenas in mortuorum gratiam pepercit viuis, ego in superstitum gratiam mortuis. Cùm præsertim linguis tùm vernacula tùm externis in luce omnium scriptores posuerint, quæ mihi hoc loco historia pro suo iure scribenda imperaret. Mihi tamen eiusdem moderationis facultatem abstulit ratio, cum vulgaris farinæ obtrectatoribus, quorum adhuc in libris viuit ac spirat famosa rabies, in laceranda religione sacrosancta, fidelitate Sacerdotum, & Catholicorum morsu perpetuo traducenda; manifestis rebus tam proteruo, & arroganti mendacio deprauandis, vt compellantur discere etiam ab inuitis, caput imperare non pedes; hoc est de ingeniorum pugna, victoriam ratiocinando, non calcando referri. Discant similiter defensiones pati legitimas, & earum obiectu accusandi furorem non augere, velut ex eorum tanquam vrsorum vnguibus effugium nullum sit, præter mortis simulationem, & ore humi presso fictam halitus præfocationem.

Meditanti demum, priorem, & alterum Angliæ à recta fide lapsū perstringere, nihil opus fuit ea retexere quæ ab

hac hiſtoria veruſtas excludebat; nam ad nouitatẽ & res nouas, aliaque abſurda quæ aduerſarij Catholicis exprobrant nihil aut validius, aut opportunius cenſui, quam ſi Lutheri, & Caluini ad inuadendã Angliam aditus in proſpectum darem, arteſque illorum, ac modos, ad ſuas illic nouitates intrudendas, pulſa Romanæ fidei vetuſtate, & ſanctimonia; fines præterea priuati vtilis, & inſtitura, legeſque Parlamenti, ad nouas religiones deformatione veteris fingendas, quæ alioqui haud abſque tædio ſeorſim ſingula abruptis ſpatiis oportuiſſet memorari. Poſtremo ad præcipiendas animo cauſas, & exitus, explicandi ad pugnam exercitus, qualem ferè hanc fore hiſtoriam video, mirum quantum refert, dimenſum præ oculis habere pugnæ campum, ex quo magnam partem conſilia, & præliorum naſcuntur euentus.

Facultas R. P. Prouincialis.

PAULUS SUFFREN, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta facultatem eidem Societati à Chriſtianiſſ. Regibus conceſſam, HENRICO III. 20. Martij. 1583. HENRICO IV. 20. Nou. 1608. LVD. XIII. 14. Feb. 1611. LVD. XIV. 23. Decemb. 1650. Permittit ADAMO DEMEN, Bibliopolæ Lugdunenſi typis mandare, ac diuendere Librum cui titulus eſt, *Europeæ Hiſtoriæ Societatis* IESV, *pars prior Angliæ, ſex Libris comprehenſa, &c.* Ex Italico R. P. DANIELIS BARTOLI eiuſdem Societatis, latinè redditum à Reuerendo P. LVDOVICO IANINO ex eadem Soc. in decem annos proximos. Datum Lugduni die prima Nouemb. an. 1670.

PAULUS SUFFREN.

EVROPEÆ

EVROPEÆ HISTORIÆ SOCIETATIS IESV PARS PRIOR. ANGLIA.

LIBER PRIMVS.

De vxoribus & liberis Henrici Octaui, eius dotes, & vitia; Ecclesiæ Anglicanæ ad eius tempora sanctitas; inde ab eo deformitas, prorsusque in aliam funesta mutatio.

CAPVT PRIMVM.

SEX annis duodecim vxores habuit Henricus VIII Angliæ Rex. Aliquas simul, alias sigillatim. Liberorum trium parentem fecerunt priores tres, feminarum duarum, & masculi; fuitque singulis aut vnus matribus, aut vitalis partus. Transiuit per singulos Regni summa, sed Henrici stirpem velut triplici morte tribus in liberis damnatam, nulla ex iis excepit proles, factúmque quod tanta multitudine vxorum perperam cauerat, vt Regnum Angliæ in Scotiam caderet. Licet autem eandem insulam ab Austro Anglia, à Septentrione Scotia diuidat, verum vt magnetis vnius partes duas,

contrarius in polos oppositos aspectus, intestinis inter se committit inimicitiis, sic illos Britanniæ tractus duos, ipsa tunc indoles voluntatum haud minus inuicem à se abiungere videbatur quam oppositus cœli cardo.

Igitur Henricus ex Catharina Ferdinandi Regis Catholici, & Isabellæ filia, soláque vxorum Catholica Mariam tulit, quæ ad Greenuuici sinum, Februarij decimo octauo in hanc lucem venit, anno decimo quinto post sesquimillesimum. Elizabetham illi peperit Anna Bolenia, quam trigesimo tertio post anno, ineunte Septembri duxerat, viuente adhuc Catharina, habitáque Elizabetha eius proles; quod per me quidem sit, quanquam magno numero auctores, liquere negent quo patre sit orta, multitudine confusi amatorum, quibuscum Bolenia egerat, dùm ad tribunal Duodecimvirum (inter quos eius parens) incestus damnata est cum Georgio Bolenio fratre; adulterij cum tribus nobilibus, ac vili musico, caputque carnifici in foro reliquit Londinensi; coronam Ioannæ Semeiræ honorariæ suæ, cui iam Henricum amores aliqui fecerant nimis beneuolum Postridie itaque qui fuit Maij vicesimus anni 1536. manibus recenti Boleniæ sanguine cruentis Ioannam sibi vxorem coronauit, susceptque ex illa proximi Octobris decimo Eduardum eius nominis sextum, matre in partu vel mortua, vel ad fœtum seruandum Chirurgorum manibus necata. Henrico tres aliæ cùm nihil dederint præter irata fastidia, satis sit eas nominasse. Annam Cliuiensem Germanam, cui pro singulari clementia, necem repudio mutauit, hoc solo reæ, quod illi nauseæ veniisset; Catharinam Hauuardam, quam & accusauit ipsemet fœdati thori, & inter duos adulteros mediam, ibidem iussit capite truncari vbi Bolenia caput posuerat; Catharinam Parram velut hæreticam, cum rogo aut ferro destinasset morte inopina sublatus est; vxores si viueret numeraturus per consules, & muliebrosa fastidia vel mutatione vitaturus, vel earum nece infamiam; commodata illis corona Regia pro arbitrio repetenda, & cum fœnore capitis, aut opprobrij reddenda.

Et hactenus quidem vitæ Henrici pars vltima, quam qui volet in corpus historiæ cum præcedenti connectere, nihil putem ab eo facturum dissimile quod facit quibusdam in montibus natura, quorum medios ascensus, & infimos, amœnitate omni vestit, & frugum copia; superiores syluarum abruptis, horrore voraginum, & præcipitiis, prout tendunt ad summa propius asperat, & inuoluit, in ea tandem euasuros Vulcani spiracula, quæ sunt ignibus inferorum, aut vaporariis cognata. Henrico iuuene, nihil formosius, amabilius, gratius; nulla æque ad omnem armorum gloriam, ad humanitatem, popularitatem, & res magnas apta pronáque indoles. Suspiciebatur æui sui phœnix, ingenio prudens, vsu cordatior; virtutis & literarum amans quocumque sub panno latuissent, plura demum solus complexus decora, quam multi simul atauorum Regum, idque in Anglia plures solita numerare, qui nomen regium suis virtutibus ornassent; quàm quibus foret ornamento; eminebat tamen tot inter animi,

&c

& corporis dotes Henrici religio, & Catholicæ fidei tam ardens, & casta defensio vt ferro domi; foris stylo eam propugnarit, scripto in errores Lutheri libro, quem in sacro confessu purpuratorum Patrum Leoni Decimo obtulit, indéque Defensor Ecclesiæ publicè dictus est; cuius gloriam cognomenti auxit effrons Lutheri responsio, qui ratus fore se conuitiandis Principibus, quam inimicandis sibi, clariorem, spreto iam Christi Vicario, pro facili habuit, indignis suis, & probrosis modis Regem Angliæ proculcare: sed hunc medium vitæ cursum, quam duxit Henricus annis prioribus, absolutissima corporis, & animi pulchritudine florentem, elisit Bolenia: eius amoribus, ad vsque iudicij, cordisque deliquia fascinatus, difficile dictu est animi vitiis turpior, an adipe corporis, & obesitate euaserit. Longum sit ire per singula; breuiter eius præterita decora, cum probris composita quibus quod vitæ supererat ad vsque obitum fœdauit, adeo euanescunt, vix vt eorum scintilla appareat. Velut autem censeret maximè Regium, in pestilentiam communem, proprium malum transcribere, quod de se fecerat, de infelicissimo Regno fecit. Nam quis sanctam illam, & veterem Angliam sine lachrimis possit, cum hodierna componere? quin & illam tantùm qualem ipse accepit, cum ea quam reliquit? de illa certè auctoritatis eminentissimæ, ac iudicij vir, *Palam est*, inquit, *Religionem Catholicam nusquam tota Europa latius, quàm in Anglia floruisse cùm ab ea desciuit Henricus VIII.* & in eandem secum defectionem egit; sed eam vt par est animo repeto à primo Christianitatis suæ ortu, ad Henricum, sanctimoniæ gloria, & meritorum opibus diuitem Angliam, sub imperio tot Regum, tanta sæculorum longinquitate partis; reuocemus in illam, & circumferamus obiter oculos tam beatam, vt *Dei Paradisus* à limatissimo Ecclesiarum antiquarum æstimatore dici meruerit, profectò incerti hærebimus, æternitatis fatus in eam largiùs impluerit Deus, an ipsa Deo fideliùs vberiúsve reddiderit, tàm copiosa sanctorum operum, & animorum supra debitum messe, vt Germaniæ tunc deserta Batauiam, Daniam, Suecos, & Septentrioni propiora fœcundarit, missis eò Apstolis suis, immortalitatis præconibus, & conuersione illarum gentium suam, & Ecclesiæ gloriam cumularit, vel ad vnos solum si regrediamur priscos reges qui scissæ in varias ditiones Angliæ imperarunt, tàm prodigiosum ducentis sæculis illic fuit vnum ex iis *aliquem reperiri* non sanctum, quam in multis nunc regnis, vnum cernere verè sanctum: quæ laus etiamnum attonitos tenet, admirantésque Lutheranos, portento licet damnabiliori arborem ij cædant, cuius optimos fructus deprædicant; hoc est fidem Romanam dilacerent, ex qua illi quam stupent, antiqui Reges duxerant sanctitatem. Ac ne frustra illorum testimonia congeram; vnus modo loquatur Spelmannus. Quem ait, stupore non percellat, ille veterum Regum in diuinis ardor? Munificentia in egenos, misericordia multiplex in calamitosos, in Dei ministros largitas, sacrarum ædium numero, ornatu, dotatione profusio? duobus tantummodo sæculis *ad triginta censentur* qua Reges, qua Reginæ, qui abiecto regni &

iure & pompa, in solitudines violenti euasere; Reges quindecim, Monachos professi; Reginæ vndecim moniales; ad hæc duodecim illustri martyrio, quàm diademate Regio glorioſius coronati; decem alij, virtutum insignium singulari iure, sanctorum album promeriti; subditque Spelmannus, haudquaquam se huic numero accensos velle principes viros ac feruinas qui paterni hæredes exempli, quam regnorum esse maluerunt, imitatique generosam fugam, ex aula in monasterium; ex throno in crucem sese receperunt. Vidit illos & Roma non paruò numero apud se peregrinos, vt regni Diadema Apostoli pedibus; successoribus eius caput subiicerent. Nec vero inter prima quæ dico sæcula, illa se tenuit Anglorum illustrium in omni genere sanctitas; annales regni si quis adierit, incidet passim in sanctum aliquem, qui suis laudibus æuum suum; exempli sui luce posteros decorauit; martyres immenso numero; præsules vita sanctissimos; auctores sacrorum ordinum, Anachoretas, pœnitentes, Monachos, Eremitas, omni laude virtutum absolutos; vt veris, certísque nihil addat, qui dixerit vix esse in Anglia oppidulum alicuius notæ, quin thesauro fruatur tutelaris sancti, aut illinc oriundi, aut ibidem sepulti, tametsi non paucos obliuio temporum sua obruerit vetustate. Reuerentiæ demùm cui nulla similis & obseruantiæ erga sanctam sedem, habet Anglia cautiones, ob denarium S. Petri octingentis ab annis persolutum; cum Regis Inæ eximia pietas, regni totius familias, fecit Christo, & Petro vectigales, hac planè ad pedes Apostoli abiectione sui, & suorum maior, & nominatior quàm imperiis quibusuis & operibus. Hoc regnum tantis nobile gloriis, quantas suis in fastis ægrè alibi notarit Ecclesia, Henrici Octaui duplex furor Brachio armatus Regio euertit; amor Boleniæ insanus, & Romani Pontificis odium pertinax, quòd sibi per eum esse adulterum non liceret, & illas de magna nongentorum & amplius annorum Ecclesia veteri Anglicana, quæ nunc etiam viuunt reliquias nobiles, non aliis cernimus, & lamentamur oculis quam illustres ruinas ingentis & mirabilis fabricæ; quæ quidem non est ab ipso diruta, sed eo impulsa, vt nouennis puer quem regni habuit successorem, plus satis fuerit ad eam euertendam, suis nempe iam moram fundamentis, & Romanæ sedis reuulsam saxo immobili, cuius locum inuasit Henricus; dùm se Anglicæ caput inaugurauit Ecclesiæ, iurisque in ea diuini pariter vt humani summum fecit arbitrum, & dispensatorem. Sic dùm Poëtas ridemus veteres, qui toto à nobis diuisos orbe vocarunt Britannos, ipse nouum de illis orbem condere aggressus, à quouis alio disjunctum; illos ipso à cœlo Deoque diuisit, Portentoso planè animi stupore, quem non morderent quæ aduersus Lutherum de vniuersalis Ecclesiæ monarcha ipsemet scripserat: cum enim dixisset, priusquam illi Germaniæ partem seditiosus apostata rebellaret, Europam, Americam, Asiam, & quicquid in mundo Christianorum est, Romanam sedem agnouisse, adorasséque pro domina; nec interiecti Oceani, & solitudinum, immensitate, & honore, fideles deterritos quin ipsis quoque ab

Indiis

Indiis orbéque vltimo per infinita pericula, se Romam conferrent, professuri Christo, eiusque Vicario, & Christianorum magistræ ac matri Romanæ Ecclesiæ Obedientiam, & honorem; his inquam præmissis, infert quod sequitur. [Si tàm latè porrectum tantúmque Imperium, nec à Deo, nec ab hominibus accepit, sed vsurpauit sibi Papa, vi asseruit; dicat mihi si potest Lutherus, ecquandò ad tantam rerum molem tollendam Pontifex, quando se ad mundi quærendam Monarchiam accinxit, nec enim tantarum expeditionum possunt ortus latere taciti, recentes præsertim, quales ferè ab vna auorum nostrorum designat ætate. At si volet idem ab vno aut altero æuo illos repetere, reuoluat sanè historias temporum, & ab annis mille si lubet accersat; verum si ea est huius vetustas Originis, vt seculorum vincat memoriam, vtamur sanè legum omnium præscripto, quæ iura omnia, & possessiones antiquiores omni memoria, iubent pro legitimis haberi, & sensus est omnium gentium, nefas esse tamdiu rata, & immota refigi, aut moueri. Sciet profectò annales qui legerit, Christianitatis Ecclesias, ex quo statim pax illis, & seculo data est, Ro. Ecclesiæ paruisse] ita ille dum sanus animo, Religione, ac fide regeretur, tanquam rectæ mentis oculis duobus; sed iis cæcutientibus, cùm esset tacito Thomæ Cranmeri Lutheranismo facilè imbutus, & (quod prodigio simile) Parlamenti totiùs Decreto solenni, Ecclesiæ Anglicanæ constitutus caput, inde cœpit infelix, quæ aliis viderat, sibi non cernere; & quæ de Primatu Romanæ sedis in reliquas, præstandóque illi, eiúsque Pontifici, religiosi obsequij sacramento nuper docuerat, cœpit inquam tunc ipse ignorare. Sic face duplici armatus, væsani amoris, & iræ impotentis, horrendum quàm sæua, & terribilia, dùm vixit, quam lugenda spectacula dederit in Angliæ suæ pernitiem, & Ecclesiæ Christi deiectionem comparata, quæ infinitum sit referre, nisi si quæ occurrant, quorum enormis immanitas reliquorum specimen præbeat. Cuiusmodi mihi est illa rabies ausi, furiosum, & sacrilegum dentem in S. Thomæ Archiepiscopi, beata ossa iniicere, qui ante trecentos, & sexaginta annos illustri perfunctus martyrio, quo esset apud Deum loco, prodigiorum splendore, ac magnitudine testabatur. Causam eius Henricus octauus integrat; diem illi dicit ad capitalium tribunal, maiestatis accersit reum, quòd iniquissimi Henrici II. legibus obstitisset; crimen impositum coram minimè purgantem, ex Vadimonio contumaciter deserto, rebellij damnat, sacris diphticis eradit, carnificis manu ex aureo quo condebatur diripit sepulchro; ossa igni; vento beatos cineres addicit, memoriam exilio sempiterno; immensum auri & argenti pondus, & supellectilis pretiosæ, viginti sex magnis ingestum curribus, ab eius templo Cantuarienſi, fisco adiudicat.

Præ hac fortè quæuis eius barbaries habere aliquid minus inhumanum videatur, tametsi sit omni ex parte crudelis. Sacerdotes ingenti numero, & acerbissimis necati mortibus; nobilitas diris exhausta stragibus; regni omnis tanquam bello subacti prædatio; expressæ diuitum medul-

læ, & pauperum sanguis; religiosi bonis, cœnobiis, templis, spoliati, pulsique ad famem mendicato leuandam, vel morte soluendam, & hoc tam immane latrocinium bonorum quibus numerosa sacrorum hominum fouebatur, & regno splendebat multitudo, indulsit Regi Parlamentum, & ex malè consulta publici status ratione, putauit se regni vtilitatibus præclarè consulere. Nec omittendum est scelerati huius consilij expectatio quæ tunc foret; qui deinde euentus; in quos iure delusa recciderit. Horum habeo testem historicum natione Anglum, Protestatione Lutheranum; summa inquit, rei, & cardo consilij quod Parlamenti sententias impulit, ad cœnobiorum alienationem Regi permittendam, fuit Regij fisci in perpetuum locupletatio; augendum viribus, & nobilitate regnum; immunitas populi, à pensitando tot Monachis, Abbatibus, Monialibus, fratribus tributo: horum enim vice, instituendos comitatus de nouo quadraginta; dynastias Baronum sexaginta; officia equitum ad tria millia; denarium S. Petri, militum millibus quadraginta, Ducibusque illorum stipendia congrua in perpetuum daturum. Nec aliunde hæc omnia nisi ex iis quæ Religiosis auferrentur. Sic neque Henricum, nec eius in Regno successores laboraturos vnquam ad implendum in belli sumptus ærarium; nec pressuros populum variis crucibus tributourm. Quid autem inde in regnum boni? occupatis ab Rege quanta quanta erant, bonis omnium Religiosorum, plus à Parlamento vectigalium, & subsidiorum statim eo petente indictum est, quàm esset per annos retrò quingentos factum; nec multò post noua eguit contributione, clientelam, pensitationes exegit quamplurimas, ac demum nominibus obrutus miserè periit. Addere debui quicquid erat monetæ fuisse ab illo iteratæ subiectum conflaturæ, & tam bellè purgatum, vt quam acceperat probatissimi argenti, vndecim pondere vnciarum, ad duas redactam vncias redderet metallo & scoria grauatas. Quæ fuit expilati regni communis depauperatio. Clericos dolenter acerbéque affecit, ipsósque cum populo regni primario, quod ex desertis & direptis Religiosorum domibus, nihil iam in puplicum rediret, sed iacta erat alea, & expers remedij malum. Accessit dilapidatio hospitalium domorum, & Rhodiensium equitum dissipatus ordo, qui splendore ædificiorum, & agri amplitudine, nullis Abbatum cedebat opibus. in saginam multorum impunè transiit hæc adeo pinguis, & locuples expilatio sacrarum Facultatum, huic si quis obstitit, ad defendendam causam vitámque citatùs est] hæc author Lutheranus. Quam vitæ in scelera ruinam per annos tredecim à Boleniæ nuptiis Henricus, traxit quotidie horribiliorem, quoad morte instanti, salubri dolore ictus est, & Vincestrensis Episcopus Stephanus Gardinerus, pro concione ad templum crucis hoc est ad cœmeterium S. Pauli celeberrimum Londini pulpitum denuntiauerit adhiberi se ab Henrico vt Ecclesiæ Rom. parenti optimæ, malè abiectæ peiúsque offensæ conciliantur, quæ pacis osculum & apertos, vt solet, redeunti pararet sinus lætásque gratulationes. Verum enim-

vero

vero ſuperba indoles tanti operis cœpta in vado eliſit, paciſci victor volebat non deditus; extra culpæ omnis fuiſſe & aſſeri notam; omni tamen abſolui, & abiui culpa. Poſt paulum itaque improuiſo correptus malo, menſuſque iam hians præ oculis inferorum chaos inhorruit, nec ſe propterea; quod brutum feciſſet animal, à præcipitio auertit, parumper ſolum conturbatus, templum vnum recludi cùm mandaſſet, alerum de bonis quæ tribus abſtulerat dotari, omnes ſe cum Deo æquaſſe credidit innumerabilium nominum rationes, auditus eſt nihilominus, Religioſorum, emortuis vocibus meminiſſe: at ſi quem expetiit, digna exilij quod iis intulerat merces fuit vt eorum repertus ſit nemo, qui tam deſperato ſalutis articulo ipſi opem ferret. Atque hic finem viuendi fecit inter illos quibuſcum vixerat, paraſitos, adulatores, hæreticos, qui lecto circumfuſi, eo morientem fouebant ſolatio, quod fuit ab talibus expectandum. Quorum vnus cum vini pateram porrexiſſet, epoto illo & altum ſuſpirans, in porrigentem ægrè oculos tulit, & exhauſta, inquit, eſt, nobiſque omnia periere, quam vocem paulò poſt, ſchiſmaticam euomens animam, & execrationis Pontificiæ inuſtam fulmine, nimiùm probauit. Tribus inde hebdomadis, anno 1546. diebus duode-triginta inchoato, ſecutus eſt impium Lutherus, ſeditionis in Eccleſiam ſignifer ſecundus, cœtera diſcors; in Romanæ ſedis odio, & ſollicitandis in eam populis, cum illo vnus.



Anglia sub Eduardo VI. à schismate in hæresim lapsa; Protectoris opera pretium. Academiæ extraneis hæreticis traditæ. Sectarum colluuies, & libido quiduis de religione credendi, & censendi.

CAPVT II.

QVANTVMVIS tamen Ferrei fuerint tredecim sub Henrico anni, aureos dixerit, qui cum Eduardi septennio conferet. Iam regni comitia Henrico superstite, digestam ab eo successionem comprobarant quo vltimus natu, primus succederet Eduardus; post hunc Maria legitimis orta natalibus; legum denique priuatarum quibus spurij iuuantur præsidio Elizabetha; his si prole carerent, successor daretur quem ius & ratio dictaret. Defuncto igitur Henrico, Rex acclamatur Eduardus nouem puer annorum, sed ante à patre sedecimvirum tutelæ creditus, æquâ inter se regendi publici, & domus regiæ potestate, quam eorum vnus Regis patruus totam mox violenter vsurpauit, homo Zuinglianus, & Catholici nominis inimicissimus. Hic suoptè ferè vnius ambitu, & molitione, Regni Protector dictus (funestum tunc Angliæ, & deinceps nomen) nihil antiquius habuit quàm vt puerum Regem, pro Anglicanæ Ecclesiæ capite coronatum, sua cum aula, proceribus, doctorum flore omníque populo, qua putebat hæreseos tabe inficeret. Ad hoc Thomæ Cranmeri pestilentissimi Lutherani sociam adsciuit operam, quem sibi penitus addictum Bolenia, ex paupere & vili Presbytero ad Cantuarienses promouerat infulas, haud quidem gratuitas, sed conscientiæ quam dudum proiecerat, & quam flocci habebat salutis pretio, & iactura emptas. Prius enim Henrico iuratus spoponderat, se nihil vnquam aut Papæ aut Romæ auctoritatis in Angliam cessurum; Boleniæ autem fore vt nuptias annos iam viginti concordes & ratas, inter Catharinam Hispaniæ, & Henricum, pro potestate dissolueret. Et vero sceleſtus die quodam supercilium emptæ dignitatis, & personam indutus Præsulis generosi, ausus est Regi anathema in consilij publici consessu minari, si pergeret Catharinam diutiùs retinere, quam olim Arturo fratri natu maiori nuptam, nefas esset ab eo haberi. Sic ille, apertæ iniuriæ portentum, & indignitatem auersantibus, & execrantibus qui adstabant, à Regni Primate Reginam excludi,

excludi, eius loco amasiam intrudi; multis lato risu traducentibus concinnitatem laruæ quam sibi obduxerat inuicti antistitis, & alterius S. Thomæ, nihil reueritus par pari, minax, & imperiosus instare Regi palam vt ageret inuitus, quod apud se Rex ardebat facere; sed nihil optabat amantius quam vt cogi ad hoc religione iniecta videretur, à quo illum religio, & conscientia manifestè acerbant, vna in aduersum stimulante, & insaniente libidine. Erat insuper Cranmerus vita turpissimus, publicè infamis, feminarum raptor, Archiepiscopus vxoratus, centies rogum commeritus, in quo demum, Maria post Eduardum, rebus potiente sceleratam animam eiecit.

Hic ergo Lutherum Caluino miscens, vt se Protectori gratiorem præberet, animal de se conflauit Amphisuium, & sectam vtramque mordere inuicem, & furere solitam, seorsim ac simul, & quocumque temperatam modo approbauit, & pro ea qua pollet Cantuariensis in Anglia Primas, dignitate ac fide, quid cuique luberet credendi, & agendi amplam tribuit facultatem. Hinc nulla Babylon, aut linguis confusior, aut errorum sectis pugnantior. Sua Conciliis ablata authoritas, sua fidei, Patribus, Doctoribus, Latinis & Græcis abrogata vox, traditionibus Apostolicis sua possessio, & suum Canonibus pondus. Præter textum Scripturæ nudum extetminata est quæuis alia sentiendi & viuendi norma. Textum inquam, lingua detritum vernacula, & falsis luxatum corruptúmque interpretamentis, quod à se quondam in Germania factum, iterauit in Anglia Milo Couardallus, bibendo famosior quàm scribendo. Quisque sibi magister, idémque discipulus, contrariæ sibi ex intelligentia diuersa sententiæ. Contentionibus de religione omnia strepere, literati, rudes, tabernarij, caupones, quin & mulierculæ sybillarum afflatæ nouo, & Theologico spiritu, de sacra pagina, & capitibus fidei disputare & pro sua cuiusque fatuitate decernere. Atque vt videmus centumpeda, multas in partes secta, mouere se singulas incerto incessu, & frustum animæ quo aguntur ambiguis huc illuc pedibus in diuersa ferre; sic vna plærúmque familia in factiones errorum varias distracta & lacera, pro Luthero maritus, pro Calumo vxor, pro aliis filij religionum simulachris pugnare impunè ac digladiari, modo à Catholica dissentirent.

Nihil se tamen post tanta molimina egisse Protector, nihil Cranmerus putarunt, nisi suo venæno fontes inficerent ex quibus iuuentus diuinæ pariter, & naturalis scientiæ fluenta hauriebat. Erant ij duæ tota Europa celebres Oxfordienses, & Cambrigienses Academiæ, seu Ossonium & Cantabrigia, duo Angliæ lumina quæ tot sæculis orbi claruerant, quibus extinctis non frustra rati sunt sapientes, in regnum cæcorum redacta Britannia, grassaturas vbique errorum tenebras, erroris sui conscio nemine. Specie igitur scholarum recudendarum in statum meliorem, quicquid iis præerat præstantium hominum, & Catholici dogmatis exauctorant, tradunt eorum primaria pulpita, & honoraria Cantabrigiæ Martino Bucero: Ossonij Petro Martyri Vermillio, geminis à fide, & Ordinis voto

apostatis; senibus impudicis, nec minus aspectu, iuuenum honestatem quam auditu fidem labefactaturis. Cum his fuit Bernardinus Ochinus sua ex plano & socco figmenta venditans, & chimeras, sed nihilo quàm cæteri minus pestilens, & exitiosus, licet è cothurno, & pulpitis sublimes, maiori fastu stultam suam tonarent, & ostentarent sapientiam.

Euocati sunt Cranmeri literis sexcenti alij (quorum vnus Paulus Fagius non diu superfuit) nouarum præcones doctrinarum, quas è Germania, Gallia, Geneua tulerant, ij nidos paterna fluentes sanie in ruinis statuerunt illarum Academiarum quæ templa quondam scientiarum, & sapientiæ, nunc frontem solum antiquæ fabricæ vacuam præmonstrant.
1547 Argumento sit drama comicum quo nullum potuit in stultorum theatro dari augustius. Petri Lombardi & B. Thomæ sacris operibus de Theologia, quam multos possunt Sarcophagos ad summum inferciunt, de suis quoque Scottum, Occamum, aliósque Theologiæ Magistros addunt, efferendísque Sarcophagis singulis Sandapilariosquatuor Vespillonum schemate luctuque ad risum subornant, Academicos iuuenes ineptos, & effrontes; procedit per mediam vrbem velut funus ducentium hæc pompa, sua tetraphoro quolibet præeunte comitantium serie, & Requiem æternam informi cantu iis precantium quorum ibant humatum memoriam, sed antiquo ritu prius rogo accenso cinerandis, quod mox in foro ab iis confectum, inter inconditos, & insanos vociferantium clamores; inuenti huius extranei exemplum Germania dederat, vbi corpus sacrorum Canonum, fuerat humi post ignem, & cinerem defossum, cæterum sacrilegam fabulam, si discipulorum effrons stoliditas denuò præbuit; rationibus suis cautè cauens ac nimium sapiens præceptorum malitia instruxit, haudquaquàm dubia expeditum fore suis erroribus commeatum, Theologia expulsa cuius erat illos ad veri obrusam disputationibus probare, & falsi compertos inhibere. Præterquam quod ad sacras paginas quibus vni regi homines volebant tanquam meris diuini spiritus placitis, cùm lectionem docerent sufficere, pro monstro accidit, cui assiduitas abstulit admirationem, vt passim vbique quotidie velut vanæ de putri, bullirent Doctores diuinorum, & heri Grammaticus, Theologum hodie se demiraretur, Magister postridie in scholæ cathedram, aut Concionator in templi suggestum cuaderet. Ex quo breui plura corporibus capita; & minor sectarum numerus quàm auctorum; quisque vt ingenio valebat (valent autem plærique in Anglia, inuentionis gloriam ambire, malléque præire quàm subsequi.

Hoc iam tàm effrænis vltra omnes metas licentiæ, arbitratus Protector, in peius exiturum, Regni parlamento, Apostolici Senatus auctoritatem attribuit; constabat parlamentum, ex viris militaribus, & alia omnia extra Theologiam professis. Sed eos putauit affluxu spiritus, quem pro Ecclesiæ in Anglia capite iis afflabat, nouas fidei regulas, proscriptis veteribus condituros absque periculo errandi; Decreta, & Canones vniuersè seruanda posituros, & quod iis indixit, operis vtriusque ad Bucerum,

rum, & martyrem, missuros apographa, publicis litteris confirmata, qui pro fide omnium horarum quam habebant in Schola promptam; pro recta quam mente eiecerant penitus, edituri essent illico ex sacris bibliis, spiritus sancti verba quibus ad litteram stabilirent quæ Protector sapientum suorum suffragiis publicè decreuisset; & sic reipsa Factum. duo illi venales apostatæ, vocem edebant nullam quam ex Protectoris ore Imperióque non hausissent, & qui aduersus sacra Concilia tanto strepitu tumultuabantur, parlamenti scita, veluti cœlo missa & Dei digito conscripta venerabantur, & probabant. Hinc ab omnibus per Europam omnis notæ, ac nominis hæreticorum sectis, festiuæ in Angliam litteræ, libelli gratulatorij, adolescentis Regis encomia, & suppares Iosiæ, ac Dauidi laudes vt qui Dei regnum in ruinis fundasset Philistæorum Papistarum. Protectorem quoque magnifici sonabant tituli; Gedeon, Samson, Moses, vbique audiebat, populi Dei pater qui sacræ vindicta potestatis cœlitus accepta, illum à seruitute Ægyptia Romani antistitis asseruisset in veram libertatem, & animabatur ad Apostolici operis tàm glorioſa cœpta in finem perducenda. Erat porrò illa vt dolebant tot pressa seculis libertas', inceſtare nuptiis sacerdotes, dicatas Deo virgines maritare vota, clauſtra, cœnobia sacrorum ordinum abolere, frustillum id de illorum bonis quod Henrici Octaui conscientiam fugerat vorare, post hæc Confessionis sanctæ frænum, sacras vigilias, discrimen ciborum tollere penitus. Piarum imaginum venerationem, Litaniarum, & precum vsum, postremò qui apex impietatis est augustissimum Eucharistiæ sacrificium abrogare.

His & similibus Euangelicæ libertatis immunitatibus vt vocabant Angliæ redditis, vt res erat nec visis nec auditis, sed recens intrusis, adplaudebatur Protectori, & iam ire per populum cœperant, præconum suorum linguis perfidis mancipatum, quæ toto deinceps orbe sparsit Giuellus, concione Londini in æde Crucis ad Cœmeterium S. Pauli dicta (de qua nos alias) suis item scriptis Hunfredus, Baleus, Vuitacherus, Pouellus, Ariscamus item Harisonius, Daneus, Parkerus, multoque his plures, pars Lutherani, qua synceri qua mixti; pars molles Caluini, pars rigidi asseclæ, sed omnes consentientibus studiis coniurati, in execrationem magni Gregorij sanctissimi Pontificis & eius quem misit B. Augustini ad liberandam Angliam à cultu idolorum quam insaniunt amentes peiori ab eo fœdatam idololatria, nec Apostolum Angliæ, sed euersorem fuisse Gregorium nec ab Augustino de vrbe Ierusalem Euangelij puram lucem Angliæ, illatam; sed de Babilone superstitiones, & perfidiam Romani antichristi. Nec desunt qui sanctum; inter parentes hæresum numerent, faciántque Nouato, & Maneti parem; impudentissima verborum rabie furit, & scribit Lucas Osiander Germanus, prostituisse *illum Angliam antichristi Romani libidini, & sui huius piaculi dignas luere inferis pœnas*; nec erubescet effrons hæreticus certa miracula quibus viri sancti munus Apostolicum muniit, & nobilitauit Deus, dæmonum vocare præstigias, & hæresiarchæ traductum nomine, etiam dicere nec romantem. Sic palam faciunt quod

in Iulianum sequacem Pelagij habet S. Doctor Augustinus, si frontem intelligimus non oris partem sed pudoris; frontem hæreticos non habere.

Nisi ergo Henrici probrosæ libidines, & Protectoris ambitio impotens, Bucero, Vermidio, Ochino, & Hoppeo, & Couerdallio, & aliis ex eadem putredine muscis sibilassent, & castimoniæ proiectæ, desperatæ salutis, garrulitatis fastuosæ, proscriptæ sobrietatis hominibus, Angliæ aperuissent portas, caritura scilicet Apostolis Anglia, nullos inuenisset quorum doctrinis imbueretur vera fide; & Romana eiecta purgaretur, tametsi iam inde ab Apostolorum ad nostra hæc tempora, meritis, sanctitate, miraculis sapientiæ gloriæ, (quod ipsi fatentur hæretici) Romana floruisse. Si quem nosse delectat, cuiusmodi bona, quas opimitates regno intulerit hæc reformatio, do testem Camdenum, eumdemque rerum spectatorem, & apud suos Anglos syncerè veracem, qui etsi parciùs de perditissimo Eduardi septennio scribat (quæ fuit primigenia hæreticorum Ecclesia) haud tamen valuit repræsentare alia specie, quàm dementati, & moti cerebro regni vniuersi. Ambitio, inquit, & adulatio Principum; contumacia populi audax, & refractaria tàm impunè triumphabant, vt arreptitiam putares Angliam & phreneticis motibus iactatam. Sic ille de noua sub nouo Iosia, Eduardo, Submose altero Protectore, Anglorum Ecclesia, nouis ab Apostolis fundata, eóque doctrina & exemplis ab iis prouecta, vt vel ipsos Turcas talem pudeat habere.

Fuit autem hæc labes (ne quid dissimulem) eorum non modo temporum, sed ex quo illuc hæresis appulit, conuertit Angliam in theatrum perpetuæ, & sanguinolentæ tragœdiæ, cuius spectauit orbis Catastrophen, in propudioso Regis legitimi post dictam causam supplitio, quo illi publicè abcissum caput, vt ex Euangelio Puritano deinceps sine capite viueretur. Quod nouitij parricidij monstruosum archetypum, credendum est è memoria temporum, ne ducendi ex eo exempli furor, possit cuiquam æternùm subrepere.

Protector

Protector capite truncatur. Moritur Eduardus. Dux Suffolkdiensis rebellis vincitur. Victo illo Maria regno legitimè potitur. Ab schismate, & hæresi Anglia, Religionem Catholicam repetit.

CAPVT III.

REPETAMVS & nos historiæ filum, & vitæ Eduardi quam illi à Duce Nortumbriæ venæno abruptam fama est apud Historicos. Fuit hic ex iis vnus qui cruenta illa quam dicebam in Angliæ Scena, multas cũm egisset & personas, & partes; inde alienarum spectator cladium is suarum tandem aliis theatrum, & spectaculum dedit; erat Protectori addictissimus in paucis, & intimus, totóque illius potentiæ conatu fuerat in Vvaruicensem prouectus comitatum, ex quo in Ducem Nortumbriæ euasit, statímque apud se tacitus etiam in Regem, quod suæ illi spondebant vasti ingenij artes vastæ ac multæ. Primum igitur Protectorem perduellij, & proditionis accersitum, ferro carnificis abscisso capite sustulit. Eiusque saltem scelestum consilium hac morte interuertit, Cranmero siquidem suggerente Londinum Protector Melanctonem è Saxonia euocarat, futurum in Anglia Lutherum maiorem, vt erat in Germania Lutherus minor, & Luthero succenturiatus, sed bono facto mors Eduardi Regis, profectionem disturbauit. Honestarat sua præsentia infelix Eduardus sponsalia trium Henrici Ducis Suffordiæ filiarum, inde, quicquid glutisset in certum, morbus, breuíque post tempore inexpectata mors, Ducem Nortumbriæ fefellit. Celebrarat is magno apparatu tria illa eodem die sponsalia, vt domum, sceptri ius cum Ioanna Greia natarum maxima, Henrici octaui pronepte traheret; ad hoc illam Gilfordo filio vxorem desponderat, excluſis omni succedendi spe ac iure Maria, & Elizabetha Henrici filiis, & substituta earum loco in primis Ioanna, quàm certi ad regnum iuris, & spei legitimæ, priuationem, fratris illarum Eduardi testamento clam stabiliri curauerat; his tam perplexi, & lenti negotij cœptis dum subsidiarios fautores colligit, interceptus est Eduardi morte, qui inter eius brachia efflauit animam. Pergit nihilo segniùs quà obstinarat Nortumbrius; nurum suam Ioannam, Reginam Angliæ proclamat, Senatus fidem, & nobilitatis, in castro Londinensi, sacramento illi publico obstringit; Regem ipse fiducia præcoci, præma-

turè gerens larga manu titulos, præfecturas, officia in suos diuidere; Londini, Ducem Suffoldium Ioannæ patrem, habere Vicarium; ipse selecta cum Equitum manu volitare, ad comprehendendam, si posset Mariam. At enim versa mox in contrarium fortuna, ex præsidio quo se receperat erumpens, cinctáque exercitu armatorum triginta millium qui ex voluntario milite, minus decem diebus, vltro ad eam confluxerat, Londinum triumphans ingreditur, arcem subit; tralatitiam Reginam, eiúsque patrem carceri mancipat; deserto ab suis Nortumbrio ac dedenti sese, maioris supplitij ignominiam condonat; dumtaxat duobus cum filiis capite plectitur, quos eodem secum perduellione inuoluerat; sed de his passim alij fusiùs, & abundè ornatur insignibus Regiis Maria ætatis anno trigesimo octauo, Princeps digna parente meliori; certè hoc illi peccatum originis exitio fuit, nec suum aliud ob crimen quàm quòd esset Henrici filia, morti addicta est, nulla ex Henrico secundo Hispaniæ Rege, cui nupserat, suscepta prole, qua regni successio, & propugnatio Catholicæ fidei niteretur. Huic instaurandæ generosam manum ipsa continuo admouet nitentibus contra, & aduersantibus arduo operi, prædicantium linguis venalibus, Theologorum fallaciis, coniuratorum armis, rebellium seditionibus, & hæresi: nonnullos religio, plærósque suæ agebant rationes; vtrumque in Elizabetha vehementius æstuabat, haud ita solerti ad simulandam Catholicam, quin facto interdum proderet Lutheranam; nec adeò teneræ in Mariam sororem pietatis, quin per fictas intimi amoris blanditias exilirent subinde cruenta sed ambigua odia in eius vitam & religionem. Eam ob rem semel & iterum violentis capta inditiis, & res nouas moliri deprehensa; vt regno caueretur Vodstochij clausa est; condonata illi Philippi Regis interceßione mortis pœna. Sic ipsi quoque sapientissimi homines, in coniiciendis futuris cæcutiunt; fama est, enim scribúntque Historici, Elizabetham à Philippo, ea mente seruatam, vt post obitum Mariæ, quæ credebatur breuis æui futura; eam duceret vxorem (& vero illam sublata è viuis Maria primus omnium petiit. Verum enim vero in alia omnia expectationes hæ reciderunt; neque is, neque Hispania peiorem aliunde, aut pertinaciùs instantem, quam Elizabetham sensere inimicum, toto illo quo Angliam tenuit quadraginta quatuor annorum spatio.

Maria vero his regni primordiis tam multa inuenit, publicæ per membra tum hæreseos marcore putrida, tum carcinode obstinatiori exesa sensúque iam cassa, vt ferro curanda necessariò fuerint, ne lues serperet latius, & eatenus intacta, ex iis vitium & mortem traherent. Quæ causa Historicis sed Protestantibus extitit, vt Reginam cognomento vocarent carnificem.

Nihil quidem propiùs abfuit, quàm vt sua illi parcendo clementia, regno steterit, & vita. Ducem Suffoldium, & Equitem Vviatum perduelles, receptos in gratiam vix restituerat libertati, cùm repentè in noua coïre fœdera, sollicitare populum, militem facere in armis stare; iure itáque

itáque illis inflicta mors non accusanda est quod seuera, sed sera; & quidem Knossio (qui Caluinum, & Bezam præcones habuit) ferro flammáque contiguam Scotiam vastante, & Puritanorum exercitu, templa, cœnobia. & quicquid occurreret catholicum, sacrúmque euertente; accedebant Goodmanni scholæ Geneuensis alumni præcipui, clandestinæ in Anglia machinationes aduersus Mariam, quæ nisi Christo mallet religionis veræ cultum, populis suis pacem, sibi regnum & caput perire, non poterat, quin nocentissimos & deuota in regni exitium capita de medio tolleret. Inter quos vt immanitate criminum, & multitudine, sic iudicio & pœna illustrior Cranmerus, ille toties dictus Archiepiscopus Cantuariensis in stellato Senatu Vvestminterienſi damnatus est sparsæ in populum aduersus Mariam scriptionis, sollicitati ad eam regno extrudendam Nortumbrij, & militaribus copiis adiuti. Ob hæc perduellij noui certò reus; pridem verò desertor fidei; auctor schismatis Henrico octauo; conciliator impiarum cum Bolenia nuptiarum; euersæ Rege Eduardo Religionis Catholicæ Princeps administer, præter alia eiusdem scelera igni addictus est, frustra vel iurans vel peierans eiurare se Lutherum, & Zuinglium quos profitebatur. Estque hic vnus martyrum summæ classis in Calendario Foxij abacho, ex quo nec vllius excludunt nomen, nec de Protestantium Ecclesia festum diem, enormia scelera condignis repensa supplitiis, dum reliquis omnibns accedant æterna in Pontificem Rom. & dogma Catholicum odia. Sed erit inferius aptior de Foxij Calendario locus.

Valuit quoque maiorem in modum ad purgandam virulentis graminibus Angliam, indictum à Regina hæreticis omnibus vndecumque venissent exilium, quo paucis diebus eiecta sunt eorum millia triginta, quos ab omni Europa, cupido vendendi errores proprios vel coëmendi alienos, in Angliam traxerat, omnium Eduardo Rege sectarum emporium. Sub hæc suos miseris gregibus, pastores reddidit, perpessis luporum diu ingluuiem; suos Ossonio, & Cantabrigiæ doctores; præcones Catholicis pulpitis; templis, & diuinis sacrorum maiestatem; haud quidem suo vnius Imperio, sed auspiciis sanctorum Præsulum, Apostolici præsertim legati, eiusdemque Archiepiscopi Cantuariensis, cuius egregia in Ecclesiam merita, in cassum æmuli nisi sunt obscurare. Instauratum, vt potuit regnum,, solenni ritu iuridicè reconciliauit Ecclesiæ, eiusque capiti Ro. Pontifici, quod multis piorum cum lachrimis peractum, quas affectus ciebant prope inter se contrarij. Vt enim templi ab Zorobabele, post tantùm annorum restituti, læto spectaculo, flebant iuuenes simul, & æuo grandes', sed illi effuso & puro gaudio; hi quamuis, & gaudio, at nihilo parciùs desperatione magnificentiæ veteris qua præ angusto, & tenui quod volente Dario excitarant, templum Salomonis, orbis miraculum, & sacrarium Dei quondam floruerat. Ita nunc ætate prouectiores Angli, repetito illius Ecclesiæ ante annos triginta splendore, quibus illam Henricus labefactauerat, dissipauerat Eduardus; flebant videlicet, dolore magis quam gau-

dio, quod instaurata illius fundatio plus adhuc spei præferret quàm rei, nec esset cum illa quam quondam viderant, nunc mente etiam gerebant conferenda. Sanè quidem vt multum habuerit sinceri, ac solidi, hæc ad integratam cum Ecclesia gratiam Anglorum mutatio; sed negari non potest, simulati quoque, plurimum habuisse, multo ægrius virtus eneruata, eò enititur, vnde se præceps in vitia miserat; effrænis sensus in omnem quam per septennium hæresis laxarat licentiam, nisi difficile domari non poterat, vxores detrahi sacerdotibus, professionem, & vitam priorem à sacris virginibus, & concubinariis reperi, operosum erat plusquam fingi possit negotium. Bonis vero pingues emaciare familias, quibus de templorum, & cœnobiorum spoliatione fuerant saginatæ, perinde videbatur vt eas deglubere; præ cæteris vero illud altè medullis insitum Ro. Pontificis odium, in filiorum amorem, obseruantiam, & obsequium flectere, idem hæresi erat caput omne perpetuo exosæ, & superbæ, vt catenæ seruili collum inserere. Ob hæc multorum ad Ecclesiam reditus, mimus fuit in scena beuis: Aliis auorum doctrina placuit, non sapuit probitas; omnibus euenit quod senex Cous ægrotis prænuntiat, si per se vltro, nulla ope vel causa curentur, in morbum illico relapsuros. Nec vltra Elizabethæ initia, huius rei expectatio pependit. Mense quarto suprà quinquennium Maria regno & viuis erepta est, decimo septimo Nou. ann. 1558. pauciſque post horis Cardinalis Polus, tenaci diu quartana iactatus, cruciabilius alioqui sanctam animam efflaturus, si vel trimestre seciùs obiisset, quod solum interfuit, à Mariæ morte, ad ruinas Ecclesiæ Anglicæ, Elizabethæ auspiciis recidiuas, sed Cardinali non tolerabiles absque acerbissimo dolore, quod eas recens non infructuosè (vt erant tempora) magnis contentionibus erexisset, tunc fore extra remedium cerneret. Vir ne quid iis addam, quæ Protestans hæreticus de illo memorat, pietate doctrina, & integritate quam regio sanguine clarior; quamquam matrem haberet Georgij filiam, Ducis Clarensis, & Eduardi quarti fratris.

Mariæ succedit Elizabeth, eius in fidem Catholicam odij prima indicia. Fraudulentia quorumdam in ea fouenda. Eius ad Regnum dotes. In Ministrorum delectu sagacitas.

CAPVT IV.

ANNVM agebat Elizabetha quintum supra vigesimum, cùm in eius caput, mala vtique aui, Angliæ cecidit diadema. Lutherana esset matris Boleniæ exemplo, an Caluino imbuta vt postmodum patuit; vel potius, quod eius etiam regnantis scriptores aliqui tradidere, nullius apud se, ac Deum religionis, & fidei; apud homines vero illius quam maior dictaret vtilitas; nihil ad me, viderint alij. Sub Eduardo quidem Zuinglij assecla, palam Zuingliana; sub Maria Catholica, & ipsa tam graphicè in Catholicam transformata, vt ex omologesim, diuina mysteria, conciones, templa frequentaret, nihilque illi deesset, nisi quod maximè videri Mariæ oculis satagebat, quam sui capitis custodem norat, & arbitram. Sed enim catè intelligens profuturum quandoque rebus suis, si ab eo quod animo gerebat sciretur id longè dissidere quod simulabat exteriùs; prodebat se Protestantium non paucis, nec triuialis in publicum factionis & auctoritatis, quorum item consilio post Mariæ mortem, necessitate fingendi absoluta, illam tamen sibi tam vtilem laruam non statim remouit.

Quare obscuro cuidam, & senali Carleilensi Episcopo Oglethorpio, inaugurandam se Regum more, & oleo subiecit; qui hanc illi seu vendidit seu præstitit operam, exinde mansit reliquis inuisus, & execrabilis, qui dignitate, scientia, & Apostolici animi robore, longè illo maiores, eam illi negarant, Yorkensis primus, deinde alij, fuerátque iis negandi causa, quod manifesta illi Protestantis occultæ nota excidisset, sacris enim præsens, vetuerat augustissimam hostiam, & Christi calicem de more attolli, vt adorarentur à populo. Post hæc solenni periurio magnum illud iurauit, sanctissimúmque iusiurandum quo Anglorum Reges initiabantur, propugnaturam se Religionem Catholicam; sua Ecclesiæ, & clero iura, libertatem, immunitates seruaturam, quæ ab Eduardo Rege sanctissimo concessa, eò vsque successores eius confirmarant. Promissionis huius sic ab ea iuratæ, ciúsque munitæ chirographo, quasi sequestrum volens

Deum, illam altari impoſuit; illo nempè ſuorum ſimplici, & caſto ſecura, politicorum ſuorum effato; licére Regibus honeſta vtilibus metiri. Nam illas Catholici Ritualis cerimonias veteres, quàm viles haberet ſignificauit illico poſt, cum in veli ſecreto regali cultu proceſſura in publicum ornaretur; honorarias ſuas, nictu & ſarcaſmo vetans accedere propiùs, ni vellent olei quo vncta fuerat graueolentia infici. Sedebat hoc anno 1558 Pontifex Paulus IV. apud quem Mariæ legatum agebat Catholicus nobilis. Hunc iuſſit Elizabeth adire Pontificem, nuntiare de regno Angliæ ab ſe Dei gratia inito, petere vt ſibi communi omnium aſſenſu, & gaudio iam inauguratæ, benè fauſtéque precaretur. Cæterum pro certo ſua ſanctitas haberet, religionis cauſa, nihil cuiquam aut damni aut moleſtiæ creandum. Fuit hic eius coactæ, ac neceſſariæ fabulæ quo Catholicam luſerat poſtremus actus.

Hic mihi obiter notare liceat, quod facit magnoperè ad fidelitatem myſteriarcharum qui tunc ſolo Scripturæ contextu ſimplici, volebant religionem fulciri ſuam. Hi vbi Mariam viderunt throno Angliæ potitam, Eccleſiæ caput ex coronæ ſuæ direptum titulis, legitimi poſſeſſoris Ro. Pontificis thiaræ reddere, ſéque pleno Senatu & luce Parlamenti Catholicam dicere, iis repentè correpti furiis quas Religionis honeſtant mendacio, in factioſorum diſpergi circulos; reclamare in ſcholis; templorum ſuggeſtus tumultu implere, vociferantes nefas eſſe, feminam imperare; id verò diuinis vetari Legibus, nec poſſe in rebus alicuius momenti, maiori ſe, homini ſcilicet dominari. Ad hoc pluebant iis ex cerebro ſcripturæ loca hibernis niuibus denſiora, natiua, ingenua, ſole medio clariora, deſinebant in vota, & adprecationes gratulatorias Iehu cuipiam ſi Iezabelem Angliæ de feneſtris, præcipitaret canibus lacerandam, & throno eius ſuccederet.

Fraudem præterea commenti, rebellis Prophetiæ, puellam cauo abdidere extra portam Alderghet, parietibus fictis ita clauſo, vt vnus videretur ſaxeæ molis, & ſolidæ murus, inde occultis meatibus & indeprehenſis reddebat puella diſſimulato vocis ſono quæcumque à Drako acciperet, machinæ illius artifice vel auctore, diras videlicet Londino & regno minas, & terrores ſi Mariam Papiſtam throno non pellerent. Concurrere itaque turmatim populus, ad monſtroſi pauorem oraculi, ſilentéque interdum Elizabetha Croſte (puellæ nomen erat) obloqui, fremere, iurare articulatas edi ex aëre voces; Angeli prorſus hæc eſſe monita, fortaſſis Angliæ tutelaris; manifeſti rem eſſe miraculi, & diuinæ edictum euidens voluntatis, quam ſaxa ipſa, & lapides clamarent; mixti vulgo faſciæ conſcij exagerare vulgi dicta, ſtudia ventilare, in rebellionem, & perniciem Mariæ omnia tendere, credulo populo, eóque Londinenſi glotioſum putante dignari ſe Deum prodigioſa allocutione, & miniſterio exequendi quod factum volebat. Inter hæc feruente cataſtaſi fabulæ accurrit Magiſtratus, explorat, inueſtigat, mutùm pertundi iubet qui moles ſolida putabatur, & ecce apparet ſaxis clauſa infelix puella, fraudémque cum eius

Architectis,

Architectis, mitiùs quàm esset commerita luit. Hæretici factum pro infausto magis, quàm pro scelerato doluerunt, fructùque sceleratarum concionum, & scriptionum parricidalium, in quibus liber de obedientia editus, Reges impios, disertè docebat occidendos, inter quos Mariam accensebat, diuina simul & humana lege, velut tyrannicum, & crudele monstrum, iam morte damnatam, quod Guillelmo cuidam Tomasio ita persuasit, vt fieret iuratorum caput, ad eam aut ferro aut veneno tollendam. Eiusdem argumenti fuit elucubratio Coodmani, Vvitigami, Gilbei, & aliorum complurium, qui de sacræ Scripturæ luxatis sententiis sacrilegas concinnauêre scriptiones, Deíque ipsius vocibus incantare indoctos conati sunt ad exeutiendum feminæ imperium velut nefarium.

At enim iidem, Mariæ mortuæ, Elizabethæ rerum potientis duplici gaudio ebrij, pulpita scandere, diuinas paginas coram populo versare, sexcentis inde locis Elizabethæ regnum stabilire, & obliti quæ ante pro Dei oraculis aduersus Mariam declamarant, & detonuerant; prænuntiatum cœlo Elizabethæ regnum, paratum, adumbratum, expressum, & vsque à primo Ecclesiæ sæculo promissum, Testamenti noui ac veteris, assertionibus innumeris, & figuris deprædicare, describere, ac ipso prope notare nomine, tanquam Angliæ seruatricis. Idem quinque ab annis delirauerat cum Symmistis suis, Londini ad crucem S. Pauli Nicolaus Ridleyus ciuitatis eius Episcopus in gratiam Ioannæ Greiæ regnum inuadentis. Sic sapientissimi Sycophantæ, verbo Dei sancto pro rota vtuntur figulari & transuerso, quocumque libuerit in contrarias plagas feruntur vento. Redeamus nunc ad Elizabetham, simulando, & dissimulando tam doctè diúque exercitam Mariæ præsertim superstite, vt in eam breui euaserit versandi orbis artificem & magistram, quam per quadraginta quatuor annos egit. Iis illam natura & vsus instruxerant dotibus quæ ornant maximè feminam Principem, velocitate ingenij, sed pari iudicij pondere; cogitationibus vastis, sed non immodicis; prudenti delectu graduum ad optatos fines, vtinam semper bonos. Humanitate qua caperet, sibique addiceret quos vellet; sed ita solerti vt nisi à quibus plurimum luberet ipsa caperetur. Accedebat formosa in ore maiestas, & imperio digna, multarum notitia linguarum, & literaturæ, non vltra quam principem deceat cultioris. Famæ verò quo nullum validius Principum frænum est, tam acutus, & exquisitus sensus, nihil vt eius curæ studeret attentiùs. Hinc iis quæcumque susciperet vultum induebat ancipitem duplicíque intuitu spectabilem; hinc boni publici honesto; priuato hinc vtili, sed vni sibi, & paucis consiliariis perspecto. Ministrorum item propria commoda, suis ita rationibus illigabat, vt edictionum eius tametsi grauium odiosam famam, vel minùs grauatè susciperent, vel iniectam æquiùs perferrent; sed erit deinceps cum istiusmodi consiliorum inuolucra oportebit à nobis euolui. Quanquam est omninò difficile, in sublimi locatos, omnium oculos latere, séque tàm abstrusè intra se abdere, vt factis velut exploratoribus interior animus non prodatur. Esse se reipsa quod credi

tantùm satagebat Elizabetha minimè persuasit, fallebátque obductam speciem natiua indoles, vt dubia etiam perplexis in rebus, & ambiguis responsa, qualia in vsu Tyberio fuêre, à quo nihil prodibat tàm expeditum, & liquidum cuius non lateret aliqua subdola interpretatio, quæ fidem fallentis liberaret. Denique (nec enim lineamenta omnia eius mentis hic duco, sed ea solùm ex quibus agnoscatur quoties in theatrum huius Historiæ venerit) in Ministrorum delectu mirè sagax non eligebat nisi penitùs introspectos, & qui mentis eius, & consiliorum arcanos fines ipsa quoque tacente diuinarent, vt posset, si quando res poscerent, actis frui apud se, iisque gaudere; actorem improbare, velut maculati lineas prætergressum tales nacta armabat omni potestate quæ morum quidem auctoritati attollendæ, sed suis maximè vtilitatibus augendis conduceret; haud tamen vnquam adeò absoluta, vt inducerent animum non posse illam ipsorum præsentia, ministerio, & opera carere. Multò minùs vt sibi vel metuendi euaderent, vel patienter tolerandi. Demas tamen hinc licet comitem Robertum Dudleyum à quo tantumnum illaqueata est, amore primùm (inquit eius Historicus) quem natale vtriusque sydus copulabat; suis deinde quas scitè ab ea didicerat, aptéque admouerat artibus, vt nec illa quantumuis maximè cuperet nimium illud quod is supra modum in regno poterat valeret rescindere, neque is illam ab eo auertere quò ante omnia anhelabat, vt sola regnaret.

Consultatio Elizabethæ de exterminanda extra Angliam religione Catholica. Pars negans. Quid hominis esset Guilelmus Cecilius, eius in oppositum rationes, & secundùm eas decretum, & executio.

CAPVT V.

PRIMA hæc post regnum occupatum Elizabetham coquebat cura, extirpatio Catholici nominis ex tota Anglia; hanc illa cum paucis quibus intimè fidebat contulit, vt statueret, num manus operi esset illicò admouenda; an lentè in commodos differri articulos deberet, ne periculosè rei tantæ moles præcipitaretur. Sectas quidem, vt post videbimus, errorum omnium, & pestes in regno alebat, etiam apertè inuicem pugnantes, inimicas, factiosas prouocationibus, minis, tumultibus scindentes in opposita studia populum; impunè attamen, licenter, ac pro libidine; nullam earum exilio, nedum ferro, & macello damnauit. Religionem Catholicam, ferro, & igni aggressa est, expulit,

expulit, infectata est solam, esto afficta specie deformatam; re tamen vera quod sola cùm reliquis non posset concordior degere, quam cum mendacio veritas; sola esset Romano tàm sanctè addicta Pontifici, vt non posset ab eo seiungi, nec ferret mulier regnorum duorum Monarchiam ambiens, & æquè in animos vt in corpora dominari, suum illud semifictum, semiuacuæ coronæ ius, & Imperium diuidi.

Mutationem Religionis in oppositam repentinam, multa suadebant fore ambigui exitus, & calamitosam toti regno. Nam præter illud politicæ prudentiæ peccatum capitale, quod vitandum erat nouitiæ Principi, ne à primo statim regni exordio, nobilissimam proritaret, & potentissimam regni partem, quales tunc erant Catholici; omnes cum cleto antistites, Magistratus, & tribunalia, Prouinciarum Præsides, nobilium Ordines, magistri doctrinarum Cantabrigienses, & Oxonienses, iidemque auspices sapientiæ Londinensis; aduersus tot regni, tam sublimia capita mouere. Quid erat aliud nisi iusta omnium æterni & implacabilia odia inimicare in vnius caput, eáque conscientiæ naturali, diuino, ac supremo: iure, à quorumuis Principum legibus, & imperiis soluta, & libera. Ad hæc Elizabetham Clementis septimi iudicio spuriam, & quod consequens erat paterni sceptri spe legitima cassam; contra veto Mariam Stuart, Scotiæ Reginam, Henrici octaui proneptem, communione sanguinis regno propiorem, & ipsamet ab Elizabetha Francisco secundo Regis Galliæ, Henrici, filio desponsam, munitamque hoc ipso vtriusque armis ad causam eius propugnandam iam perstrepentibus. Tentatura hos obices nisi suo ingenti periculo non videbatur Elizabeth, alioqui suorum cum externis accensura consensiones clandestinas ad restituendam Catholicis Angliæ, Religionis antiquæ libertatem; & suam regno Scotiæ Reginam. Erant hæc fateor ab Catholicorum genio alieniſſima quos ipsi quoque Protestantes scribunt Elizabethæ tam se morigeros, & obsequentes præbuisse; quam hæreticos, Mariæ perduelles, & refractarios; & si annorum viginti supra centum gesta publica reuoluantur, clarum fiet à primis sub Henrico octauo turbinibus ad Carolum secundum Anglos Catholicos tametsi malè crudéque habitos, absque vlla comparatione fidelitatis erga Reges suos, & obedientiæ palmam', præ cunctis Protestantibus tulisse; hæc licet ita se haberent, illa nihilominus regni conseruandi Zelotypa cautio, cuius est proprium omnia in peius accipere, & futuri damni suspicionibu; velut oraculis, & certis agenda æstimare, pro solenni suo hæc debuit à Catholicis diu multumque offensis metuere. His tamen & aliis inuentu facilibus argumentis, portento par fuit, nihil apud illos secretioris consilij Senatores actum; licet ex necessario vtili ea peterentur, quæ sola ferme habentur legitimi ponderis. Vicit pars audendo felicior, quàm benè consulta decernendo. Mutandam in Anglia Religionis antiquæ fidem; & quicquid inde timeretur; iam tempus agi rem, nec vlterius differri, cæterum ex ea vt ominabantur, nihil posse nisi faustum, & lætum expectari. Tanti porro negotij ab ortu progressus, & exitus cum infinita clade rei

Catholicæ, Orthodoxi auctores, Guillelmo Cæcilio omnes attribuunt, tot Anglorum occultis, & editis libris decantato vt libenter de illo taceam. Protectori olim fuerat ab secretis, inde illicio fortunæ melioris, mancipauit se Duci Northumbriæ, Domini sui perdendi ministrum & socium. Fuitque huius operæ pretium, vt scriba euaderet, & consiliarius Regis Eduardi; quo breui extincto, prolixam & fidam operam Mariæ, ac Polo Cardinali, sed frustra detulit. Repulsusque se totum Elizabethæ dedit. Finxitque ad omnia illius obsequia & nutus; votorum suorum ambitum, expectationibus futuri timidis, iucertisque sustentans. Et vero ab iis adeò non procul aberrauit, vt earum quoque superauerit metas, & Elizabetha promouente, in gradus honorum conscenderit, alios aliis fructuosiores. Primo pupillorum arbiter constitutus, dein regni ærario Præfectus, tum Baro Burleyensis. periscelidis Eques, & omnia: *rerum enim summam illi quodammodo* commisit, vt quem nacta esset sibi vbique simillimum; nauis illa, is temo, sed ita prouidus, ad auertendam inuidiam odiosarum rerum, vt tanquam Poëta, in scenam abstrusus inuentorum suorum solos produceret actores, & executores. Quod fingi ab eo putabant Catholici frustrationes precum, quibus apud illum dum suas expostularent miserias; negabat se vel eas rescisse, nedum vt esset earum socius vel auctor: ex qua illius ingenij nocte ambigua vulgo ferebatur, alios verbis, factis Cæcilium solis attendere.

Hic ergo partem orbis Christiani tam illustrem, & tantam; sollicitaturus ad defectionem à Romana sede, prauitate magis ingenij quam rationibus vsus est; quanquam, & has quoque potentissimas adhibuit, vt conficeret non posse ab iis aliud decerni, qui saluum Elizabethæ regnum suum vellent, saluam regno quietem, & fidelitatem. Clementem septimum frequenti Senatu purpuratorum Patrum, de spuria eius & adulterina origine iam pronunciasse; negasséque Annam eius matrem fuisse cum Henrico legitimis nuptiis copulatam; quare hanc Rom. Pontificis agnoscere, profiteríque potestatem, idem fore vt sibi propriis manibus dereptam capiti coronam proiicere, vltroque se regno abdicare; rationis huius vim & pondus supra modum auxit, Pauli quarti recens pauciísque probata responsio, rogatus enim ab Elizabethæ, quem indicauimus legato, vt regni eius primordia precatione fausta dignaretur, negauit se posse successionem eius approbare, quæ & spuria esset, & in occupando regni throno, summi Pontificis anteuertisset suffragium. At si partium compromisso causæ arbiter poscceretur, in Elizabethæ gratiam omnia facturum. Iactam ergo iam, & victam aleam debere ab illa retrahi, & de integro mitti? Sceptrum, Regni totius communi assensu sibi iam traditum, disceptationibus credi Iurisperitorum? & donum agnosci Pontificis, quod pridem hæreditarium à patre accepisset? At enim præstare quis posset, Papam tantæ litis arbitrarium ac dominum iudicem, à Maria Stuarta, minimè pronuntiaturum? iustorum nempe ortu natalium illustri; Papæ addictissima & intima partibus; solenni Parisiis acclamatione,

ne,

ne, Regina Scotiæ, Angliæ, & Hiberniæ salutata; sua Romæ iura, Christianissimi Regis ardentibus studiis; apparatu armorum in Anglia fortiter propugnante? Pacem Regni, quod spectat, inani eius lactari dulcedine qui opinarentur posse ibi constare, vbi tot essent certò factiones, tot animorum & armorum pugnæ quot sectarum ritus. Sectas, de cætero, alias inter se discordes, haud tamen externo cum hoste conuenire; Catholicos foris habere cum quibus consilia misceant, Papam, Gallum, Hispanum. His si Papæ in mentem veniat Angliam suo excussam thiaræ, in prædam cedere primi occupantis, quid creditu, factúve proniùs, quàm certò & feliciter confecturos tantis in regno, & tàm potentibus Catholicorum fultos præsidiis? qui tantò procliuiùs ituri erant in nouum dominum, quantò libertatem Romanæ fidei optabant ardentiùs. Hæc Cæcilius, eiúsque confessores. Quæ prudenti ab iis meditatione concepta, & edita laudauit Elizabeth. Verum impar ipsa tantæ moli vertendæ, desperabat futurum vt Parlamentum sibi adiungeret, cuius ex quinque partibus, quatuor Catholicorum essent; Primaria maximè sanctorum Præsulum, & nobilium classis. Atque hic Cæcilius materiam nactus est artis suæ palmare specimen tàm perfecta vafritie exigendi vt posset in ea magister appellari.

Cartas inter fallaces quibus Elizabeth ludebat quoscumque libuisset, Priuatos, Principes, clientes, extraneos, fortunatior ei nulla fuit, conditione suarum nuptiarum, quas vt posset semper omnibus spondere, nemini vnquam obstringere voluit. Virgo eius candoris qui Deo notus est, contestata fuerat in regni aditu se titulum Virginis sepulchro illaturam; Regno dum coronaretur, tanquam sponso nupsisse; huic suos amores dicasse omnes; mortali nunquam fore obnoxios, sui tamen spem cum regno potiundi occupabat ad lucrum cum omnibus, quorum sibi putaret deceptionem profuturam, aspirabántque ad conditionis tantæ sortem non Angli modo, isque complures, sed & Suecia, Dania, Germania, Francia, nec in iis defuit qui sponsalitium etiam annulum ex ea referret, negabat enim tunc se posse, regni precibus obstare successione filij nasciturí spes suas alentis, alioqui se fore à coniugio alieniſſimam. Hi certè duarum vultus personarum, aptè in vnum compositi, dispensatíque mendacium, animo virginem, sponsam obedientia exhibens, Elizabethæ ingenio cessere percommodè, nam & licuit illi amores varios tractare, quod etsi virginem dedeceret, tolerabatur facilè in Regina nuptias meditante; & obsequia suorum, fidem, animos, seruitutem, nullo sumptu coempta in manu habuit; in rem suam vertenda si vsus poscceret; iis vero inter se vbi opus foret committendis, vel dissociandis, non plus esse cernebat negotij quàm in riualibus faciendis. Foris autem quis extra Angliam, mouere aliquid in Reginam vellet quam speraret vxorem, & cum ea regnum? Imo quis illi dubiis casibus, præsto non foret omni ope ad defensionem regni, quod cum ipsa ambiret? Ipsa interea dum se nulli addicit sua vnius est, nec domi admittere dominum

sustinet cum quo possessione regni salua, diuidat maiestatem, Rex semper simnl eadem & Regina. Et quanquam dulce est in posteris viuere, & in suo hærede regnare superstitem, sed arbitratur Elizabetha iucundiùs, vota omnia sua in se vnam referre, metúsque omnes secum absoluere. His rationibus suspensas diu nuptias, nunquam concluſit Elizabeth, nam illa nescio quæ ab iis diuersa quam profert externus historicus, ex iis reuincitur, quæ de Roberto Dudleyo supersunt. Iam rei cardo est prima nuptiarum quas inire fingebat promissio (veteratorium Cæcilij inuentum) quàm indignis modis Parlamentum ei obstrinxerit, in pernitiem rei Catholicæ.

Duos mente signarat Cæcilius, quorum erat maior, & potentior factio, in prima classe Parlamenti, (quam altam, & Patium nominant) in hac sedent Episcopi, & præcipui Abbatum; Duces, & certus Baronum numerus. Classem alteram componunt, Bassæ Cameræ appellatione, viri primarij, nobiles, ciues, sua quique insignes peculiari dignitate. Prouinciarum, & vrbium populos hæc refert, eásque vniuersitates quibus id ius prærogatiuum concesserit. Harum suffragiis classium, vbi, quæ Regis est tertia accedit, acta res est, & peruicta causa, & regni totius statutum censetur comitiis, quod pro Parlamenti lege & Decreto vulgatur. Quos dixi putasse Cæcilium suis captationibus dociles, fuere Comes Princeps Parlamenti, & potentissimus in regno Dux; ambo nuper vxore orbati; Dux sæuo in Pontificem odio, Reginæ amore Comes ardens; iratus ille, & moras pertæsus matrimonij contrahendi, quod pridem cum proxima sanguine Romæ petierat; hic magnarum rerum agitator, non timidè Reginæ nuptias ambiturus. Sibi Cæcilius iam consuluerat, eíque persimilis Nicolaus Baconus, iuris Anglicani peritia celebris. Hos inter se vxorum cognatio, nam sorores erant, & impotens ambitus, amicitia, & studiis iunxerant, fulciebántque se mutuis inuicem ad honores, opesque officiis. Rati ergo vtraque sibi apud Reginam prona obtentu fore, si Parlamenti animos in eius consilia, & desideria flexissent; aggrediuntur Baconus Ducem, Cecilius Comitem; nec fuit Bacono difficile conceptam Ducis indignationem aduersus Pontificem & Romam vehementius inflammare. Laudando prouidum Henrici octaui & sapiens factum, in excutiendo ab regni ceruicibus illorum iugo, Nec disparem fore Elizabeth gloriam, si restitueretur à Parlamento in iura hæreditaria, quibus illi à patre relictis, non potuerat Maria, cum suo, & Angliæ damno seipsam exuere, & Anglicanæ Ecclesiæ diadema vltro sibi de capite demere. Hoc si resumeret Elizabeth quid opus deinceps adgeniculari, supplicare, & magnis impensis, cum consanguinea nuptias emere: sic iste cum Duce. Quem ira præceps, & rerum suarum rationibus implicitus animus ita excæcauit, vt promitteret se nihil omissurum quò à Parlamento Regina Elizabeth, in pristinam restitueretur potestatem.

Alterum spes tam impatiens, & vecors inuasit vt motus cerebro, nisi post longam insaniam non resipuerit, & damno quidem, quàm lucro maiori.

iori. Huic Cæcilius, à se demonstrauit Reginam eius amore captam, & merito, vt cui parem Anglia non haberet. Non posse illam obitare Parlamento à quo esset proximè roganda, vt matrem Regis anteponeret Virgini; Regno post illam, & in votis, & necessarium Regem esse; priuatam decere virginitatis decus; Reginam maius communis boni, quàm priuati studium, & ardorem. Se quidem illi pro ea quam nouerat teneritate amoris regij erga illum, certo posse spondere, si quo illam insigni demereretur obsequio, aut nunquam mortali aut ipsi nupturam. Porrò illud insigne, ac palmare, tùm per se, suóque pretio, tùm Reginæ ipsius æstimatione, excellentius nullum fore, quàm si ex dimidio Regina reuocaretur in integrum, & diuisum cum Papa imperium, solidum ipsa reciperet, & ex nullius arbitrio suspensum, poneret ille quam gerebat Catholici speciem, Maria regnante laudatam, & necessariam; tunc sub Elizabeth à conditione temporum alienam. Posse illum si vellet à Parlamento obtinere, vt Elizabethæ redderetur honos quem à Patre ac fratre Regibus accepisset, & reponeretur illius capiti corona Ecclesiæ Anglicanæ, cuius tantæ machinationis ne pauenda statim specie terreretur, addebat non vltra id exigi quàm imperaret necessitas stabiliendi Elizabethæ regni, quod illi Maria, & arma Galliæ contendebant. Possessione regni solidè firmata, nascitura, vt solent ex aliis alia, & tempus quo reguntur cuncta, rebus nouis noua consilia daturum.

Elizabetham Parlamentum, Ecclesiæ caput in Anglia statuit. Dux & Comes miserè pereunt. Decreti formula.

CAPVT VI.

Ingvas hi duo Consiliarij sceleſtissimo omnium Dæmoni commodarunt; qui simul & nouis aduersus Pontificem venenis, Ducis animum incendit, simul Comitis caput hymenei regalis vesana fiducia fascinauit; vtrumque furiis concepti ambitus eò egit vt fidem obstringerent, Reginæ gratia omnia facturos, & dignitatis eius negotium modis omnibus prouecturos, quod reipsa quoque quàm promisso, & verbis cumulatiùs præstitere. Vocatis in Parlamentum Comitiis, prodit cum his duobus Cæcilius ad expugnandas voluntates, & extorquenda suffragia primarum classium, suadendo, terrendo, supplicando, promittendo, prout quisque admotis habili fraude præsidiis cessurus facilius videbatur, & opportunior captui futurus. Responsa tulere partim ambigua, partim clara; negare alij apertè ac liberè;

alij vltrò ne rogati quidem promittere; quidam necessitatem opinandi velle, absentia vitare; nonnulli obstare nemini, & tacere, pauci cum Ministris Reginæ; cum pluribus alij sentire.

Animis ita comparatis Parlamentum coït die Martij decimo octauo, anni 1559. de mutanda in regno Angliæ religione Catholica, vel retinenda proponitur, & vincit pars mutandam affirmans; haud quidem, vt somniat Camdenus Elizabethæ historicus, & Cæcilij sectator, quod duobus exceptis laicis, Romanam fidem cœteri damnassent; cùm è contrariò, schismatica factio, non plus tribus suffragiis aliam superarit, hoc tamen tantulo auctior numero causam abstulerit. Egere pro fide Catholica ad inferiorem Parlamenti classem Ioannes Storyus iuris vtriusque doctissimus; in superiori, Salopiæ Comes; Baro Guilelmus Dacres à Ghislandia, Montis acuti Vice-Comes Antonius Brovvnus, ex Lancastri familia Regia, olim Romæ pro Maria legatus, magnis vir in Christianam rem meritis, & cum vxore Magdalena sanctissima femina æternùm memorandus. E piscopos cum plures Anglia vel quatuordecim non haberet, vt scribit Camdenus, aut septemdecim vt Stovvs, lachrimabili Parlamento, interfuere ex iis tantùm nouem, & Vvestminterij Abbas, quos excludere ab eo Regina non valuit, vidítque ipsamet fœda ministeria dedignatos, ab sacrilegi Edicti confirmatione manus auertere & sacrum illi Chirographum negare.

Erat autem Edicti sententia, Elizabetham Angliæ Reginam, supremam esse gubernatricem eius Ecclesiæ, obtinere in ea cum imperio potestatem, ex Dei vnius, nullius præterea, iure nutúque aptam, ordinandi, statuendíque arbitratu suo, de rebus, causis, & personis Ecclesiasticis, ad hæc lustrandi Ecclesias; corrigendi & reformandi Cleri; spirituales decidendi causas; hæreses extirpandi, schismata, superstitiones, & abusus. Nefas Episcopum nisi ab ea probatum consecrari; nefas Ecclesiasticum aut laicum, cuiuscumque gradus, & conditionis, illius iniussu, Concilia, dietas, colloquia, aut cuiuscumque alterius nominis consessus acturos de religione extra regnum adire; sed credendi in Anglia, & agendi, statuendas ipsa in Anglia regulas. Postremo huius decreti vim à Parlamento constituti, & potestatem Elizabeth Reginæ in spiritualibus attributam, Regibus Angliæ in futurum fore perpetuam, itáque integram, vt nec Romæ, nec Papæ plus sit exin iuris in Anglia, quàm extraneorum cuilibet Principum; iurandi post hæc in verba Decreti condita formula conditiones distinxit personarum, quæ iurare in illud iuberentur; & pœnas detrectantibus posuit. Hoc modo caput Ecclesiæ Anglicanæ quod sibi primùm Henricus octauus arrogarat, à viro in puerum nouennem Eduardum breui post decreuit, tertio demum in femina dedecoratum est, magno Catholicorum luctu, diris omnibus, ipso quoque teste Elizabethæ chronographo, deuouentium fraudem Cæcilij qui suis artibus duos illos Parlamenti Principes incantarat ad circumagenda in ruinam Angliæ eius suffragia.

At enim quàm certa & sincera emptos promissorum magnificentia, quàm condigno auctos, & grandi præmio, præstat in re præsenti dicere, quàm molesta dilatione lectorem ducere. Comes igitur & sanguine, & supremarum titulis ditionum, treceptis ab annis familiam nobilitantibus, sublimis, & potens, Coronæ Angliæ spebus morosis dementatus, magnificentia Regia, Regem agere anteuertit, & immanitate sumptuum Reginæ oculos pascere, ne digniorem se maritum crederet: illa profusiones hominis simplicis diu laudans, gaudénsque damnis eius vti, sustentauit incertum & anxium, quoad ferè accisis opibus, cœpit quasi vnum de multis respicere, iámque non iis vt olim oculis, sed prope ignotum neglectim præterire. Hic ille se colligens, & gemens vel inopinatæ despicientiæ, vel despiciendæ iam fortunæ lento magis dolore, quàm morbo contabuit. Præcesserat Dux ante annos octo, & proditione callida viri præpotentis lubrico implexus negotio, dum se parùm purgat, sententia Parium perduellij damnatus fuerat, raptandus ad furcam per mediam Londinum suspendendus & quadratim secandus. Hanc illi Regina gratiam retulit, vt laqueum moriens securi mutaret, & huc immensa Baconi promissa exiere. Mira quædam superfunt in hoc decreto obseruanda, quo prioribus his Regni Comitiis proscripta est fides Catholica. Primum sacris de rebus & religione instituta cùm esset deliberatio, sacrorum Præsulum nullam esse habitam rationem, sed spretis eorum pro iusto & vero sententiis, deteriorem vicisse partem, laïcorum fultam suffragiis, stabilitúmque Parlamenti consulto, quod decerni auctoritate Concilij non posset. Alterum proceres nobilitatis primariæ, immunes fore à præstatione iuramenti, quod in verba Decreti poscebatur, ídque cum iis petentibus Cæcilium antea pepigisse, vt eos haberet ad consiliorum suorum libidines nutúmque morigeros, sanctissimas scilicet, & intaminatæ conscientiæ animas, quæ religioni ducerent onus sacrilegum in se suscipere quod tori Regno impósitum vellent. Tertium laïcos prærogatiuum hoc sibi sepositisse ius, exclusis Episcopis, quos commune illud & nefarium iusiurandum obstringebat ad professionem rebellionis sacrilegæ, & ad Elizabetham pro suo capite, Domina, & Christi vicaria adorandam. Adde quod posteris, primæ notæ tunc scriptor tradidit, vt ante annos viginti tres, cùm Henricus octauus Parlamenti assensu religiosos deglubere t, & ingurgitaret se opulentissimis cœnobiorum bonis, quæ auorum pietas, plus mille fundauerat, Episcoporum fuit nemo quem illa eorum calamitas tangeret, nemo cui verbum aut vocem exprimeret; ita nunc laïcis in rem suam vnicè intentis, desertos ab iis fuisse Episcopos, obiectósque in posterum carceri, & destitutioni suarum sedium, suæ quidem ingenti constantiæ laude aduersus Ecclesiam Rom.

Sed gregum suorum incomparabili detrimento. Quos alienæ intrusorum dilacerabant manus. Postremò quod caput Ecclesiæ Elizabetha dici refugerit, & modestiore in speciem titulo appellata sit Gubernatrix; consilium fuit malignæ mentis & timidæ; mitiùs ad aures populi venturum

putauit Gubernatricis nomen quàm capitis, quod postea interpretamentum toto regno iuridicè sparsit. Interea illi plus aliquanto, quàm speraſſet, moderatiùs vocabulum contulit, nam qui à femina Ecclesiæ capite, velut à monstro refugissent, Gubernatricem facilè tolerarunt, interpretati Præfectam executioni rerum ad Deum spectantium, quod præter pronas in eam verbi notitiam, & sui deceptionem mentes, etiam aliqui tanquam profuturam religioni dignitatem, clausis oculis iurati admiserunt.

Episcopi Catholici disputare coguntur cum Protestantibus. Constantes in fide ærumnoso carceri mancipantur. Sacrificium Missæ exterminatur. Noua fingitur species Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Hæreticorum externorum quos Maria damnarat, monumenta & ossa, iubet Elizabetha honorari.

CAPVT VII.

NOn fuit deinceps occupatis Ecclesiæ portis, diu Elizabethæ laborandum, vt reliqua omnia in arbitrium suum redigeret. Nec morari torrentem valuit, magnorum antistitum libertas animosa, quam sua cuique tum virtus, tum officiis sanctitas inuictã suggerebat; quin & ipsos illorum conatus in eos vertere, aut ipsa, aut Cæcilius cogitauit & doloso commento fucum facere populis, & æquitatis nonnulla specie iustas Episcoporum querelas distinere; ire interea quà cœptum, & nouæ Religionis cursum ad metam propellere. Eam ob rem missa prouocatione, accersuntur ad Romanam fidem coram populo propugnandam, pari ex aduerso Theologorum numero Religionem Parlamenti ac Reginæ suis rationibus defensuro. Prouocationem fraudulentam sapienti responso ludunt Episcopi, quærunt quo iudice disputaturi sint? nominatur ille quem nominauimus paulo ante Nicolaus Baconus, homo laicus, Reginæ mancipium, Cæcilij dimidium, quantò ciuilium doctior, tantò diuinorum, & Theologiæ rudior, hic inquam, in tanta ac tam graui causa decretorius dabatur iudex. Quæ porro firmitas, quæ securitas credendorum, si decernant illa etiam laici, & salutis æternæ fundamentum suo arbitrio statuant? Præterea cum Parlamenti lex non possit, nisi ab ipsomet rescindi Parlamento;

Parlamento ; cui bono vel ſpei diſputatio hæc ? experta denique ſub Regibus Anglia liquido comperit , de Religione cùm agitur , quò Reges inclinant , eò ſecum aulam rapere vniuerſam ; qui ſperant aliquid aut timent, omnes vltro ſequi. Hæc antiſtites ſapienter , at fruſtra. Coguntur enim Bacono Præſide reiectam obire prouocationem , in qua nihil equidem reipſa actum eſt , ſed hoc ipſum nihil fuit voti ſumma quòd hinc petebatur, aduerſarij victoria tumidi, qua non exciderant ; nec enim fuerat diſputatum ; ex confeſſu illo prodiere. Antiſtites paulo poſt iurare iuſſi Elizabetham Eccleſiarum ſuarum gubernatricem eſſe, auerſatique nefarium iuramentum, in turrim Londini coniecti ſunt , poſt lentis ærumnis , & mutato ſubinde in peius carcere, ſitu, fame, graueolentia , omníque barbarie, omnes ad vnum necati ſunt. Et hinc primùm adnotemus licet impudentiam ſcriptorum venalium , qui Elizabetham Ἀναμάρτητον Principem nobis deprædicant , quam illa gloriam in publicis quoque edictionibus ſibi attribuit , nihil æquè deuitans vt notam crudelis , & ſanguinariæ, profeſſaque ſe fidem Catholicam minimè inſectari ; & ad eam eiurandam , morte aut moleſtiis egiſſe neminem. Et Cæcilius libro cui nomen eſt *Executio Iuſtitiæ Britannicæ* (ſi verè libri auctorem faciunt, qui eum ſcriptis contrariis arguunt) multum ſudat , vt hanc modo credibilem faciat Elizabethæ clementiam. Verum in præſenti Epiſcoporum cauſa par teſtium breuiter audiatur , qui & eius fuere ſpectatores, & à me citantur cò libentiùs quò ex ore quoque aduerſariorum conſtare certiùs veritas creditur. Et fuere ſecta Proteſtantes , & Elizabethæ non magis Hiſtorici quam adulatores , Holinshedius , & Stouus. Anno inquiunt Elizabethæ primo & menſe Iulio, Nicolaus Hethon Archiepiſcopus Yorkenſis ; cum Elyenſi Londinenſi, aliiſque numero tredecim aut quatuordecim accerſiti apud conſilium Regium , ob recuſatum de Primatu Eccleſiaſtico Reginæ, aliiſque de Religione articulis Iuramentum ; diœceſibus ſuis exuti ſunt ; ſuis item officiis , & dignitatibus, Decani, Archidiaconi , Rectores , Vicarij , cœterique de clero permulti , qui beneficiis ſpoliati , diuerſis in locis carcere clauſi ſunt. Ita quidem illi , ſed his addendum eſt, viuum inde exiſſe neminem ; breuem iis, & promptum carnificis ictum, quotidianis , & lentis mortibus mutatum, quibus denique exhauſti perierunt. Poſt hæc vt vltimam perdendæ illi Eccleſiæ manum imponeret Regina cum ſuo ad latus conſiliorum architecto Cæcilio , feſtinandam ſtatuit ſed lentè vt inter medios progreſſus, duorum aut trium menſium interiiceretur velut iuſtitium. Fore alioqui violentum & intolerandum , gentem regni totius eò adigere, vt pridie ac retro ſemper Catholica, hæreſim iuraret poſtridie ; recuſans , & deſperabunda, libertatem, & conſcientiam armis defenderet. Futurum tutius, & moderatius , ſi ſenſim venenum interpunctis aliquo ſpatio hauſtibus biberet,& errorum articulos in diem ſingulos,priorum oblitus duceret. Menſe igitur altero poſt illam Epiſcoporum prouocationem , edicto nouo Elizabeth auguſtiſſimum miſſæ ſacrificium , à die B. Præcurſoris toto regno in perpetuum proſcribit , etiam domi, & priuatim ; pœna ſi qui de-

prehenderentur celebranti adesse semestris carceris, aut nummorum viginti; dupla si secundùm interciperentur. Perpetui carceris, & bonorum omnium iactura si tertiùm. Proximo inde anno clerum ipsa per se se Reformatrix obit, Reformationis typus fuit exauctorare Romanos sacerdotes, & suis Ecclesiis pellere. Vacillantes punire, grauius, leuius, prout plus minùs rei essent retinuisse de antiqua, & Catholica fide; cumque sacrificio sublato, & reliquis omnibus diuini cultus insignibus, deinceps templa, nisi à vilissimo popello minimè adirentur, sanxit lege recenti, & pœnis grauibus diuinorum seuera rituum æmulatrix, frequentari debere ab omnibus; debere omnes cœnæ interesse quæ missæ electæ succedissent; verbum Dei audire, hoc est prædicantium streperas, & maledicas conciones, de quibus alias, vbi de dedititiis, & renuentibus, quas in partes sciss bifariam, & altercantes Catholici, multam de se vtrimque loquendi materiam & scribendi dedere.

Constabat Religionis huius forma recens quoad dogma, & Ritus, ex Calvino simul & Luthero, ex vtroque vero tertium quoddam mixtum conflaturæ politicæ subtilis, & mirabiliter eliquatæ. Colligandis enim inter se pugnantibus & contemperando etiam aduerso in omnibus illorum genio, præterquam in odio fidei Romanæ; id cautum est ne temporario in regno, duo essent regna spiritualia, non dissimili periculo, ac si corpus vnum duo animi possideant, & regant. Vtrisque igitur de suo aliquid dantibus mutuo, & capientibus, vnum ex duobus fiebat pacificum, & tranquillum imperium; sed dandum pariter, & accipiendum, iustamque vtriusque mensuram, non tam arbitrabatur Parlamentum quam definiebat pro potestate, & tanquam iudex assignabat, ex quo noua illa Religio parlamentaria dicta est, Protestantium scilicet Calvinizatorum (liceat ita intelligi) seu mollium Calvinianorum; quod enim interius premebatur, Calvini erat; quod sub oculos cadebat, totum prope Lutheri; hinc scenæ & oculis seruiens, cuiusdam in clero imago Hierarchiæ; ex Archiepiscopis, & Episcopis adumbrata, (quibus sua seorsum consecrandis descripta est inaugurationis forma) Abbatibus item, omníque alia inferiori dignitate; vestium cultum, modumque præsulibus, & clericis, assignauit Regina quibus in posterum secernerentur à laicis quorum antea profano habitu incedebant. Sub hæc etiam Presbyteros vetuit malæ famæ vxores ducere; analecta enim plebeiarum libidinum, miseri colligebant, nec erant vlli adeò excordes, vt cognatas sanguine, vel affines fieri sustinerent Presbyterorum concubinas, & matres spuriorum. Idcirco Regina, cùm prohibuisset, meritorias ab iis accipi, eorum filios decreuit, thori legitimi partus habitum iri, foreque legitimos.

Oxonij sepulta fuerat digna Petro martyre concubina, parthenonis & ipsa, desertrix sacrilega, vt ille cœnobij. Eius ossa refodi iusserat Maria, & sterquilinio, vt par erat condi. Nunc æmulo planè sanctitatis & virginitatis in Elizabethæ ingenio, requisita sunt inter sordes sterquilinij publici, quarum fœdissima pars erant, & incredibili studio inuenta, purgata, lota; in thecam

thecam eandem reponuntur, in qua S. Frisunidæ reliquiæ colebantur, & cum his adeò confusa, vt nulla vnquam possent diligentia secerni; claditur loculus, & cubitalibus literis hoc epitaphio decoratur *Hic iacet Religio cum superstitione.* Meliori titulo meretici, hæretici pessimi concubinæ; pro! nefas deteriori, ancillæ Christi sanctissimæ virgini attributo. Magis pia videri voluit in Cantabrigia, parente altera scientiarum in Anglia. Illic obierant Bucerus & Paulus Fagius, è Germania acciti, vt de celsitate illius cathedræ pestem suam vniuersæ Angliæ afflarent. Bucerus à Christo, & cœnobio transfuga; inde Lutheranus, dum res, & tempus fauit; mox spreto magistro, & Zuinglij totus, & ob eam causam à Luthero, pro Iuda proditore, & Absalone, notatus, & habitus, postmodum tamen denuo Lutheranus. Stirpe tandem Hebræus professione Christianus, ex vtroque tertium conflauit, ignotum cuiusmodi? nisi quod dici de illo potest quod de se ludebat Elizabethæ primarius aulicus, qui duarum simul vxorum maritus alteram vocabat Synagogam, Ecclesiam alteram; sic vero sibi vtramque iunxisse, vt essent tamen inuicem disiunctæ. Hunc ergo & Fagium, desertorum par execrabile condigno post funus, Maria sepulchro affecerat, nempe ossa comburi, ossium cinerem tradi ventis mandarat. Elizabetha illorum memoriam & nomen (nullæ enim ipsorum quas coleret restabant reliquiæ) in fastos ad trigesimum Iulij retulit. Quo die certatim alij sanctimoniam vitæ facinorosissimæ in Cœlum efferre; sapientiam alij, furiosi & docti erroris; Scripturæ, Conciliis, Patribus, vniuersæque Ecclesiæ præfractè impudenterque præferre. Quas in laudum Chimeras, & coronamenta nequitiæ ingeniorum suorum florem Cantabrigia exhausit.

Discordiæ inter Protestantes molles, & Rigidos. Institutum Calviniſmi Puri. Sectarum interitus, & ortus pro cuiusque commodo, & vsu facilis.

CAPVT VIII.

SVDAVIT suo cum Cæcilio Regina cassis conatibus ad coagmẽtandum Religionis tertiæ simulachrum ex duabus quæ dominabantur in Anglia; durarunt illic eorum ingratiis, præter fidem Ro. sacrosanctam, sectæ illæ duæ Calviniſtarum mollium hoc est Luthero mixtorum; & Rigidorum, hoc est vtrouis inflexorum, præterquam in merum Caluiniſmum Theodori Bezæ opera, seuerioribus adstrictum dogmatis; ex quo illa rei cuiuslibet piæ, velut impietatis proscriptio, & de-

testatio; legum, consuetudinum, traditionis, & styli Romani: procul exinde Religionis vniuersale, ac supremum caput, procul diuina officia, templa, consecrationes, altaria; procul Episcopi, Sacerdotes, & quicquid cleri est; ne vestimenta quidem, nec immunitates, nec bona Ministris Ecclesiæ dicata, & quicquid demum articulis centum quadraginta distinctè comprehensum Caluinistis Parlamentariis seu mollibus obiecerunt, reósque propterea, hæresis, scandali, & superstitionis, libro acerbissimo traduxerunt; sectam illorum Minotaurum & chimeram vocarunt; diuinam ob articulos Euangelij puri, & sinceras Caluini explicationes; ob quædam ethnicos, & Romanos vsus, olentia belluinam. Continuò itaque inter se dimicare, mordere inuicem canina rabie, & lacerare modis immanibus, quos coniicias abundè ex historia sacramentaria Hospiniani hæretici, & Apologia Protestantium pro fide Catholica (cuiuis hæreticorum sectæ, ineluctabili) vbi tot eorum Polemica censentur & cruenta scripta, mutuis se vulneribus conficientium vt iustæ possint bibliothecæ sufficere, eorum tamen quæ postea in hunc diem elaborata sunt, vix tertiam partem effecerint.

Puritanorum vocabulo se iactat hæc lues, quod præter Caluinum nihil admittant, purum ac putum, toti ab se, ac sui, mortalibus reliquis ob hoc diuiniores, & infensi, quod aliter ab iis sentiant, sintque suo illo in sensu rigidi, nec minus alter alteri consertus, quàm scuta fusilia Behemot. Cæterum Regibus, Dominis, & Monarchico cuivis Imperio, ciuili & sacro iurati hostes, ac si possint etiam euersores. *Præclara sanè laus*, scribit de iis Rex Iacobus, *præclarum encomium, quo Puritanos ornauit: cum me plus fidei, vel in illis efferis, cùm montanis, tùm limitaneis latronibus quàm in hoc genere hominum inuenisse professus sum.* Quod quanto iure sentiret ac scriberet, clariùs indicans; *Ego*, inquit, *à Puritanis non solùm à natiuitate continuò vexatus fui, verum etiam in ipso matris vtero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem.* Nempe illorum est dogma proprium, Dominationem odisse omnem, ac si prævaleant, de medio tollere: dignitates, diuitias, honores, naturæ instinctu ad omnes spectare, & æquali iure, esse cuique communia; cuique ex æquo diuidenda. Dei esse solius in mortales omnes imperium; hoc sibi ab iis vsurpari, qui sibi æqualibus dominantur, tyrannum, & principem, rei eiusdem esse vocabulum duplex, occupati scilicet alieni, & ex damnis communibus, priuatum in bonum translati. In bonis animi, & beneficiis diurnis, diuerso modo res habere, quantum ad sanctas verè sentiendi, & rectè viuendi regulas, Concilia omnia, Patres omnes, & quicquid vsquam Theologorum est, scintillam lucis non habere, præ caupone, sutore, lotrice, dumtaxat si sint Puritani, legántque, vel audiant diuinam scripturam, vernaculo redditam, cuius nudo & sicco textui sic attendunt, vt nihil putent Deum aliud dicere, quàm quod per se quisque se capere, & intelligere somniat. Ita quidem sibi, quisque idem magister, idémque discipulus. Sed capere nequeo, ex multorum inter se dissensionibus, quo pacto non

non inferunt, si vni verum dicant, alios necessariò errare.

Constat præter hæc, angusto limite ab Ario, diuidi Puritanos, imo & *Caluinum Iudaïzantem*, quo indice librum edidit Ægidius Hunnius Lutheranus Vvitembergæ Professor primarius, quo demonstrat Arium & Caluinum, adeò non esse diuersos, vt vnum etiam planè sint, in destruenda Augustissima Trinitate, & magna Synodo Nicæna. Osiander autem vulgauit epistolam, quam Adamus Neuserus scelerosissimus Caluini assecla, Hidelbergæ olim vt vocitant Pastor, ad Gerlachium Protestantem Constantinopoli scripserat, vbi circumcisus, iámque Mahometis; fatetur sibi compertum neminem, transisse ad Arrium, quin prius fuisset Caluinista; quadam enim vtrumque conditione symbola inter se copulari, vt esset facilis ab vno in aliud transcursus. Profertque nonnullos celebrioris famæ, vltro memoriæ obuios in multo plurium exemplum quos omittit.

Nec est hic vltimus ad priora, Puritanorum gradus, itur hinc plus vltra in Libertinorum sectam (nomen hoc latinitas, vulgari condonet intelligentiæ) vbi enim docetur Iudæ proditio, non minus esse ex Decreto Dei quam Pauli conuersio; nec efficacia minori, damnationem improborum Deus velle, quàm salutem bonorum, nec posse arbitrij libertate antecedentis causæ necessitatem expugnari, sequitur illico cedendum malis quæ non possunt vitari, & religione conscientiæ proiecta, viuendum ea libertate quæ nullam permittit, aliter viuendi libertatem. Sic planè Rigidus Caluinista, in mollem exit Epicurum; & purus ille ac merus spiritus in carnem impuram, & flagitiosam, vtrumque verò in ἀσέλγειαν. hæc paulo fortasse fusiùs, ne agens de præstantissima natione, omníque humanitatis genere præ aliis exculta, viderer idcirco incredibilia narrare de vexationibus nostrorum Sacerdotum & Catholicorum, quod essent ab ea clementia & humanitate alieniſſimæ, nisi præmitterem Caluinismo, præsertim puro innatam rabiem ad omnes eximiæ indolis corrumpendas, & perdendas dotes; proinq illi tanquam phrenetico, & arreptitio tribuendum quicquid illic in perniciem sanctissimæ fidei motum; quicquid in Sacerdotes immaniter crudelitérque consceitum est.

Si tamen vltrò proferre liceat, quod me rerum cursus, & distincta illius obseruatio docuit, sacrarum potissimum, ex quo illas euertit Henricus octauus, animaduerto summum sectarum omnium, & generale caput aliud non fuisse præter vtilis rationem. Huic omnes vndecumque essent obtemperasse sectas, omnes ab hac vara, & plumbea regula, aptas fuisse de religione, & aduersus religionem, leges, decreta, mutationes, & sycophantias fictarum coniurationum ad euertendos iuridicè insontes Catholicos. Illam item doctrinæ concionando pugnantiam, ipsúmque sibi aduersantem Deum, verbis eius in fines detortis contrarios, & professiones fidei mutatas crebrius vnam habuisse principem omnium, & supremam causam, lucrum, & vtile. Ad hoc vultus diuersos, & habitus, velut à Comædis in scena mutatos, vt personarum quæ tunc agebantur, exigebant partes, & commoda. Non erit opinor iniucundum,

pauca quædam ex multis audire, quæ P. Ioannes Oglebyus Scotus, vel vt alij efferunt Ogilbeus Puritanis Episcopis exprobrauit, cùm de illo ad mortem damnando cognoscerent, quam pro fide tandem Catholica feliciter subiit.

Ostentabat se mihi, inquit, Andreas Knoxius Episcopus Insularum, quod vt poteram ego, posset ipse quoque diuina celebrare; quæsiui an esset Sacerdos: neganti aio, nec ergo Episcopus, nec potestate præditus, ad Missam celebrandam. Ille sermonem odiosum aliò deflectens; intulit si inducerem animum ad abiicienda hominum inuenta (hoc est quicquid inter Catholicos ab eorum hæresi discrepat) & religionem susciperem ab Apostolis traditam, quam profitentur Caluinistæ, fore vt pro animi celsitate, & firmitate iudicij qua valebam dignis augerer commoditatibus. Vestra, inquam, religio recens, & noua est. Vix decennium ætatis numerat. Me puero apud vos, dogma fidei erat inuiolabile; Ecclesiam in terris. Caput Visibile non habere, Christi vnius esse hunc titulum, nefas esse à quoquam sibi arrogari; nunc omnes & lingua & chirographo iuratis, Regem nostræ Britanniæ, eius quoque Ecclesiæ caput esse, cùm foret ab ipso te contrarium paulo ante, iure iureiurando & subscriptione confirmatum, reo planè culpæ quam notat Apostolus, *si quæ destruxi iterum hæc ædifico, prænaricatorem me constituo.* Pasieti nuper, tumultuabare expulpito, in Episcopatum, conteſtatus quoque, qui consecraretur Episcopus, missum iri à te palam in malam rem, & dignum fore qui conputaretur, atqui duabus inde non plus hebdomadis Episcopus appares, nec Episcopatu contentus Insularum, pinguiorem alterum in Hibernia iniuisti. Librum misit in lucem Guillelmus Andreas Couperus, ad abolendam ex hominibus Episcoporum dignitatem; at ecce idemmet Galluuayensis Episcopus triumphat. Ecquid omnes Scoti Prædicantes, in solenni consessu iurati subscripsistis, abominandum esse officium, & nomen Episcopi, nec in Ecclesia tolerandum? sam hic mihi dicite, sit ne hoc, teste Apostolo præuaricari, an non? respondentibus nequaquam; sibi enim prius non tam perspicuè de veritate constitisse, post autem vidisse alia quæ ante non viderant. Prorsus, inquam, vt dicitis, & multo alia vidistis Episcopi, reditus scilicet multorum millium nummorum, cum Prædicantibus ægrè centum darentur. Hæc sunt quæ antea inuisa nunc dilucidè videtis. Secutúsque illos vrgere, reuincere, factísque illorum propriis damnare, luce clarius demonstrauit quæ fide diuina, credenda statuerant, & certis, nec vllum, vt aiebant dubitationis effugium relinquentibus scripturis stabilierant, Rege pòst paulum aliud volente, fuisse pro falsis definita, metu & auaritia suadente, qui vnus est isque Decumanus Religionis & lucri cardo, & pro nefaria hæresi damnante, quod pro sacrosanctæ fidei Canone multis retro annis fuerat adoratum.

Mitigari

Mitigare Catholicis Elizabetham contendunt Principes. Exasperatur magis eorum precibus. Excommunicatur à Pio V. & Regno deponitur, exitu infelici.

CAPVT IX.

POST illa quæ censui, meo instituto necessario præmittenda, omitti non debent magna sed vana officia quibus Reges, ipséque Imperator Elizabetham Catholicis placare studuerunt, impetraréque iis templum vbi diuina peragerent, titu quem solum tot sæculis Angliæ vsus coluerat, scilicet Romano; vna fuit illius ad omnes, concisa, austera, rationibus amaris condita negatio; nec publici bono, nec dignitati suæ conuenire, ac vt maximè conueniret, vetari se conscientiæ legibus & reniſu. Religionis nouæ formam non esse excogitatam in Anglia, sed ex veteri instauratam, quam instituisset Christus, docuissent Apostoli, primigenia Ecclesia, primi eius parentes, & Doctores tenuissent, scriptísque consignassent. Sic illa. Nec mitius aliquid ab ea obtinuit Pius IV. amantissimis quibus eam conuenit, & sanctissimis literis, incertúmque an iis responderit. Abbatem Martinengum Pontificis nomine rogaturum, vt suos Tridentum ad Synodum Theologos mitteret, aditu regni prohibuit, quin & velut in grande Pontificis dedecus, & Rom. contemptum Ecclesiæ, & Synodi quoddam ludibrium etiamtum sedentis, Regni comitia in Parlamentum cogit, vbi iubet decerni, reos fore violatæ maiestatis si quibus tertiùm dicere excidisset aliam in terris esse potestatem, superiorem imperio, quo spiritali ac supremo pollebat in Anglia. 1560. 1561. 1563. lanua. 25 Feb. ann. 1569.

Crebrescentibus in deterius malis Pius V. sanctissimus Pontifex ne remediis deesset quæ postrema tunc posci videbantur, ferro admouit sacram manum, anno sesquimillesimo sexagesimo nono; Elizabetham solenni diplomate denuntiauit hæreticam; à communione fidelium extorrem; & omni dominio, dignitate, ac prærogatiuo priuatam iure; solutísque fidelitatis sacramento ipsius populis, anathematis pœna sanxit ne quis illi obedientiam præstaret. Nouum Reginæ ac regni primoribus, profundi furoris, & suspicionum inextricabilium argumentum; iis potissimum ex causis ob quas rumor ferebat Pontificem iurata in Reginam fide subiectos ei populos soluisse; causas illas haud suo quàm verè, aut cui bono, à quodam editas qui vitam scripsit Pontificis, in Elizabetham suam transtulit

ann. Camdenus cum subiunctis quæ ibidem leguntur notis.

1572. Sed earum in præsens, & siniſtri euentus, & multi, & in Religionis perniciem quotidie peiores. Eius enim primum vexatio sæuum in modum increduit, & quod antea dissimulabatur, aut leuioribus inhibebatur pœnis; in crimen euasit sanguine luendum, & Religionis dissensio in scelus maiestatis. Ignari penitùs, & rudes Catholici quò aliena spectarent consilia in suspicionem trahuntur & opinionem prope certam rebellionis cum Papa, & externis Ptincipibus iuratæ; nec iam illis animum, sed Ducem, ad faciendum, & educendum militem deesse. Hinc illi deinceps, & premi, & opprimi, & numero minui, & obseruari haud segniùs quàm domestici proditores, & legum multitudine arctari, & ad omne demùm tametsi leuissimum specimen expetitæ ad animi salutem opis, quod auctoritatem oleret Rom. Pontificis ad supplicia raptari. Missa quoque hinc ciuilium motuum in tractus externos semina; sollicitati populi ad defectiones, iunctæ cum Hugonotis & Lutheranis, in Scotia, Belgio, multis Galliæ locis armorum Societates, atque odiorum, subministrati cum animis duces, & copiosus militum, nauium, pecuniarum apparatus, vt quos sibi persuadebat Elizabeth ad occupandam Angliam à Papa exciri, Externi Principes, haberent apud se quod agerent, nec vacaret iis suos ambitus in alienas mittere ditiones. Sustentandis quinetiam bellis & tumultuum motibus pro pacis arbitra se gessit, & dispensatrice conditionum in Europa.

1579. Iámque nobilis Anglus Ioannes Feltonus ipso corporis Domini solenni die, quod indicauimus Papæ anathema Episcopij portis affixerat, vbi prostitit in sequentis diei clarum mane, palam omnibus legendum; ratúsque, animi pusilli, aut factum dolentis fugere, fugam spreuit quæ illi patebat perfacilis. Captus ergo, productus, confessus à tribunali duodecimvirum damnatur; trahitur ad easdem Episcopij fores; laqueo, ferro, igni (quibus soliti rebelles) vitam claudit. Sed damnosa publicè, probos Catholicos inuoluit perplexitas, ob iussam sub anathemate negari Reginæ obedientiam, leges enim illius, & iussa detrectare, crimen erat in se sponte susciperé; defensionis loco Reginæ abrogationem proferre Iudicibus, quid aliud, nisi rebellionem effrontem profiteri, & se carnifici tradere? quod nefas erat suspicari Pontifici vnquam in mentem veniſſe, cuius vnum erat propositum vt Catholicam fidem in ea Insula instauraret, nequaquam verò Catholicos suppliciis, mortíque obiiceret. Hic varij, varia, vt solet propiùs longiùs à vero; Feltoni generositatem vix vllus probabat, animosam magis quàm prouidam in perspicientia malorum, quæ suo illo singulari facto ab Regina irata, eiúsque Ministris in omnes acciebat. Nec dispar erat de Sandero, & Bristoo, Doctoribus Anglis iudicium; quibus facile fuit paulo post extra Angliam procul, tutíque ab rabie tempestatis quàm in Catholicos mouebant sæuiorem; Pontificiæ huius sententiæ, defensiones edere crudiores. Hærebat & lateri lethalis aculeus quod metuerentur vt perfidi & rebelles, cùm & tales

les esse vt vellent non possent; nec vellent vt maximè possent; eneruarentur tamen quasi possent, & punirentur quasi vellent quam à se calumniam nunquam amoliri potuerunt. Perplexæ piorum dubitationi consuluit Pij successor Gregorius XIII. iubens Catholicos saluis animi rebus, & diuinis obtemperare Reginæ Elizabeth, vt par erat subiectos facere; Sanderus, & Bristous, consultiores quàm ante fuerant, scriptiones suas vel supprimere tentarunt, vel de secundis editionibus controuersiam illam excluserе, rei Anglicanæ nihil quicquam conducentem.

Nihil tamen Reginæ de illa decessit opinione coniurationis quam in se suámque Angliam latere reputabant in diplomate pij V. quare nec de sæuo in Catholicos odio, quicquam remittebat, nec de acerbitate legum quæ nouæ subinde in eos ferebantur. Primis Parlamenti comitiis quod an. 1571. coiit, exiêre complures, Catholicorum proborum sanguine prope omnes scriptæ. Iuuat paucas obiter proferre vt intelligatur etiam atque etiam frontem illi nec ne habuerint, qui suis libris pro indubitato, toti orbi notum voluerunt Elizabetham religionis causa Catholicorum neminem damnasse vnquam, culpas in iis dumtaxat confessis grauissimas rebellionis, coniurationum, perduellij castigasse. En igitur anni septuagesimi primi, edictiones mitissimas, & clementissimas. Reconciliare hæreticum Rom. Ecclesiæ, aut reconciliari. Maiestatis violatæ crimen esto. Eundem tacitum habere, proditionis facinus data opera occultatæ. cælare Sacerdotes, & alere; inferre in Angliam Pontificia quæuis diplomata, scelus capite expiandum; Crucifixi effigies, imagines sacras, aut agnos cereos, precatorios globulos vel indulgentias, gestare aut domi habere; cùm sint hæc animi argumenta, pro Ecclesia Rom. sentientis, & reuerentis potestatem Papæ, famosæ illic Præmunitionis pœnæ obnoxia sunto; exilij nempe irreuocabilis, perpetui carceris, & bonorum omnium iacturæ. Insulam egressi ad libertatem Catholicæ fidei, vbivis quærendam machinationis in regnum suspecti, bonis cadant, nisi admoniti, tempori redeant, & iudicio se sistant.

Nec erant hæc bruta fulmina, & solo cum strepitu in auras elisa, ad territandos Catholicos, longè immaniùs sæuiebant exigendis decretis Iudices, quàm Parlamenta statuendis. Atque vt numerum taceam necatorum, stipabantur ergastula carceris Catholicorum multitudine omnis conditionis, & ætatis, nobilium maximè; & repetita serie temporum, lego illic nonnullos ab annis triginta, quosdam à quadraginta marcuisse, vt sepulti potiùs quàm concluſi fuisse viderentur; nisi quod ad sensum ærumnarum stupere non poterant, quibus nihilo parciùs quàm proditores, incendiarij, & parricidæ premebantur, odio publico flagrantes tametsi miseri. Iam exploratorum vis sagax, & odora in vestigandis eorum dictis, & nutibus, obducendísque specie scelerum, vt eorum exinde tormentis oculos pascerent, Scribæ debetur Valsingano falsarum coniurationum faberrimo; Præpositis carceri Londinensi, & quibusdam aliis de quibus Historici Protestantes, nosque opportuniùs suo loco.

Exilia voluntaria pro fidei causa. Dotes Anglorum eximiæ: Doctor Guillelmus Alanus Duaci seminarium Anglorum colligit, Ejectum Duaco Remos illud transfert. Vnde item Regina frustra contendit illud expellere.

CAPVT X.

INTER hæc tam calamitosa restabat vnum in fuga præsidium; hanc quibus licebat arripiunt, suáque sibi iam Anglia in nouercam versa, voluntariis exiliis alias patrias requirunt. Tota sparguntur Europa, viri, pueri, matronæ, virgines, familiæ integræ, claritate quoque generis insignes; & accipiuntur vbique, ea veneratione quæ debetur eximiæ virtuti. Nec obstabat neglectus, & vilis multorum aspectus & habitus quo minus obseruarentur in iis dignitatum gradus, & tituli quos excelsitate Catholici animi spreuerant; & imperio assueti, seruili tunc schemate mendici oberrabant, in quo tamen nihil erat quo sibi tristius displicerent, cùm eos hæc ipsa spontè adamata contemptio faceret glorioſiores. Ingens profectò Christianis exemplum quibus nascentis Ecclesiæ fortia secula ab iis reducebantur ob oculos; necdum hic memoro quos diuersis per Angliam locis, squalor, & situs, & pestilitas carceris, ingenioſa defossi barbarie putrefecit; aut quos laniauêre carnifices. Exules tantùm voluntarios, & illustres dico quos sua virtus, & pietas, naturæ dotibus superstructa magnificè omnibus commendabat. Est enim Anglorum natio, splendore sanguinis, præstantia educationis, & naturæ donis ad magna omnia locupletissimè instructa. Huic animi celsitas, & spiritus nobiles, cum humanissima comitate; in suscipiendis arduis generositas intrepida, nec dispar in sustinendis pectus, & perficiendis ingenij vigor. Ardens gloriæ amor, nullis mediocribus contentus, quo ferè qui carent, nunquam ad sublimia se attollunt. Denique vbi vult sui potens ac domina indoles, motus premens conceptos nec sinens in facta, & verba, ac ne in signa quidem erumpere. Præclara omninò ad egregia quæuis naturæ præsidia; quæ si ratio vt par est virtuti applicet, ad heroïcos habitus mentem parant; sin autem sibi laxantur licentiùs, nihil errant aut peccant mediocre, in summum vitij feruntur cui seruiunt. Hinc duas simul Europæ facies exhibuit Anglia; in Catholicorum spectaculo formosam; in eterodoxis pro concione furentibus deformem & pessimam, velut damnatorum

rum alteram geniorum, alteram beatorum qui S. Pontifici Gregorio Magno in mentem illico venerunt cùm iuuenes Anglos Romæ primum vidit. *Benè*, inquit, *Angli quasi Angeli: quia & Angelicos vultus habent; & tales in cœlis, Angelorum decet esse concines.* Fugam præstantium exulum excepit vicina Prouincia Belgium facili inuicem & breui traiectu, tranquillo tunc illic, & ab hæresi puro rerum omnium statu, hospitalitatis officio liberalissimè in eos perfuncta. Vnus præ cœteris vt meritis auctior, sic memoria dignior Guillelmus Alanus Duaci Theologiæ Professor, postea Cardinalis. Hic Angliam deserens Academiam Duacensem, magno quem secum extulerat scientiarum & virtutis thesauro ditauit, cùm fuisset non pridem à Philippo secundo condita, hoc est anno 1561. cernens ergo Alanus increscentibus edictis, exulum numerum quotidie in Belgio crescere; & in iis iuuenes egregiæ indolis, rarique ingenij, & innocentiæ, iamque Oxonij, aut Cantabrigiæ literatura plus minus tinctos, diuinitus motus est ad congregandum ex iis collegium vbi sumptu gratuito, relicta patrimonia supplerent, totique virtuti, & literis instarent, sub disciplinæ communis obseruatione, quam se illis scripsisse meminit ipsemet an. 1568. huic planè diuino eius consilio sic fauit Deus, vt de publica liberalitate, necessaria illi suggesserit ad pulcherrimi operis absolutionem, lectámque ad illum miserit conflando Collegio adolescentum manum. Erat apud omnes instituti eius in subsidium rei Catholicæ existimatio, & expectatio. Vel enim res Angliæ, vertendæ essent in melius (quod nec erat sperandum, nec tamen penitùs desperandum, Maria docuerat) tunc verò futuras ad manum egregias operas populatium Sacerdotum, sanguine, numero, fidei ardore, doctrináque illustrium ad euellenda è solo patrio errorum germina virulenta, & referendas antiquitatis Catholicæ plantas generosas; vel continuarent cum schismate hæreses, sensimque aut metu, aut perpessionibus carceris, aut annis denique, priuandam Angliam, ministeriis Sacerdotum, & ad ferrum, & neces veniretur; & præsto tunc haberi oportebat, qui defunctorum tenerent & magnitudinem animi, & locum. Sic neque Catholicis flammam spiritus diuini, nec Protestantibus veri lucem vllo vnquam tempore defuturam. Sequi pariter nonnullis videbatur, mitiores fore Ministrorum & Reginæ in Catholicos iras. Captata enim, ac demum inuenta spontaneis exiliis quiete, tantum inde hausturos doctrinarum, vt libris eminus, & cominus verbis, multum Magistris hereseon negotiorum facesserent. Sic Alanus argumentabatur, & visum iri Reginæ tolerabilius, illos in regno tacitè amicos tolerare, quàm foris habere inimicos, & ad nocendum minimè imparatos. Sed vtrimque par aberratio à Scopo; Alani, metus euanidos, in Reginæ consiliarios meditantis; & istorum, irridentium Alanum, & eius Collegium; quasi vero Papistæ Sacerdotes quinquaginta aut non multo plures, possent Regiæ Anglorum Ecclesiæ, Doctorum hominum præsidio innumerabili munitæ, mali aliquid aut metus inferre; quid deinde carnifices? quid tormenta? quid mortes? quanquam

tanto in illos apparatu nihil opus. Fugitiua gens in patriam redux, famelica, & mendica, in lucro ponet decretis Regis ceruicem subdere, & stipem, ac panem, libertate religionis emere. Ita illi, sed longè ab eo quem experti sunt euentu. Alia breui Collegia primi illius auspiciis, & exemplo in Belgio, Italia, Hispania coaluere tam faustis profectibus vt florem Anglicæ iuuentutis ad se pellicerent, qui matura mox ætate, initiati sacris, & literis redibant ad suos, & miras edebant conuersiones animorum; tunc verò suo cum Cæcilio Regina, tunc Parlamentum, indignari, timere, angi, metu semper peiorum præsago & atrocibus edictis in Iesuitas, & eorum seminaria fulminare, velut politicas, vt credi volebant, aduersus Reginam coniurationes, quas probè norant, aliud non esse, præter gymnasia pietatis, & religionis.

Crescebat interea Alani Collegium, post annuam maximè aureorum mille ducentorum attributionem, quam illi Euerardus Societatis IESV Præpositus à Gregorio XIII. impetrarat, præter extraordinaria subsidia, quæ ita constanter & ordinariè dum vixit Pontifex submministrata sunt vt parte plus tertia, ducenti caritatis eius beneficio alerentur. Exibat decennium à seminario condito, cum Belgium quoque, & Duacum inuasit hæresis, & sanctos iuuenes, Lutheri furore armatus populus eiecit.

Alanus ipsemet eluctatus est periculum, & suos alumnos Remis in Gallia saluos collocauit, sub tutela Ducum Guisiorum. At enim Alanus mutarat periculum non vitarat; præuerterat illos Elizabeth ardentibus ad Henricum tertium literis astu potens viribus debilis. Aiens rebelles suos esse, exploratores Hispanorum, nihilo ipsi minus in Gallia, quàm sibi extra Angliam timendos. Oppressit calumnias Regis Christianissimi pietas, & Apostolici nuntij verax defensio. Intercessit quoque Regina Scotiæ Maria, non sine aliqua Elizabethæ indignatione, & prioris in eam odij augmento. Stationem Anglorum Remis firmauit Rex suo diplomate, nec malignè Angli beneficio responderunt, sed missis in Angliam annuis operis, illorum generositate, tormentis & sanguine propugnauêre nomen Catholicum, magna vbique Remorum fama vnde illam Apostolici spiritus maturitatem heroïcam fortissimi athletæ hauserant. Hospitium quidem Patres Mussipontani Collegij; & domus Lotharingiæ tutelam Anglis detulerant, priusquam Remis securi consisterent, sed datis iam ad Gregorium XIII. literis de sua Remis commoratione non fuit integrum beneficentia oblata vti; quin nec peramica Magistratus Catholici Duacum reuocatione quò turbis ciuilibus semestri compositis, inuitabantur ad desertos lares; nouo tamen casu quem parum interest referre, post annos quindecim illuc rediére.

Instituitur

Instituitur Anglorum Romæ Collegium. Gregorij XIII. singularis in eos beneuolentia. Triumphat gaudio Alanus ob eam institutionem. Societatis Generalem rogat, cius in se curam suscipiat.

CAPVT XI.

AVGEBANT vbique gentium glorioſam famam Sacerdotum Anglorum Remenſis Collegij pro fide agones, ærumnæ carceris, cruciatus, & mortes ad ſtuporem quoque aduerſariorum mirabiles. Spargebantur hæc annuis ex Anglia nunciis per totam Europam, & his Gregorij XIII. pium & paternum pectus ita pridem afficiebatur, vt ſtatuendo Romæ Anglorum Collegio, vna illi & ſimplex ſat fuerit Odoeni Luigij expoſitio. Fuit is natione Anglus, ſupplicum Romæ libellorum Magiſter, Cameracenſis Archidiaconus, Epiſcopus demum, & ſedis Apoſtolicæ Nuncius, multiſque pro illa negotiis perfunctus. Propoſuit itaque non defuturum Anglis locum, vbi ſeminarium in ſuo ſtatuerent: habere illos Romæ trecentis amplius ab annis hoſpitalem domum (Anglorum in præſens Collegium propè Palatium Farneſianorum) illic nummis bis mille annuis, Anglos peregrinos, octo ali diebus ſi pauperes eſſent, alioquin tribus; Sacerdotes octo qui ſacra peragerent, eodem in templo quod auguſtiſſimæ Trinitatis, & B. Thomæ Cantuarienſis etiamnum titulo colitur, non quod illic ſacellum ipſemet ſacrarit (quod ex vulgi errore ſcripſit Stouus, cùm Archiepiſcopus Romam prorſus non viderit, ſed quod martyris tanti memoriam, inuita licet Anglia, veneretur. Tenuibus primum initiis (vt ſolent maxima) natum Romæ Anglorum Collegium, quinquaginta poſt paulum alumnos cenſuit Gregorij partim liberalitate, partim addictione domorum, templi, ac cenſuum ad hoſpitalem domum ſpectantium, ſalua ſemper vt prius in peregrinos hoſpitalitate. His auſpiciis formatum, animatúmque non multo poſt Pontificij diplomatis iure, & authoritate, Ioannis Moronij Cardinalis patrocinio traditur; quo, vt poſt dicetur, tempore bono genio afflatus S. Ignatius fundationem aggreſſus eſt Germanici Collegij, tunc prorſus operoſiſſimam, ſumméque arduam. Anglorum iuuenum diſciplina domeſtica, & continuandum peregrinis Anglis hoſpitium Mauritio cuidam Clenoco

1358.

ann. 1407.

creditur probatissimo Sacerdoti Anglo. Superiorum doctrinarum Magister iis datur P. Ferdinandus Capecius. Pater Ioannes Paulus Nauarola, diuinorum, & animi curam tangentium; vterque de Societate. Quo vtroque in studio, quæ fuit Dei laus, ingentes progressus adolescentes optimi breuissimo spatio fecerunt.

Vulgata in eos sanctissimi Patris Gregorij intima benenolentia, dici non potest quantis Catholicos animis corroborauerit, ratos nimirum sanctum Pontificem in iis quos Romæ collegerat, sinu stringere vniuersos & piis visceribus condere, neque immerito, cùm à primis Henrici octaui furiis, strages eorum omnis inde ortum haberet, quod pro sedis Rom. auctoritate ac fide inuicti starent, atque immobiles. Sed iuuentutis Catholicæ incaluêre præcipui per Angliam motus, & profectionis Romanæ ardor impatiens. Centum in iis inter se conuenerant de patria simul eiuranda, & quæcumque illic haberent cariſſima, (habebant autem quicquid hominibus solet maximè carum esse) & de proposito abiiciendi se coram ad pedes Pontificis; quod profectò in cassum non erant facturi, adeo nihil norat ampla eius & vasta charitas misericordiæ negare, certò quidem affirmo, ex antiquis Anglicani Collegij tabulis postquam illud regendum Societatis Patribus commisisset, inculcasse illis, ne quem Romam appulsum ex Anglia remitterent, omnes colligerent, etsi par numero census Collegij non esset, facienda pro iis nomina, suis rationibus imputarent. Pauci de centum quos diximus Romam peruenêre; substitere alij in seminario Remensi quo se quoque in illos beneficentia Pij Pontificis porrexit. Æquum erat Alanum crudis suorum calamitatibus assiduè mœrentem, eorum vicissim prosperis recreari, vtrumque vir optimus pro sua insigni pietate reputabat ad se peculiariter attinere. Accepto igitur multorum nuntiis de felici Romæ noui seminarij progressu sub magisterio Nauarolæ & Capecij, egit Euerardo Mercuriano Societatis IESV Præposito lætissimas, & prolixissimas gratias, quibus præterea multa inseruit quæ si taceantur, mutilam lectori dabunt historiam, ideirco fas esse non censui, prolixitatem eius literarum contrahere, multò minùs, illas præterire. Sic ergo Remis ad Mercurianum scribit Octobr. 26. anno 1578.

Tametsi nihil pridem scripserim; stylo tamen silente, haudquaquam & meus, & meorum animus apud communem Dominum de vobis siluit, & Societate vestra lectissima. Quamuis enim, nostri exilij continuata calamitas, & asperitas nostrorum temporum, cunctis propter Christum nos fecit debitores, at vestræ in nostros populares Societatis beneficia, & sunt reliquis tempore priora, & gratiora iucunditate, & salubriora. Reuoca in mentem, Pater venerande! (nec enim temerè arbitror, te tua in alios, & tuorum beneficia libenter obliuisci) quàm caro complexu Anglorum nostrorum colligeres præcipitata exilia cum esses in Belgio, quàm multis saluti fueris, vel in sacrum tuum ordinem adscriptis, vel tuorum labore industrio, Ecclesiæ redditis. Hæc me illorum tum recordatio

datio suauiter afficit, tum qui sequentibus deinceps annis Louanij, Duaci, & Romæ, te potissimum auctore, suasore, & consolatore portum salutis inuenerunt. Hæ tibi, agri dominici qualescumque reliquiæ, post Deum & SS. Patrem Gregorium, eiúsque Ministros debentur præcipuè. Nostra inquam Anglia, si tamen denuò vnquam nostra, tuis curis, charitatíque accepta fert. Illud tamen omnium maximum, cœteráque complectens omnia, quod nostris istic iuuenibus præfeceris homines de Societate mirè idoneos, etsi alioqui supra vires alibi occupatissima. De iis mihi tam multa post reditum narrauit, familiaris meus Gregorius Martinius, tàm multa scripsit R. Dominus Archidiaconus Odoenus, ipsíque iuuenes, quorum præcipuè interest, tot ad me tam lætas dedêre literas, vt imperare mihi nequiuerim, quin Paternitati vestræ Reuerendissimæ significarem exuberans gaudium quo me hoc ipsius beneficium impleuit, cum recta illorum iuuenum educatione, & salute, nihil mihi sit vsquam antiquius.

Egi quoad potui ne nostri traderentur in aliam, quam Societatis disciplinam; vestro enim hoc vsu, nullus est ad scientias vel expeditior, vel solidior ad veram pietatem, vel quod nunc præ omnibus quæritur aptior parandis ad animarum lucra operatiis; præterquam quod Anglis innatus est quidam seu verius à Deo insitus, ad scholas vestras, morésque genius, incidítque ad hoc maximè opportuna Collegiorum vestrorum vicinia. Stabilito nunc nobis in mundi & Ecclesiæ arce Collegio summi Pontificis liberalitate, & prudentissimæ gubernationi, Paternitatis vestræ prouidentia subiecto, quid mihi ac meis restet à domino optandum, nisi vt nostri huius, vestríque istic Collegij res, & gentis totius, vestro apud SS. Dominum patrocinio foueantur, & beneficij à vobis, & vestris inchoati perpetuitate conualescant quod ego te Domine mihi maximè venerande! filius tuus, & quicquid sum ac valeo seruus, tuorúmque amicus sanè fidus, per Christum oro, & obsecro. Imo te potius tota simul natio supplex rogat, ne se ab illa charitatis sollicitudine excludas qua nationes etiam barbaras impertis. Æquum peto, mi Pater! ne tristi repulsa mœstum à te dimittas; nam si vltimis ab Indis nouos Christo greges per tuos colligis, ne grauare errantem Britanniam nobiscum requirere, si oneri est, Christi certè est onus. Addet is vires vt valeas, charitatem vt velis, eam in humeros tollere; & quamlibet premat fiet gentis nostræ totius precibus, & auxiliis sarcina leuior. Qualis sit hodie Christiani orbis conditio, & quali sit opus violentia ne perditorum fraudibus, & diligentia ruinam trahat, nemo te melius Pater sapientissime tùm videt, tùm dolentius gemit. Rari sunt hodie qui velint aut possint opitulari rebus nostris, accisis, & depositis, peccatorum nostrorum culpa, aduersariorum in nos potentiam armante. Nunc tempus agi rem, & prosperè agi sub eo Pontifice cui parem fortassis ventura secula non dabunt. His quidem Ecclesiæ calamitosis temporibus ea sapientia prospexit, vt in humanis nihil videam, quod possit eas efficaciùs leuare, illa quam cœpit se-

minatiorum institutione. Totali ac tanto Pastore & Patre, tibi, & mih i & omnibus pro communi fide certantibus gratum debet venire ac iucundum, quicquid laborioſè & arduè, quicquid importunè, & periculosè ne dempta quidem morte, agendum ferendúmve occurrerit. Sed me tuarum immemorem curarum animaduerto ingentibus meorum miseriis, & amore, & indignitate temporum egisse apud te loquaciùs, cuius pietatem sat scio istorum nihil latere, sed & factis agendo, longè mea desideria, & vota vincere. Deus Paternitatem vestram Reuerendissimam, Ecclesiæ, ac nobis diu seruet incolumem.]

Hactenus Alani literæ Apostolico illo quem vbique spirant afflatu dictatæ, quo suorum cuiúsque ita cladibus frangebatur, vt si quisque sibi propriè periret.

Sed ab Anglicani cura Collegij Mercurianum Generalem prohibebat in primis decretum quoddam secundæ nostræ Congregationis; Deinde quod Romæ abundarent, sanctimonia, literis, & prudentia noti, quibus facilè posset nullo cuiusquam detrimento credi, cùm è contrario expeterentur nostri à tam multis, vt dari vnus, recenti Collegio non posset quin multis negaretur; & verò Nauardam paucis ibidem mensibus exactis Generalis coactus est Senensi vrbi concedere. Sed nimirum sic Deo placitum, vt nostrorum opera in tàm nobili sudaret argumento, non Romæ tantùm sed ipsa in Anglia, in quam prima nostrorum missio, & quicquid ex ea in Dei Ecclesiam profectum est boni, ex administratione huius Collegij ortum est Societati nostræ imposita. En igitur modus quo nobis etiam inuitis, in manus nostras venit.

Diuersa origo, & indoles Anglorum & Vvalliorum Seminarij Rom. illorum gubernatio iussu Pontificis Societatis Jesu Præpositio mandatur. Juramento alumni se dedicant obsequio Catholicæ fidei in Anglia procurandæ. Amor in eos & liberalitas Greg. XIII.

CAPVT XII.

NOrvnt qui antiquitates Angliæ libarint, anno Christi quinquagesimo supra quadragesimum Anglos, Saxones, & alios à Britannis è Germania in auxilium vocatos; partem Insulæ optimam occupasse, & inter se partitos septiregnum fundasse Saxonicum; tenuit id regnum ad annum octingentesimum, & nonagesimum quo Halfredus vnam de Regnis septem alienis, sibi conflauit Monarchiam. Confugêre ingenui Britanni in partem Insulæ, quæ Hiberniam spectat, & continentem versus, Sabrina, Et Deua fluuiis clauditur, montosam regionem, & natura munitam. Dici antiquo suo & vero nomine Cambri voluere, seu Cambrobrittones; Vallios tamen Angli vocant, hoc est Peregrinos vel Extraneos. Iam sua in patria externos haberi, dicíque qui erant Domini, & suæ insulæ portionem non amæniſſimam velut exules colere, tam durum exin, & deinceps fuit, vt nunquam satis valuerit concoqui. Vvallii, Anglos attendebant velut rei suæ raptores, & vsurpatores cernere Domini consuerunt, Angli Vallios vt à victoribus solent victi, quibus dare se putant quod non eripiunt.

Hinc illud retexo cuius causa hæc pauca præmisi. Quem dixi nouo Præfectum Collegio Mauritius Clenocus, erat ex Vallia seu Cornubia oriundus, septemque indidem pariter ex Collegij alumnis; alij tres supra triginta ex variis Angliæ dynastiis. Porrò quantumuis moderati esset ingenij Clenocus, sui tamen haud satis interius, exterius conscius, nihil minus cogitans manifesta edebat in Cornubienses suos septem speculiaris curæ, & amoris signa; in Anglos triginta tres, frigoris, & negligentiæ. Ob hæc scissum in partes Collegium in quo idem cum esset Anglis aduersarius, & iudex, iteratis libellis appellant Moronem Cardinalem defensorem Collegio à Papa datum; At is Clenoci totus, quem præposuerat alum-

nis ; & Odœni Archidiaconi patria Cornubiensis ; cum nihil expediret, Angli suas Gregorio XIII. rationes per Ludouicum Blanchettium eius cubicularium exponunt. Iis vtramque in partem agitatis, fertur ex mente Cardinalis in Anglos sententia, futurum enim damnosi in posterum exemplum si tumultuando iuuenes vincerent, & suis præpositis iura darent. Iis ergo indicitur aut se Clenoco præberent morigeros, aut alium sibi receptum quærerent ; nondum enim sat notum Anglorum ingenium, egestate domandum putabatur vel metu terrendum ; at longè secus res illico exiit, mandato citius, Angli triginta tres, vno consensu abiere. Contigitque illorum discessus in quadragesimam ineuntem anni septuagesimi noni, opportunam planè captando ab iis per concionatores subsidio, quod in spontaneos, & benemeritos de fide Catholica exules, conferebatur non auarè cum præsertim constaret eorum quamplurimos nobili loco natos, & liberaliter educatos vulgata per vrbem eiectionis eorum causa, dolere iis omnes, fauere omnes & pro iis sentire, quod solerter à Patribus Palmio, & Toleto (postea Cardinali) Gregorio relatum teneritate intima sancti Pontificis animum permouit. Vt eos reuocaret, consolaretur, & erigeret afflictos, remissosque in suum Collegium iuberet, singulos sibi, & seorsum iuratos scribere nominatim, quem iudicarent teste Deo, ad eius Collegij gubernationem aptissimum. Quo in suffragio nullus numero defuit, triginta tres vt erant, Patres Societatis IESV dari sibi Rectores petiere ; quod ante nihilo segnius quàm post iusiurandum rogauerant. Prærogatiua suffragij insignis fuit Rodolphus Servvinus, quem post biennium Londini pro Christi causa fortiter occumbentem secuti sunt postea eodem ex Collegio quadraginta., eius hoc fuit Chirographum. [Ego Rodolphus Servvinus, testem inuoco Deum, cordium inspectorem, solo me diuinæ gloriæ studio, patriæ bono persuasum, censere gubernationem huius Collegij Societatis Patribus esse committendam ; idque suppliciter flagito.] Hærebat nihilominus in ea Prouincia detrectanda immobilis Mercurianus Generalis, cum hæc illi Martio nondum absoluto, demandata est summi Pontificis, diserto imperio, quod ex eo Thomas Goduvellus S. Asafi in Cornubia Episcopus, Ricardus Scelleus Eques Hierosolimitanus, summus Angliæ prior, & quicquid Romæ tunc virorum Illustrium fuit eius nationis exorarant.

Sub hæc Roberto Personio, qui ad S. Petri, operam nauabat, Pœnitentibus expiandis, post expeditionis Anglicæ fundator, illustre demum per annos triginta huius Historiæ argumentum ; duo in mentem succurrere ad institutum perquam vtilia. Vnum si Alanus Romam vocaretur vt Seminarij Remensis & Romani corpus duplex vno eodémque iungeretur, & animaretur spiritu pietatis ad promouendam in Anglia Catholicam fidem : alterum vt iuuenes Collegæ Religione iuramenti obstringerentur ad vitam Ecclesiasticam, & repetendam vbi iussi forent patriam, suósque illic in obsequium fidei sudores & animarum salutem expendendos. Probauit vtrumque Pontifex ; adfuit Alanus Septembri cadente.

cadente. Oblatum Collegis iusiurandum; & pulchrè admodum præter omnem expectationem ille purgatus est Anglorum iuuenum in Clenocum & suos tumultus ambiguus; septem illi eius populares seu Cornubienses iurare recusarunt,& Collegio pulsi sunt; iurare triginta tres alij, paratos se vltro professi sunt, cum septemdecim qui præsto adfuere postquam mense eodem vulgatum est diploma Pontificis quo Collegium fundabatur, & alumnorum numerus quinquagenario definiebatur. Ergo April. vigesimo tertio, Gregorij Martyris tutelaris Angliæ honoribus sacro, quinquaginta illi, ex quibus decem erant sacerdotes, coram Spetiano vices agente Motonis Cardinalis; Prouinciali nostrorum; & Roberto Bellarmino, in verba iurarunt sibi proposita, & primus quidem Rodolphus Seruuinus Euangelij tactu iusiurandum sanciuit, quo se ad omnem iubentium nutum spondebat in procinctu stare vt Angliam peteret, animarum saluti operam daturus, idque se tunc libentiùs etiam quam postridie facturum; secuti sunt reliqui & eorum verba in tabulas relata. Formato in hunc modum Collegio Mercurianus Rectorem præfecit Alphonsum Agazzarium Senensem, virum ad hoc natum, ob eum præcipuè paterni amoris in egregios iuuenes affectum singularem, quem si defuisset, nulla satis supplere aut pietas, aut prudentia valuisset. Sic illum omnes gerebant in oculis, vt Christophorus Bayleyus (qui hoc deinde Collegium suo sanguine decorauit) ex itinere ad illum scribens, nihil dicam, ait, de cœteris, vnam mihi rebus ipsis probatam, & perspectissimam vocem retineo, quam R. V. in ore habebat assiduam. Ego vobis pro patre, P. Minister pro matre est. Ah! fecisset Deus, hoc diutius bono gaudere potuissem!] Erátque hic idem reliquorum sensus.

Fuit & Patri sanctissimo Greg. XIII. Seminarium hoc mirè charum, quem immortalium operum fructus perpetui, conuersionibus hominum infinitis quotidie facient dum stabit mundus glorioſiorem. Longum sit inire annuas rationes, quibus sanctissimus Pontifex per annum sæpiùs, statum iuuabat Collegij censum ad sustentationem filiorum, quibus Ecclesiam Romanam merito censebat impendere quod nusquam alibi sanctiùs, & faciliùs impendisset, cum in Ecclesiæ gloriam, nec vitæ nec sanguini parcerent; centum dum vixit capitibus, Collegium stetit, Patribus, Alumnis, famulis. Alumni sunt quos alit antiqua, domus hospitalis fundatio, cum adiuncto illi stabili reditu; sed Pontifici visum admitti cum iis etiam Conuictores, proptio suo sumptu, sed disciplina in omnibus communi, nisi quod nullius iurisiurandi Religione tenerentur, essétque iis liberum pro arbitrio abire.

Pietas & virtus Alumnorum. Exempli, & missionum fructus in Anglia. Reginæ in illos propter hæc odium. Collegiorum huiusmodi quanta vtilitas. De hoc Romæ statuto Baronij sensus.

CAPVT XIII.

NONDVM Patres curando Collegio semestre dederant, cùm incredibili fœnore intimæ voluptatis redire ad se labores senserunt ex Collegarum institutione. Missis in præsens studiis litterarum, de diuinis ago. Nusquam alibi posse haberi videbantur, ad excipiendos fatus virtutum ingentium dociliores, & paratiores. Post enim præstitum, heroicum illud sanctissimúmque iusiurandum, quod Personius præstandum suggesserat, magnos animo versabant spiritus, magnas alebant cogitationes, totique erant in apparatu Martyrij quandoque obeundi quem probe norant nisi virtutum arduarum vsu heroico non absolui. Verè itaque scriptor egregius, *Collegia cætera, Philosophorum esse Seminaria, Oratorum, Theologiæ, Iuris, Canonum, Medicinæ: duo hæc,* Remense, & Romanum, *Seminaria Martyrum.* Cùm paulo ante præmisisset *arces fuisse duas quæ* salutem, & vitam Catholicis in Anglia seruassent. Sermo illis nullus quàm de Martyrio dulcior, nullus auditu iucundior. Concionis hebdomadariæ quâ in triclinio exercentur, argumenta ferè de cruciatibus, & morte pro fide Catholica, fortiter perferendis; crebris vero ex Anglia nunciis, de seueritate cognitorum, ærumnis custodiæ, longa fame, suffixis inter vngues & digitos acubus, omníque alia peregrinorum tormentorum atrocitate cùm audirent, suis in Apostolico agone sociis inflicta, de mortibus denique tùm probrosis, tùm terribilibus; ardere scilicet toto ore, suspirare, flere, & pia votorum impatientia sortem illam beatam sodalibus ciuibus inuidere.

Quin & Romæ semper domi habebant præ oculis ex iis aliquem, cuius aspectus in mentem reduceret, quicquid erat in Anglia summè terribile, sed iis summè optabile tango nunc solùm annum æui octogesimum & sequentem, quibus inter Collegij alumnos censebatur nobilis adolescens, ad omnem ignominiæ, doloris, & impietatis barbariem pro Catholico nomine inuictus. Hic tota Londino crate infami diu raptatus, postque contusum fustuario crudeli totum corpus, & pertusas ferro candenti auriculas, acerbissimi carceris longa fuerat graueolentia maceratus, ne autem

de more

de more suspensus quadratim secaretur, vna obstiterat crudelitatis nota si tàm atrociter in tantæ reum constantiæ puerum sæuiretur, seruatur igitur illi vita velut reo quidem Papisticæ perfidiæ, sed puero; nec sui sat compoti. Romam venit triumphans, magno illis alumnis exemplo futurus, virtutis in tenera etiam ætate virilis, planéque consummatæ.

Alterum negata iuridicè dignitas capitis quam in Ecclesiam Angliæ Regina sibi arrogabat, in specum lutosam subterranei carceris damnarat, vbi articulares cruciatus toto corpore contraxit acerrimos, nihilo tamen quàm ante timidior, post iteratam sæpius grandinem colaphorum, minas spreuerat præsentes, & truces lethalis æquilei, ac demum tanquam refractarius, & pertinax puer extra Angliam fuerat eiectus. Alij triduum inuersi pependerant summis tantùm humeris solo nitentibus; quidam ad patris sæuitiam, & matris lachrimas inflexi, fugere, ac pelli maluerant quàm hæreticum aliquid simulare, hos omnes benignè collegerat Seminarium Romanum. Præter quos etiam parentis schismatici reuerentia inhibitus puer, profiteri Catholicum non audebat; sed illam repentè audiens Christi vocem, *Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus*, audito citiùs Romam iter aggressus in Seminarium conuolarat. Alter parentum illustrium vnicus, & magnis conditionibus iam sponsus, diuino interiùs monitu suorum Romæ Sodalium conditionem iis prætulerat, & sponsa, dote, patrimonio opulento, nuptiarum pompa, spebúsque suorum magnificè fortitérque delusis, in Seminario Rom. cubiculi angulum adamarat. Ab his, & alio Thomæ illius Mori celebratissimi pronepote, tantus iniectus est Sodalibus reliquis ardor Catholicæ fidei reparandæ, vt septennium studiorum impatientes moræ contraherent, & morum Theologia contenti, suscepto mox Sacerdotio in suam Angliam reuolarent. Nec deerant è Conuictoribus qui hoc igne accensi, vltrò iusiurandum vitámque ambirent alumnorum, spe & ipsi iucunda potiundi beatum cum iis pro Christo exitum. Et verò illo potiti sunt non pauci, quorum protestant Romæ in Seminario Anglorum depictæ imagines. Sunt enim Romæ, tacitis in præsens aliis, quas omnis generis raritas, & magnificentia commendat, aulæ duæ, longè aliis spectabiliores, dum ne oculi desint, quibus illas dignum est inspici. Altera in collegio Anglorum; in Germanico altera. Tabulis vtraque cingitur virorum illustrium ad natiui oris similitudinem expressis qui ex eorum disciplina hactenus prodierunt. Propositi quidem vtrobique vnius, quod non est aliud præter Ecclesiæ sacrosanctæ peculiare obsequium, in fulcienda promouendáque eius fide; operis verò admodum diuersi, tametsi hæc ipsa diuersitas suum habeat quendam sibi proprium decorem, & elegantiam: in Germanico spectantur homines honorum gradibus insignes, etiam eminentissimis, qui religionis veræ finibus proferendis, & integritati eius, dignitatíque sustentandæ authoritatem intrepidam, strenuam doctrinam, & clara viuendi exempla in Germania, & Hungaria contulêre. Anglos alia discernunt insignia, manicæ, compedes, carnifi-

cum laquei, apertum ferro pectus, & per capaces vulnerum hiatus riui sanguinis; eorum pars minima quæ morti præluserunt, & comitata sunt mortem à Sacerdotibus eius Collegij alumnis quadraginta, & vno inuicto robore toleratam, nam quos ingeniosa barbaries exquisitis torsit supplicijs; quos cruciabili carcere, multis annis sepultos tenuit; quos bonis exutos, in æternum egit exilium, nequaquam istis annumero, & numerabantur multis inde ab annis supra centum. Sed neque istis accenseo, multos magníque nominis scriptores, qui claris ingenij sui laboribus animarum salutem, & rem Catholicam magnoperè iuuerunt. Illorum solæ spectantur effigies, quos eò extulit charitatis suæ sublimitas ardua, vt animas suas pro amicis, & inimicis darent; Magnum in angusto, Ecclesiæ gloriis theatrum; magnum Anglicæ illi iuuentuti mentis heroïcæ stadium, & expectandi post laboriosos literarum, & virtutum sudores præmij documentum, crucis nimirum perpetuæ, mortísque demum in cruce obeundæ. Quare dignus audiri, sapiens inter Anglos scriptor, Elizabethæ rabiem exprobrans, qua eius Ministri pergebant crudeliter in hos alumnos sæuire, ac furere. Ecquando, inquit, auditum, aut lectum, nobiles iuuenes, vt plurimum diuites, domi saltem suæ commodè habitos, religionis vnius studio inuoluntaria exilia currere. Abdicatáque cum charis omnibus patria, intentatas discedentibus tormentorum minas, positáque in oculis, terræ marísque pericula spernere, cum omni nudorum exulum egestate? istinc verò elapsis, cuiusmodi animus? num dolens? num facti pœnitens? num amissa suspirans? aut legum vestrarum & crudelitatis remissionem vel negatam rogans, vel quod maximè velletis, oblatam admittens? At ne faxit Deus, hoc se ab iis obtentum à quoquam iactari Vestrum inde procul, & parentum securi, suíque iam arbitri, vitam scilicet agunt iuuenili ambitu, & discinctis otiis solutam? quin imò, virtus & literæ, sub arcta exercentium disciplina, illorum sunt, & ludus & labor; in iis durant constanter, quoad vtrumque integrè assequantur. At enim cui bono? & inde quid spectant? quas honorum opúmve blanditias? nempe hoc vnum in patriam regredi, totósque se illic seruandis suo periculo, sudore, mortéque adeò, suorum animis impendere. Tuos Elizabetha! eculeos, tua patibula, tuas repetunt quæstiones, & mortes; non coacti, non ducti, Deum vnum secuti, conscientiam, & hortamenta intimæ pietatis, Anglorum calamitatibus, & sempiterno exitio consulentis.] post quæ animum legentis reflectens author, subdit manifestè hic Dei digitum eminere quem in Mosis prodigiis agnouit Pharao; in his tametsi maioribus, & perpetuatis diutiùs, Elizabethæ tribunal agnoscere noluit.

Bis enim quotannis vere, & autumno mos erat in Angliam remitti alumnos Sacerdotes, qui Theologiæ explerant cursum, idque ressa euidenter probari, quod de huiusmodi Seminariis Anglorum Eminentissimus Bentiuollius retulit; tyrocinia belli esse, vbi ex propria disciplina Christi milites finguntur, propugnaturi Catholicum nomen in Anglia,

&

& causam, tanto violentiùs & fraudulentiùs ab aduersariis oppugnandam, quanto minus in illam habent iuris & aggressionis legitimæ. Quas inter illorum aggressiones ponit, discordiæ semina quibus religiosos à clero diuellere nisi sunt, de quo erunt nonnulla inferiùs, pluribus tacitis notanda. Porrò ex mille tùm Alumnis tùm conuictoribus Anglicani huiusce Collegij, aliquot centena suam in Angliam hactenus redière; quo fructu, iam inde ab annis octoginta mirabatur Alanus Cardinalis, exprimebátque omnis sexus & ætatis; Orthodoxorum simul, & Protestantium conuersione inexplicabili, & toto se regno porrigente. Tenerè animo afficiebantur summi Pontifices cùm interdùm ad decem felici eorum adprecatione fortunari suum in Angliam reditum poscebant, hoc est in media quæ tunc præcipuè ardebant suppliciorum incendia. Clemens octauus, Collegij Anglici tutela vicaria pro Cardinali Caietano olim biennium perfunctus, vnum audiens ex Alumnis, cuius linguâ Sodalium omnium vultus & animus loquebatur martyria & cruces anhelantem, non tenuit lachrimas, iisque mox ab se dimissis in fletum vberem prorupit.

Nec verò interim dum se parant ad cruentam vineam sudore, & sanguine rigandam, otiosam tantum, in longinquum illi nauabant operam. Notauit ex Patribus non nemo Anglos annis tribus & decem, trecentos fuisse ab iis ad Ecclesiam reuocatos, in quibus etiam authoritatis summæ viri, qui dum suos Romæ salutant visúntque populares, eorum pietate, omníque viuendi ratione sic molliebantur, vt Patrum subinde placida consuetudine errorem dedocti, hæresim eiurarent.

Ob hæc nihil mirum si Elizabetha finem fecerit nullum, erecta Romæ & alibi Anglorum Collegia lethalibus odiis, calumniis, fraudibus insectari, & Romæ potissimum educatos, modis omnibus arcere Anglia; subrepentium nihilominus in illam præoccupare latebras; indagare cuniculos, proditores submittere, qui iunctis sensim amicitiis familiaribus expiscarentur ex iis tùm vera, tùm adscititia nomina, staturam, vultus, & habitum corporis, vt cui primum in Anglia portui applicuisse illos contingeret, inde tot inditiis deprehensi, ad furcam illicò raperentur. Quod quantò sit curiosius in Societatis Patres obseruatum, suo loco dicetur.

Nunc addo viros sapientissimos, & experientissimæ ac diuturnæ in propaganda fide prudentiæ censere, nullum ad hoc maius & efficacius excogitari posse præsidium seminariis iuuenum ex eadem gente quæ suscipitur iuuanda, quos patriæ amor & lingua, & ciuilis vsus facilè occultant, dum sacris ministeriis incumbunt. Hoc si præsidio Norwegia, Dania, Suecia, Saxones, Palatinus Reni minimè caruissent, vnde illis nouæ quotannis veniissent suppetiæ ad erigendam illic, & sustinendam veram fidem; fortè nunc saltem frui pace tranquilla sineretur, vbi nec pedem figere sinitur. Quare Dei fuit in Angliam amor singularis, Collegiorum eiusmodi sex in Hispania, Belgio, & Romæ fundatio, quibus Societas, &

lac præbuit sanctæ educationis, & exempla inuictæ pro Ecclesia mortis. Haud putem profectò absque diuino factum consilio, quod possit alioqui videri fortuitum, vt primus è Societate P. Edmundus Campianus, cum primo Romani Anglorum Collegij alumno Roberto Seruuino miscuerit sanguinem, eodem & loco & patibulo, & mortis genere necatus, omen piæ nostrorum, & Anglorum in Religionis defensionem concordiæ. Claudat argumentum Magni Baronij illustris notatio ad diem Thomæ Canthuariensi bis martyri sacrum. [videre metuit seculum nostrum hac ex parte felicissimum, quamplurimos Thoma, sanctissimos Sacerdotes, aliósque nobilissimos viros Anglicanos, ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos, dupliciſque tituli coronis auctos; cùm tot non solum vt Thomas, pro Ecclesiastica libertate, sed pro fide Catholica tuenda, restituenda, & conseruanda, nobilissimo martyrio occubuerint, vt inter alios quos nuper sancta Societas IESV, velut agnos innoxios in sacris septis, sanctis eruditionibus ad martyrium, acceptissimas Deo hostias saginauit; quos Remense sacra Collegia, quæ dixerim celsas turres à facie Aquilonis, & fortissima propugnacula fidei, emiserunt ad triumphos, prouexerunt ad coronas. Macte animo, macte virtute; Anglicana iuuentus, quæ tam illustri militiæ nomen dedisti, ac sacramento sanguinem spopondisti: æmulor sanè vos Dei æmulatione, cùm vos martyrij candidatos, ac nobilissimæ purpuræ Martyres designatos adspicio: compellor & dicere, moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.] Hoc Eminentiss. Cardinalis iudicium. Reducet identidem sub stylum hæc seminaria gestarum rerum occasio; nunc Societatem videamus iam Angliæ proximam, imo quod mirum, iam tùm in Anglia, cùm in eam pedem nondum intulisset.

Societas

Societas Iesu nondum Angliam ingressa, & iam in Anglia non vno carcere conclusa. Dotes Thomæ Pondo; conuersio; vita pœnitentis; opera fructuosa; carcer Christi causa; victoria, de Pseudoepiscopo.

CAPVT XIV.

PRÆROGATIVO iure sanè pretioso Societati IESV Deus hospitium mutatus in Anglia fuerat carcerem Londinensem & Vvisbicensem; possessionem eius nostro nomine inituri, pro fide Catholica carcere tenebantur viri egregiæ sanctitatis, qui nostrorum permoti fama de quibus audierant, aliqui ne viderant quidem, expetière Societatis institutum; atque vt par erat ipsomet in carcere in eam sunt adscripti. Sic ominatissimo præsagio, futurum Societas illic nata in carcere, in catenis crescceret; & quæstionum tormentis exercita, demum idonea euaderet, quæ curru publicè capitali ad furcam veheretur, vbi coram innumerabili spectatorum, & audientium populo sacrosanctæ Catholicæ fidei diuinam veritatem, & voce libera prædicaret, & toto sanguine prodiga confirmaret. Nullum opinor vsquam Collegium quantæuis doctrinæ & gloriæ, huic nostro exiguo non inuidit, quod in carcere Londinensi, nostrorum haud plus septem Anglorum conflabat numerus, cum P. Edmundo Campiano, in procinctu omnes ad ponendam pro fide Catholica vitam, quod pleríque illorum feliciter obtigit. Nunc est de singulis suo cuiusque ordine narrandum.

Primum nobis producit ætatis ratio annorum sex & septuaginta, quàm mira operum & perpessionum contexit varietas, Thomam Pondo Confessorem Christi fortissimum.

Hic Belmontij natus est, milliaribus Vvincestro duodecim, die mensis Maij vnde tricesimo anno æui post sesquimillesimum tricesimonono, parentibus Guillelmo Pondo, & Anna Vvrioteslea sorore Comitis Southamptonensis. Non est facile dictu pluribus animi an corporis dotibus natura puerum cumulasset, formosior quidem in omni ætatis, & virium gradu quàm aut lubrico adolescentiæ, aut eius saluti expediret; cui postmodum grandis, decora canitie venerandus, quam ornabat proceritas corporis, membris omnibus eximiè apta, & agilis; quæ de illo hic à me referri debuisse, sequens narratio docebit. Locupletabant mentem placendi

præsidia quæcumque possunt nobilem singulariter commendare. Nihil eò magnificentiùs, vrbaniùs, comptiùs, ingeniosiùs; cum amplitudine pectoris, & intrepido robore.

Politioribus literis excultus est in Collegio Deiparæ Vinceſtrensi, ad annum ætatis vicesimum tertium. Vbi sui cuiusdam gratulatorij Poëmatis recitatione Reginam excepit, tulítque ex eo non vulgarem Latini Poëtæ approbationem. Inde Londinum ad sapientiam, iura Regni, & leges cogniturus venit, vnde paulo post patre vita functo, suíque iam arbiter scholam aula mutauit, theatro suis mirè apposito partibus, vbi Elizabetha vitæ hilaritatibus liberaliter indulgens (non dico vt quidam, licentiùs, quàm deceret à Virgine fieri; latum gratiis, & laudibus pandebat campum, quas natura & ars inseruerant Thomæ Pondo eximias dotes, ísque apud Reginam vt veniret in dies acceptior, eas Patrimonij diuitis sumptuosa profusione explicabat; animi negotium inter hæc tàm nihili carans vt mente Catholicus, cœtera Reginæ haberi vellet sectarius. Iuuenem tot abruptis in vltima præcipitantem exitia, diuinæ miserationis admirabilitas in viam reduxit, & per eadem ipsa quibus peribat abrupta, in tuto positum, ad fastigium euexit excellentissimæ virtutis.

Solebant illic dies Christo nascenti, & Epiphaniæ interiecti, chorearum, musices, ludorum, & Comœdiarum apparatu incredibili celebrari; concurrebat flos Londinensis, & circumuicinæ iuuentutis spectaturus, aut spectaculo futurus. Instruendi festi, & sumptuum cura penes illum erat, cui præ cœteris demandare illam Reginæ placuisset. Incidit in Thomam eo anno 1569. sibíque plurimum gratulatus est honorem iuuenis, quod & in sumptu faciendo videri gaudebat splendidus; quod arte saltandi, & elegantia corporis, parem aula habebat neminem. Eius specimen artis, & magisterium editurus, saltationis elegit formam, quæ in sustentando pedis vnius extremis articulis, & circumagendo simul in gyros corpore desiuit, durante per tot vertigines puncto nixas, agilitate roboris, & capitis firmitate. Saltauit Thomas tàm eleganter, & doctè mimum versatilem vt ei tota acclamaret, & adplauderet scena; manum eius Regina prehenderet nuda manu, saltationis laudatæ præmio valdè singulari; galerum Comitis Leiceſtrensis, operiendo sudanti mitteret, ac post interludia quædam inuitaret ad saltationem iterandam. At hic arrecto in pedis articulos corpore, dum se rotat, agénsque in gyros multiplices vexat, obnubilante oculos vertigo capitis, humi toto corpore sternitur; exploditúrque haud minori sannarum, & ludibrij sonitu, quàm quo illi ante adplausum fuerat: Regina indignans dedecoratam ab eo festi lætitiam, insultat iacenti, & surge, bos; inquiens, crudeli sarcasmo risus integrat spectatorum, cum ignominia iacentis. Assurgit in genu cernuus, & venerabundus se illi inclinat; illud quidem tacitè apud se mussitans, sic tamen. Vt perciperetur à circumadstantibus *sic transit gloria mundi.* Exin aulam, & vrbem, & publicum exosus, Belmonsio suo se condit solus, vbi suo ex casu, eiúsque mercede; præmium reputans seruitutis in mundi obsequio

obsequio collocatæ; virorum stultissimum, ipse incusat, & stultissimorum miserrimum; haud tamen (quæ Dei est gratia) illorum qui tunc solùm aperiunt oculos, cùm cadunt in sepulchrum, nunquam surrecturi. Post ex se ipse requiritans quantò tunc secum beatiùs ageretur, si Deo sacrasset, & rationibus externis, quæ Reginæ oculis in Dei contemptum, & Religionis sacrosanctæ tùm egerat, tùm passùs fuerat, atque profuderat, magnam sui concepit miserationem, & horrorem; & ex reuocandi præteriti desperatione, tàm ardens, & constans emendandi futuri propositum, vt per annos exinde quatuor supra quadraginta, alius omninò ab eo qui fuerat vixerit (erat verò tunc annorum triginta) & quotidianis virtutum accessionibus vitam cumulauit.

Restitutus Ecclesiæ, ac Deo, paternæ domus habitationem, propinqui Catholici mutauit domo, vbi solitariam eremum, asperitate vitæ diu exercuit. Meditationi diuinorum media nocte horam dabat, sequebatur lectio piorum librorum ad vsque auroram, inde tres & quatuor horæ, resumptæ contemplationis; diei reliquum, in sanctorum Patrum studio versabatur, quo dùm vixit oblectabatur mirificè, hæc & ieiunandi assiduitatem, & somni duritiem, imminuto, vt solent, cerebro, aut superstitioso attribuebant hæretici, familiares imprudentem in seipsum interpretabantur sæuitiam, increpabántque sui velut homicidam. At is propria quadam sua deliberati animi firmitate, vtrisque superior nihil de suscepto vitæ pondere detrahens, istis quidem exemplo, illis euasit admirationi.

Biennio paulò plus, hic vitæ ordo tenuerat, cum visa est animi, quam vnam gerebat sui cura, in plurium vtilitates diuidenda; noctem sibi seruauit, & consuetas afflictationes; diem aliis dedit; iuuentuti præsertim Catholicæ quam domi cogebat, nec maiori vnquam triumphabat gaudio quàm vbi eorum sedecim aut pluribus sociis sacrificio Diuino, & epulo aderat. Nec hæreticorum vel in se priuatim odium, vel conscita Orthodoxis damna, illum ab iis iuuandis auertebant; in quo peculiari sua ad persuadendum facundia, cum sacri spiritus ardore coniuncta valuit plurimum; multos fulcit labantes, erexit lapsos, vacillantes firmauit. Ad hoc nulli parcebat largitati cuius quidem esset liberum nactus arbitrium; etsi enim hæres, & potens opibus, at ex matris adhuc pendebat nutu. Libenter sibi quod daret pauperibus subtrahebat, inuestigabátque diligenter quos mali omnis consiliaria egestas agebat in fidei discrimen vt quantocumque pretio seruaret animas, Christi sanguine redemptas. Confessoribus Christi qui carcerem summa in egestate, & miseriis lamentabilibus stipabant, ab nobilibus amicis stipem curabat, & largam, & crebram. Deque huiusmodi beneficentiæ præclaræ studio librum scripsit ad Henricum Comitem Southantonienscm cognatum suum, & insignem illic rei Catholicæ patronum.

His Pondo tametsi aliis esset admirationi; sibi parum ipse satisfaciebat; nec illam explebat seruandarum sitim animarum qua perpetuo vrebatur.

Optabat personam nobilis ponere, quod ea mundani aliquid oleret; & initiari sacris ordinibus vt totus iam Dei & proximi esset, quod ille in septimum conuersionis suæ annum vouit, ratus ad rem diuinam, & sacrum altare, se minus purè sanctéque accessurum, nisi vitæ maculas anteactæ, pœnitentia septenni, & aspera eluisset. Hæc sollicite cogitanti, venere in manus ab India nostrorum litteræ, de expeditionibus illorum in barbaros, ingenti labore, fructúque obitis; statimque legenti, Societatis desiderium sic exarsit vt se illi iam tum optaret in filium, & seruum, ignoræ licet mancipare, negans posse ignotam haberi, quam postremo ab orbe, tam clara opera illustratent. Vt tamen de illa certiùs, distinctiùsque cognosceret; contigit Roma in Angliam redire Sacerdotem quendam Toleti olim Discipulum, Henricum Alvarum ex eo disertè singula cùm audisset ad Societatis institutum spectantia, nihil animaduertit quod susceptæ virtutis, pietatísque genio non magnopere conueniret; ac nisi matre superstite prohiberetur bona sua largiti in pauperes, & suo discessu forent in fiscum redigenda; Romam illico nauim ad Probationis domum erat conscensurus inter hæc Deus familiaritatem illi obtulit iuuenis, haud scio an iisdem, eadémque ex causa desideriis inflammati. Hoc scio non diu post in Orientem nauigasse, & in Goæ confiniis per annos quadraginta Christianitatem collegisse, & excoluisse pietate, ac numero maxime florentem. Huic Thomæ Stephani nomen fuit; ortus natalium honestus, nec Pondo ignotus quare domi excepit sodalem, ac tantumnon parem; foris Pondo agebat Dominum, Thomas Stephani seruum; ad eludendas hæreticorum nares, indagandis & exsugendis Catholicis insidiantium. Exacto vnâ contubernio bienni, tenere se vltra Pondo non potuit, sed quocumque in posterum casus bona illa ferret quæ moras nectebant Societatem anhelanti, statuit conflata ex venditis quæ ad manum erant pecunia, suo cum Stephano, Anglia sese eripere, secúmque iuuenum lectam manum Romam perducere quos Societati pepererat. Quin & alios quam posset plurimos, eiusdem ingenij ac mentis, è Gallia, & Belgio quæsitos iis adiungere vbi portum Itium attigisset, quos suo, & ductu, & sumptu, Societatis candidatos, eius Præposito sisteret: in procinctu aditer virum sanctum miseratio subiit hospitis eiusdémque amici, quem in hæresis luto defixum relinquebat: ergo aliquot noctes, nihil non egit, ac mouit vt in sanam mentem eum adduceret; verum perfidia hominis contentiones eius omnes elidente, decreuit postridie vt primum lucesceret, prono Tamisi ad mare descendere. At enim Deo & de pertinacia hospitis, & de ipso, longè aliter visum quàm cogitauerat. Hospitem diuina bonitas, Catholicæ subdidit veritati; eadem illum in annos triginta ærumnosissimo carceri reseruauit.

Nocte si quidem discessum præcedente, en adest familia Episcopi Lonninensis, inuaditque Pondo nihil minus cogitantem, haud tamen ore vel animo conturbat, nec minori vultus & mentis sereno ducturos in carcerem excipit, quam foret nautas ad vela vocantes secuturus. Mortem

nihilominus

nihilominus præsentem cernebat, séque certò damnandum si vel scripta solùm deprehenderentur quæ aduersus hæreticos & Elizabethæ in Ecclesiam Regnum ferebat in sarcinis. Ad hæc quadriennem Societatis expectationem, in ipso quo erat ineunda tristi articulo sibi videbat interire; quod quàm dolenter, & acerbè ferret, ex nuntiis è carcere missis, vbi duos iam annos quæstionibus variis tortus, & debilitatus, contestabatur Præposito Generali cruciatibus illis dolere se leuiùs, quàm, Societatis iactura, tam impatienter.

Sexennio integro suspiratæ. Cœterum capto concessa est cœlitùs, conuersio hospitis, in qua nuper inanem sumpserat operam; quod nulla ex eo vis argumentorum euicerat; generositatis Christianæ obseruata in Pondo argumenta expresserunt, vt cum vxore omníque familia Ecclesiæ sanctæ conciliaretur.

Iam Pondo primum leuiter suspectus; post nouis inditiis, & criminationibus in carcerem actus impressiones blandas vrbanitatum fallacium diu sustinuit, pollicebatur illi Episcopus plenam libertatem, si ad publici satisfactionem in hæreticorum concione vel semel appareret; ille, vt erat mirè Comis, & solers, verba verbis humanissimè rependit. Ad rem; nisi offenso, inquit, Deo libertatem non possum recipere; ante se mihi animus abrumpat à corpore, quàm corpus à carcere quæ diserti responsi magnanima vox, in sextum mensem eius carcerem protraxit, post quem precibus Comitis Southamptonienſis donatus est, qui se vadem pro illo constituit, spondens fore vt in Anglia maneret; intra dies viginti vocatus se sisteret; paternis se laribus extra vrbem teneret, nec se negotiis immiscerет ad Religionem spectantibus. Præstitit omnia bona fide Pondo, nisi quod illuminandis hæreticis, & fluctuantibus firmandis nunquam abstinuit, in quo nobilis meriti socios habuit Georgium Cottonem, Henricum Scelleum, & alios, quorum palatia erant Belmontio vicina.

Hoc menses iam sedecim perfunctum labore, capi iubet Hornus Lincestrensis, & cum multis sodalium in custodiam dari. Ante tamen quàm sibi venirent in conspectum præmonendos curauit quò ipsi liberiùs in examine loquerentur, eo causæ Romanæ ac suæ ipsorum, grauiùs nocituros. Hinc illum vt sedit oratione malè concinnata, falsa, sacrilega, fastu superbo, conuitiis, & impiis tumida debacchantem, taciti cùm audissent, statim remittit in carcerem. Sparsísque latè præconiis, sua vulgat auctoritate, præsentia, rationibus conuictos, & confusos obmutuisse, nec ausos hiscere. Verum postridiè sua hominem acriter momordi- ractantia, iussis enim adesse ad tribunal, & proditoris Episcopi prudentiam edoctis fallaciam, vix dicere cœperat, cum illi mox Pondo, verba media truncare; falsi arguere, locum ex Vincentio Lirinensi contra Rom. Ecclesiam perperem detortum vera expositione defendere. Complebat aulam conferta multitudo orthodoxorum, & Protestantium, spectatura commissionem præclari certaminis, & nobiles reos ludibrio subiectos no-

muli, infra mediocres habiti, quales erant tunc ferè omnes Angliæ Præsules; & quod peius est vita maculosi, quales eos depingunt Puritani scriptores, & Bruniſtæ.

Hornus igitur in vado hærens responsionis quâ carebat, & illo in theatro, pudorem ignorantiæ non ferens, quæstione omissa, & velut oëstro actus vindicandæ quam sustinebat dignitatis, extra se abripi, & conuitiorum tempestate Pondo interea tranquillum, & silentem fulminare, quibus hic nihilo commotior, eandem illi difficultatem reponere, solutionem eius placidè rogare; idem alij exemplo, animosiores reposcere. Plaudere sibi tacitè Catholici; aduersarij suo Episcopo iam non tacitè indignari: at ille arreptitij in morem multis dæmonibus possessi, truncas voces illorum dentibus mandere. Nec itum vlterius in præsens, doctus suo malo Episcopus bimestri carcere maceratos dimisit. Pondo tradidit Iudicibus Laïcis, à quibus Londinum transmissus est, ad dicendam causam in supremo Regni tribunali.

Pondo in carcere excipitur in Societatem Thomas Stephani primus Anglorum ex nostris in Indias missus, annos quadraginta sanctè illas excolit. Admotæ ad euertendū Pondo machinæ. Ærumnæ carceris Vvisbicensis.

CAPVT XV.

DE custodiis variis quas triuit Pondo, & continuato per annos triginta martyrio nonnulla inferiùs; nunc summam votorum impetraturus à Societatis Præposito, Romam destinauit Thomam Stephani quem ante diximus, anno 1575. petens supplex & rogans quod tam pridem, & tantis desideriis ardebat in filiorum adscribi numerum; nec repulsam mereri quod longinquus ipsíque nec visus nec notus peteret cùm à Deo ad Societatem nec visam antea nec notam ni[illegible]ter Stephanum vrgeretur. Nam si libero daretur Anglia exire, conspectum ni[illegible] se illicò ad illius pedes vt vel infimum exoraret inter nostros locum, tan[illegible]etsi primum amore in filiis; obedientia in seruis nunquam non sibi esset asseturus; ac si tantùm sibi obtingeret boni, vt (quod prope abesse videbatur) pro re Catholica mortem oppeteret, æquum esse vt moriens eius esset, cuius totus in vita fuerat. Legatione hac Thomam perfunctum fideliter, abſit vt dubitem, quod postulauerat

rat Pondo, Stephanus non euicit; sibi cuius eadem erat causa, illud obtinuit, & Octobris vicesimo in S. Andræ probationis domo tyrocinium inchoauit. Verum tertio post anno, extimulatus optior acrius à Pondo, talem eum ac tantùm Mercuriano Præposito tam certò ac solidè probauit, vt Calendis Decemb. anni 1578. illum admitteret in Societatem, & corroboraret vnâ per easdem optatissimi nuncij literas ad vtrúmvis aut diuturnum pati, aut citò sed crudeliter mori. Quod illi subinde postea inculcauit, vt in Societatem conscriptus IESV, præeuntem Iesum per quæuis aspera, sua cum cruce sequeretur, vel ad Caluarium si res ferret, ipsámque adeo ad mortem. Abstineret interea Societatis habitu dum foret in Anglia, & multò magis in carcere; vitæ solùm exemplis, & sanctimonia, mundíque contemptu, superiorem se mundo & caducis præferret.

Inexplicabili gaudio Christi militem generosum, expectatæ tam dudum gratiæ aduentus auxit; nec minori arbitror Thomam Stephani Romæ Impetrata indorum Prouincia; nec facilè dixerim Pondóne beatior annorum pro Christo triginta carcere, an quadragenario labore Stephanis. Hanc ille à Deo multa sui maceratione; multis à Mercuriano Generali precibus sortem obtinuit; eò post Philosophiæ studia profectus sexto mense nauigationis Goam applicuit, anni 1580. Septembri mense. Angusto illic prope Goam Salsetæ peninsulæ Christianitatem colendam accepit, nec multum abfuit quin ei rigandæ sanguinem priùs quam sudorem daret, vt biennio post Rodolpho Aquauiuæ eiúsque sociis quatuor euenit, euidentissimo Christi odio interfectis. Apostolici muneris ærumnosissima opera annorum quadraginta, breuem illi mortem, Deo mutare placuit; semper fuit incolis mirè charius, conditione quàm semel inierat tàm iucundè contentus, vt nec aliam optarit vnquam, nec qui præerant ausi sint tam vtili operario Salsetam orbare.

Canaram linguam illic vernaculam in artem redegit, eiúsque publico magisterium dedit. Indostanam item quæ cultiorum est, & libros vtraque composuit tanti ad Christianam doctrinam, & pietatem vsus, vt nunc etiam festis post sacrificium diuinum in templis prælegantur.

Obiit Goæ anno 1619. septuagenarius, & meritis dines magno Salsetanis sui desiderio relicto à quibus amabatur vt pater, obseruabatur velut Apostolus.

Iam Pondo reuisamus, cui vita, vt indicauimus, tricenarium fuit martyrium, eóque acerbiùs, quo ardentiùs deperibat ad Tibornas furcas Londini illud absoluere, à quibus centies, passu vix vno distans, nunquam potuerat ad promerendas illas pertingere, nempe illi vt aliis quibusdam martyrium defuit, non ipse martyrio.

Sæpe, inquit, ad Sodales scribens variis distractos custodiis, Examen subij Domini Youngis; bis à quinque aut sex Cognitoribus delegatis; semel publicè ductus per medium populum, quod visus essem audaciùs pro fide Catholica respondisse. Inde tanquam damnato carnifex pileum,

& pallium abstulit, quodque mihi æquè vt illi dolebat, caput reliquit; onustum ferro raptauit in carcerem Portæ nouæ, conclamante multitudine *Crucifige* : eò peruenieram cum abundè satis, & liberaliter eleemosyna viduæ (tormenti hoc genus est) sum affectus. Decretoriam sententiam quatuor iam horas à meridie expectaram, cum ecce tibi de repente educor, ferro manus & pedes eximuntur, redditur capiti pileus, pallium humeris, mittor ad Collegium Lincolnense quod incolueram, dum Iurisorudentiæ studerem : quinque illic reperio Iudices delegatos, quorum vnus Topcliffus. Iis Regina mandarat, me blanditiis, minis, aut quocumque tandem euerterent, cuncta illi in cassum recidêre. Contestabantur fidelitatis meæ in Reginam probationes omnes inanes fore, nisi ederem eorum nomina, quibuscum mihi communia erant consilia. Respondi me vltrò paratum ad fidelitatem eorum certam iureiurando sanctè asserendam ; cœterum nefas esse hominem Catholicum, & probum, nec genere, nec educatione ignobilem, conscientiæ denique curam aliquam gerentem, amicis, & innocentibus damnum, aut periculum creare, & malè suspecta illorum nomina indicare. Sic frustra tentatum vrbanè in carcerem remittunt. Adest biduo post Topcliffus (Catholicorum inimicissimus rabula) & custos carceris, omníque comitate, dimouere me à proposito satagunt ; longa quin etiam altercatione diu mecum argutantur, quod dum frustra fieri intelligunt, causam meam pro desperata, & damnata flebiliter exclamant. At quo illi videntur pro me affligi potissimum, hoc ego vnicè glorior carcere scilicet, & fide pro qua pugno. Breui post reuocor ab Younge ; quærit Topcliffus cur ad me venisset, verebatur enim pro innata sibi affabilitate ne barbarus ille fori familiaris, mecum egisset indignè ac rusticè ; inde sua illa melliti sermonis dulcedine conatus est à me aliquid expiscari, de meis illis mihi singulariter intimis, at neque syllabam expressit. Hortatus est denique ad Cancellarium scriberem ; ac scripsi quidem, sed in eam sententiam ex qua pro reo habitus sum, inflexæ obstinationis, & inter Catholicos communi bono, hæresi scilicet inimicissimus. Nunc ergo teneor secreta custodia, & solitaria, spe nulla solitudinis mitigandæ nisi si denuò, Portæ nouæ reis proximè sistendis, accensus educar, fidelitatis erga Deum, & religionem Catholicam reus.

Hæc ille parciùs ad ea quæ annis triginta perpessus est, nempe ad huius sæculi annum quartum, qui fuit illi carceris vltimus, extátque illorum diarius liber capitum quinquaginta. Aliàs enim in septa carceris probrosissima coniectus, vt sunt Londini Portæ nouæ, sentina omnium facinorosorum ; cruciabilis simul, & probrosa, reis insignibus, hostibus publicis, perduellibus Regum, & istiusmodi portentis maioribus destinata. In illam ter Pondo intra Castellum Londinense reductus est, & septennio tentus. Expertus & subterranea, gelida, humida ; expertus angustissima, & rima qualibet malignæ lucis carentia, similiora sepulchris quàm ergastulis. Annos decem in Vvisbicensibus lautoniis marcuit, loci

loci terribilis horrore formidandis; sed præstantium ingenti cruciatu, & habitatione consecratis quos hæretica barbaries in barathrum illud lacunosum mittebat fœtore paulatim & putredine absumendos; erant illa vetustissimi Palatij quæ carcerem faciunt rudera pridem ac penitus deserta nisi Elizabethæ Ministri pro sua clementia, ex obliuione illa refodissent, velut aptissima ad concinnandas aura pestilenti, & aquis iacentibus sanctiorum Catholicorum neces, quos absque suo grandi dedecore, & iniustitiæ clara nota, necare ferro, aut laqueo non possent.

Patientia Pondo singularis, disputatio cum hæret. Damnatio iniusta pro tribunali Exedræ stellatæ.

CAPVT XVI.

CARCERIS toties mutati varia, sed semper misera grauitate, Thomam Pondo vexabant indigniùs carcerarij curatores, quibus ad assuetam barbariem accedebat Puritanorum rabies, & Protestantium. Audebant sceleſti confidenter, & laudi vertebant quicquid in viri nobilis contemptum, & Catholici nominatissimi tormentum agrestis impietas suggereret. Londino illum in castrum deportarunt Storfordiense inter Essexij, & Hertfordij confinia medium, & subterranea arctatum custodia, omni mortalium allocutione, & aditu priuarunt, ne illos vt erat solitus ad sanitatem Catholici dogmatis reuocaret. Illic dum Faber aptandos cruribus producit compedes, demisit vir sanctus in eos multum, & pios illos osculo libauit: quod haud scio quo modo interpretatus Faber, elatam subscudem ferream in caput ipsius demisit, nec adeo leuiter quin sanguis ex vulnere repentè flueret, eius aspectu nihil mutatus Pondo; ah! tam bona ex causa, inquit, hic mihi decurreret ex intimis præcordiorum venis cruor! quibus, & tam sedato ad tantam iniuriam animo prolatis Faber obstupuit, & interrogauit vnde illi tam certa Religionis veræ fiducia, quando tunc passim per Angliam Papista, ab reprobo, nihil diuersum sonaret. Eas illi Pondo edidit rationes, vt iis, & eius patientiæ insigni documento Catholicus fieret, eámque postea ob causam reus, sanctè in vinculis moreretur.

Ob hoc Reginæ administris fiebat intolerabile, non modo quod Pondo animum cruciatibus & dolore, non dicam domare, sed nec possent mollire; verum etiam quod tormentis euaderet semper mente vegetior & fortitudinis suæ spectaculo, Protestantes quoque vehementer salubritérque commoueret.

Nec verò feliciùs cum eo pugnabant Theologi, seu Protestantes, siue Puritani; tantùm dabat vtríque negotij, vt semel tentatum, deinceps non aggrederentur, tametsi scientiis superioribus non esset excultus, nam bonitate ingenij, scripturæ & SS. Patrum lectione assidua, & controuersiis versandis, illarum studia supplebat; consuetudine præterea captorum secum Sacerdotum, maximè P. Guillelmi Vvestoni, cuius sua quadam epistola, pupillus, inquit, olim fui, in castro Vvisbicensi, post in Londinensi quantum potui consolator. Experturi cum Pondo Trippus, & Crouleyus de Religione, plaustra imprimis effudere contumeliarum quæ excelsitate animi Pondo cum surdo similis exhausisset scripturæ loco tenaciter adhæsit quem alter illorum denique citarat cum explicatione illius perperam concepta, quia priuata, & arbitraria. De quo priusquam ageretur, fundamentum mitti postulauit Pondo quod nisi constiterit inter disputantes, tota in nihilum concertatio vanescit. Quæsiuit itaque, an esset scriptum ex priuato cuiusque, an verò ex communi SS. Patrum, & Ecclesiæ sensu exponenda; qua controuersia nihil iniquiùs ab aduersariis auditur. Nam si non valent diuinas paginas suo ipsorum sensu loquentes inducere, actum est de illorum causa; sin autem id cuipiam liceat, cur non & cuilibet? Sic sibi quisque fidei regula fuerit, quàm vero vna, & certa, vel illud doceat toties versatum ventilatúmque (*est*) sua quintuplici explicatione, quinque hæreses formans in consecratione diuini Mysterij quare Lutherus post consertas manus cum hæresum Ducibus triginta, quos hæc pepererat amens licentia, Dei sensus ex suo iudicio arbitrióque metiendi, quamque ipse stultè occuparat, sed serò doluit inuadi vsurparíque ab aliis, ex quo in aliud extremum prorsus, vt capi Maronis bucolica negaret posse ab eo qui pastoritiam per annos quinque non fecisset; nec epistolas Tullij, nisi annos viginti rexisset Remp. nec sacras paginas, nisi qui omnibus Ecclesiis præfuisset, suffragatoribus, & Assessoribus Elia, Elizeo, Baptista, & Apostolis Redemptoris, claudítque absurdè ineptus ex Statio. *Hanc tu ne diuinam Æneida tenta, sed vestigia pronus adora.*

Aduersarios igitur cum eò redigisset Pondo, vt in lucro discessum ponerent, cartam iis tradidit argumentis sex inscriptam quæ propugnauerat, rogans ea subiecto responso dignarentur, sibique pariter liceret referre, si quid noui animo succurrisset. At ij plus sibi ab stylo dedecoris, quàm lingua sua metuentes Ioannem Elmerum Londinensem Episcopum adeunt, tumultuantur Pondo insolescere in dies saperbiùs, tantúmque abesse, vt suis monitis potuissent illum Caluino addicere vt scripto potiùs pestilenti tueretur sese aduersus veras ipsorum doctrinas, simulque illi acceptum ab eo folium exhibent. Elmerus, & natura ferus, & falsa pietate aduersus Catholicos furiosus, extemplo mandat Londino procul abductum sepeliri, hoc est paucorum palmorum arcto cauo, & nocte tristissima condi, nullius vnquam lucis spiraculo interpuncta, nullius aditu, & alloquio recreanda, nullo somni fallenda leuamento nisi

quem

quem nuda in luto præberet humus ; quemque manicæ, compedes, & catenæ arcerent, & interpellarent præter cumulum à carcerario, his miseriis additum. Trippus interea & Crouleyus falsa victoria tumidi Responsum edunt ad argumenta sex Thomæ Pondo, si tamen inscribi responsio potuit, quæ disputationis omisso cardine, tota erat in Pondo Papista immani calumnia deturpando, quasi verbo & scripto defenderet, plus hominum sensui atque iudiciis, quàm Dei verbo deferri oportere. Sic ab iis impiè deprauatum, quod verè, sanctéque dixerat sacratas paginas non ex priuato cuiusque sensu, quo se iactant instinctos cœlitus Puritani) sed ex consensione Patrum debere intelligi.

Quàm mendaces probarat veritatis hæreticæ Magistros, tàm iniquos sibi expertus est iuris Administros: Nortonus Optoni assessor, Præsidis Castelli Londinensis, & carnificinæ quæ in Catholicos illic sæuiebat, persuadere illi aggressus est, saluo sectæ pudore quàm lingua & moribus pergebat Pondo deprimere, nihil aut in speciem mitius aut in vindictam acerbiùs, quàm si iuridicè pronuntiaretur minuti capitis, & Bedlamo stultorum, & maniacorum domo clauderetur. Consilium nequissimi hominis haud scio an secutus fuerit euentus, sed scio maligni consiliarij vxorem paulo post cerebro deiectam, in Bedlamo stationem sortitam, quam Thomæ Pondo destinauerat maritus. Verum ex reliquo tot calamitatum, tam conferto aceruo, vnum mihi legisse sat fuerit, quo circa vltimum carceris sui annum Pondo afflictus est. Lancastrensis Prouinciæ Iudices, Religionis causa Catholicos duos insontes damnauerant ; alter de more semiuiuus quadratim sectus ; alter suspendio necatus, vterque tam nullis probationibus vllius sceleris, & tam manifesta innocentiæ suæ fama, vt iam videretur Catholicorum vita haud pluris fieri quàm animalium, quæ arbitrio dominorum permittuntur, vbi libuerit iugulandæ, Regnum inierat Iacobus Scotus post Elizabetham quarto æui anno fato functam Martij vicesimo quarto. Nec vero simile putabatur futurum vt sæuas, & pro libidine Iudicum inflictas Catholicis approbaret pœnas, quin imo exempla in eos Iudices editurum quibus alij saperent, & Catholicorum vexatio quàm Ministrorum odia intendebant, remitteret. Hac prudenti & iusta cogitatione inductus Pondo, accusationem in eos scribit, qui damnationi euidenter iniquæ Lancastrensium duorum interfuerant, eámque Regi exhibendam mittit. Venerit necne in illius manus incertum est; sed iubetur Pondo iuridicè, Stellatæ Cameræ se consilio sistere, quæ Vvestminsteri sub Londino ad Austrum iacet, ab Exedræ ornatu Stellata dicitur, & causis enormibus cognoscendis, & diiudicandis occupatur. Ob hoc eò reus citatur Pondo damnandus calumniæ in Lancastrenses Iudices conflatæ. Sic inter se amicè aduersus Catholicos tribunalia coniurabant, & iniustitiæ in illos mutuam capiebant dabántque veniam. Horas octo iudicium tenuit ; solidam insumpsit fisci Procurator actionem, quâ inuectus est in calumniam & in Pondo, refricauit Iudicibus extra rem, Bullam Pij quinti in Elizabetham, & alia, quæ odia

Iudicum aduersus Catholicos proritarent. Ex aduerso Procuratori Pondo, de actore reus vrgebatur edere vnde nosset Lancastrensis iudicij gesta, tam longè Souhamptonio distantis, non potuisse id rescire nisi ex coniuratis, & conscijs quos sibi haberet vbique addictos; proferret certa illorum nomina, ni mallet tormentis exprimi. Cæterum duos Catholicos & reos fuisse, & iure Lancastri damnatos, dixit tantùm, & dictum pro Pythagorico certóque habitum. Sedebant Iudices Cancellarius, Ærarij Præfectus, & supremus Iudex, quibus Excellentia dignitatis Magni tribuit cognomentum. Ad hæc Comites, Barones, multíque alij, quorum quisque in Pondo quod libuit dixit; quod Pondo retulit contemptim auditum, & acceptum. Cancellarius tandem tradita sibi à Iudice damnationis sententia multauit Pondo aureorum millibus quatuor, & præcisione auricularum in pœnam Calumniæ; nec enim sinebat inuidia Catholici nominis, in seruili pœna infligenda nobilitatis haberi rationem; at ne forte inquit homo septuagenario senior impar dolori sit, mutetur hoc illi supplicium confixione auriculæ ad palum Vvestminstri per horas aliquot: inde in Prouincia Lancastrensi (quò erat multorum dierum itinere traducendus, altera illi ad publicum stipitem figatur auricula, (quæ dedecoris nota, numellæ apud nos respondet) vtrobique verò infamis capiti iubebatur imponi mitra, eius scelere inscripta, quod alioqui nunquam esset fassurus. Post hæc reducitur in carcerem hac lege vt si mali præsentis resipiscceret metu, condonaretur illi confixio aurium. Sin vero, tamdiu carcere premeretur dum suos socios nominaret Catholici dogmatis defensores. Mihi quidem nihil constat de huius sententiæ executione; sed constat ex Pondo nullis terroribus verbum excuti potuisse quod vlli Catholico periculum crearet. Constat item illius propinquos, & amicos adhibuisse legatum Hispaniæ ad eius liberationem; legatum Reginæ suæ precibus id tentasse, fastidiosa vtrumque repulsa ictum, Reginam sensisse minimè attingenda, quæ spectarent ad Religionem, & Papistæ vlli sua possent fauere intercessione. Ac nisi Galliæ & Reip. Venetæ legati, qui felicitates fuêre in mulcendo Regis aduersus Catholicos animo, probrosæ sententiæ præuerterint executionem haud temerè arbitrer, eam saltem ex parte in opus exisse; nam de condonato perpetuo carcere certum est.

Qui Thomæ Pondo aderat vir prudens, & totam iudicij seriem eadem stellata in exedra spectarat, narratione pleniori eam complexus est, ex qua quod hic ponerem decerpsi; sed amicorum ad quos eam mittebat credulitati cauens, sapienter monet, ne fidem annalibus Stouuo, Elinshedio, Gooduuino, Camdeno facilè commodent nimirum hæreticis, qui reos propterea Catholicos scribunt quòd fuerint publicè damnati; sed neque iuridicis tabellionum actis, & archiuio Londinensi aut cuiuis alteri. Quicquid enim Iudicibus libuit, obstante nemine iis statim insertum, ex quo iure rei iudicarentur Catholici, eorum aduersarij innocentes. Nam si ait idem scriptor & testis oculatus, Rege coram, regium tribunal, potestate

testate officij, & iustitiæ nomine peruersè abutitur ad inurendum veritati calumniæ & mendacij crimen, allinendum mendacio veritatis fucum; absoluendos reos, & insontes damnandos; quid tribunalia cœtera, quantò à regni visceribus, & Regis auribus semota, tantò licentiùs ad iniuriam prona, & appellationi minus obnoxia] hæc ille, quorum pro testimonio commodiùs alibi, falsas calumnias proferam accusatoribus improbis perfidia Iudicum dictatas (quod ipsi postmodum surdo conscientiæ flagello adacti, publicè damnarunt) & fraudem nec inter ethnicos auditam, quâ insonte Catholico obiecta falso crimina negante; notabat scelestus tabellio fassum esse, & confessione propria conuictum exhibebat.

Voluntariæ pœnæ quibus Pondo vinculorum augebat molestias, post annos triginta carcere liberatur. Qualis eius deinceps viuendi ratio. Mors Angli iuuenis horrenda, vocanti Deo in Societatem, surdas aures toto quinquennio præbentis.

CAPVT XVII.

REDEAMVS ad Pondo eiúsque vltimum vitæ actum, in qua si fuit admirationi, generositas constans inflexi pro Christo animi, augent profectò admirationem cruces spontaneæ, quibus suum iumentum (sic corpus vocare solitus) onerabat; vt necessariò fuerit à Generali amicè arguendus, monendúsque vt modum asperitati nimiæ poneret. Sed erat illi mortis quotidie imminentis excusatio in promptu, suíque in futurum incurius, id curabat vnum, vt coronam in præsens meritis augeret & erat profecto quo mortem in dies expectaret, cùm nullum dilabi occasionis articulum sineret, quin palàm & publicè, priuatim & vbique, & ipsis quoque pro tribunalibus, negaret Reginam aut Ecclesiæ caput & Gubernatricem esse, aut plus aliquid in ea habere sacri iuris quàm alias feminas. Quod erat illic nefas capitale, vnáque extiterat multis Catholicorum, mortis causa. Mortis eiusdem Pondo suspensus expectatione, decem sibi præfixit, quas assiduè versaret optandæ mortis rationes, tanquam boni longis desideriis vocati. Ad illam interea comparabat sese flagellationibus cruentis, somni breuitate incommodissima, & molestissima; continuata inedia vsque ad decrepitum ætatis. Ignoscat, ait rationem sui, ei qui nostris in Anglia præerat exponens; ignoscat R. V. si confidentiùs illi aperiam quod solitudinis meæ tot annis

expertus sum. Cùm aulæ nuntium remisissem, egi annos septem velut in eremo priusquam carceri manciparer ; triginta in carcere, tres istos liber, & extra carcerem, hoc annorum decursu quadraginta liquido comperi, post humilitatem, paupertatem spiritus, feruentem Dei amorem, mundíque contemptum nullis æquè armis terreri dæmonem vt ieiunio vigiliis, & precatione. Ac ieiunium quidem vnius in die refectionis continuasse se ait annos quadraginta vocárque hamum efficacem ad captu-ram vberem animorum & in vestium cultu nec sordes admisit, nec aliquid conditione sua inferius, sed quiddam potius sustinens maiestatis, quod diceret homini ad mortem quotidie pro Christi nomine accincto, diem quemlibet festum & solennem esse cultúque decenti honorandum, nec ingenerandam aduersariis, multo minus Catholicis opinionem status quo detinebatur tanquam infelicis, sed glorioſi potiùs, & beati. Precatio, lectio, lucubratio controuersarum quæstionum, sermo de diuinis, & religione ad socios carceris bonam noctis partem, dies integros occupabat. Quanto id rei Catholicæ lucro, Episcopi quàm furiosè tam apertè reipsa tectabantur, dum illum suis eiectum custodiis, abduci procul in alias & sepeliri solitarium mandabant, quòd in templa carcerem verteret; in veram sanámque doctrinam hæreticos; fluctuantes & trepidos, in deliberatam fortémque constantiam. [Pondo noster (scribebat Personius) seiunctus ab omni mortalium contubernio, & affatú, deserto in castello asseruatur solus, ferro vt plurimum & catena grauis. Quàm præter alia, conscisit illi Euangelicorum (sic dici amant hæretici prædicantes) reprehensio verax, & libera. Penetrari ad illum nisi periculosè non poterat, & furtim illi diuinam Eucharistiam afferens Sacerdos, interceptus cum esset, in carcerem actus est. Nunc, Deo laus, aditur facilius, mutuas ad illum mittimus, & accipimus literas & mandata. Narrat iis suas cum Prædicantibus frequentes concertationes, subterranea dicitur defossus custodia, cæca, lucis experti, nisi quam empta pretio & prece lucerna suggerit. Intonso pridem est capite, & promissis admodum capillis. Dormit nuda ferè in humo; vna, duabus, interdum & tertia catena vinctus, nec propterea desinit lepidè nobiscum per literas ludere velut suos dolores, & perpessiones non sentiret] ita de illo Personius, qui cum annos triginta in carcere decies mutato expleret, nouo consilio Iacobus Rex captos, Sacerdotes, & Elizabethæ edictis crudelibus mortis reos, exilio damnauit; laïcos dimisit liberos. Sic Pondo Belmontium remissus est milliaribus à Vvincestro duodecim; post à nouem-viris consilij publici commeatum accepit extra Angliam nauigandi, probè conscius inquit mihi æquè cordi nihil esse quàm vt Societati me redderem, sed conscendere paranti superueniunt literæ quibus ab eo cui suberat, loco moueri vetabatur. Postremò vnum & decem annos, quibus suo carceri superstes, quales exegerit narrat fusiùs sua quadam ad Personium epistola. Quam vt viris sanctis solenne est ab sui humillimo & abiectissimo orditur sensu, intérque alia; mihi quidem ait cui datum est aliquid pro Christo pati, nihil attribuo.

Vltimis

Vltimis meis ad P. N. Generalem hoc subscripsi chirographo *Tot annis in statera appensus Thomas Pondus*, si tunc aliquid à me aut postea gestum, Dei beneficio gestum est, de meo quidem nihil habet inde causam exponens cur de se tamdiù scribere distulisset. Captus ait pro Christo, iactatus sum in varias tricennalis carceris stationes, fisco solui primum aureos sedecim menstruos; annis dein viginti sequentibus octoginta, qui summam vnius & viginti millium excedunt; nauigaturus, bona olim mea, duobus meis ex Patre hæretico diuisi nepotibus, sed à me Catholicè educatis. Subsistere iussus sum quoad aliud Pater Generalis, aut R. vestra consilium iuberet. Nunc ergo voti exspes, & grauibus insuper calamitatibus conflictatus nudum me ipsi, & pauperem sisto, vt si quid hoc misero vitæ meæ residuo peragam dignum laude, penes R. vestram eius meritum, & lætitia sit. Quærit ex me denique pro sua charitate quid agam? qui viuam? quo animo in religiosa vita proficiam? si fas dictu quod planè sentio, benè felicitérque me dicam agere, nam quod capitalium Ministris professus sum, qui me Framingamiam in carcerem ducebant, hoc idem nunc, & profiteor vltrò, & sum vt spero æternum professurus, me pannos istos, pro Societatis habitu quos gesto, corona regia, minimè mutaturum. Dego meis duobus cum nepotibus parco victu; nec sum ille quem multi autumant opulentus; quia me vident in pauperes, vicinis meis largiorem. Ferè autem idcircò à nobilibus diligor, quod à me bona quibus tantoperè inhiant, nullo loco haberi videant. Cibus mihi præparuus, vinum nunquam, nec vnquam medicus cibus est medicina valenti. Ab hoc vitæ tenore familiares vt me dimouerent; importunissimam his annis tribus exhibuere molestiam; duraui nihilo segniùs, durabóque ad mortem, fauente Deiparâ, cœlóque vniuerso, nec enim arbitror me comprehendisse, sed ad destinatum persequor ad brauium supernæ vocationis. Ad hoc etiam R. V. me adiuuet; sibi nempe multis obstrictum nominibus, & filium in Christo licet immerentem, Domi meæ Belmontij, Iul. 3 1609.

Vixit ibidem sex deinceps annis, & Martij quinto anno 1616. ad coronam perpetui, heroïcique certaminis est vocatus. Obiit eodem in conclaui vbi ante annos septuaginta sex nascendo, brachium capiti extentum præmiserat, futuræ omen victoriæ. Fregit enim ferendo Magistratuum furorem potentissimorum & odientium, qui desperata torquendo spoliandóque victoria, cùm experti sentirent rem illi omnem præ fide Catholica, & vitam pro nihilo esse, vehementer mirati, odia in amorem, contemptum in reuerentiam verterunt. Quare in afflicta illic Ecclesia, viuentis & mortui clarissimum nomen est, tametsi se ferret ægerrimè à scriptoribus illorum temporum laudari. Sed de illo hactenus, de Mettamo & aliis carceris contubernalibus, qui parem cum illo Societatis incundæ gratiam exorarunt, in locum alium differo. Iis nunc opinor non malè opponam alium, qui magnis, & certis vocibus Deo Societatem inspiranti cum annos quinque obstitisset, pertinaciam suam morte tragica miser luit,

Anglus Catholicus, obscuris natalibus anno circiter 1563. Romam venit. Hunc Deus ingenti clamore vrgebat ad Societatem, nec ille vocantis ignorabat vocem, nec dissimulare poterat auditam, secum tamen, & cum Deo pugnans, annos quinque stetit immobilis; non quod vlla in re displiceret ei Societas quam eo ardentiùs deperibat quo se ingerebat in eius mores vitámque penitiùs; sed superbus quidam sui amor, & æstimatio insolens iuuenem demonstrabat, quà sibi parem in politioribus literis, & eruditione quadam varia, & leui censebat neminem, & hoc tanti quod putabat thesauri prodigium, non ferebat religiosa domo vitáque sepelire, velut hæc forent in Societate, vel ignota vel inutilia; iam illi quinquennium exibat quo toto spes magnas & operam conditionibus quærendis lassauerat cùm à Cardinali denique in familiam est adscriptus, ob ingenuam & valdè vrbanam quam præ se ferebat indolem; verum vt comperit suum illic ingenium, & polimathiam otiosa marcere; solos pedes, & manus occupari, quod apud illum diu vox Dei non egerat, hoc paucis diebus desperatio confecit. Guillelmum Cretonium Scotum adit, Societatis desiderium quo tenebatur ingens significat, opémque ab illo vt fiat eius compos enixè flagitat; Cretonius & Angli, & alioqui valdè idonei piam mentem, abundè propterea maturam, reputans, quod eam quinquennio fouisset, Polanco illum offert; à quo breui, & paucis perspectus admittitur, facta potestate, cùm libêret recipiendi se in probationis domum. At is velut natum ea nocte consilium ad eos attulisset, quod annos quinque versauerat, facultate oblata inhorrere; non esse religiosæ vitæ propositum nisi lentè meditatóque ineundum, suspenso incedendum gradu, nec more andabatæ, sed oculis maximè detersis; sub hæc abit infelix, nec se vlteriùs videndum exhibet. Huic tamen quandoque fortuito occurrens Cretonius, & de negotio, quid rei? interrogans, responsionem ex eo pauendam tulit; vellem Pater, vellem etiam brachij sectione Societatem impetrare, sed frustra sum; nec est in mea nunc potestate; dicto attonitus, & dicentis angore, quid ni retulit Pater? si velle tantùm sufficiat vt possis? ille, Deo, inquit, ah Pater! annos quinque solidos obstiti, obfirmauíque animum aduersus vocantem; & dum poteram nolui; nunc etsi velim maximè non possum, quo dicto abscessit. Die igitur quodam in aula Cardinalis dum fabularentur cum eo sodales de illo religiosæ vitæ proposito, repentè ab ipsis furore subito abreptus, præceps vicinum in puteum se misit, ex quo nisi extinctus, nullis valuit machinis educi. Collatis porrò spatiis temporis quo Mercuriani literis in Anglia Pondo adscitus est in Societatem; hic Romæ, præ Societatis desperatione, desperatam sibi conscinit mortem; videntur aut eadem esse, aut ab se inuicem non multum distare.

LIBER II.

Alanus Romæ. Alani rationes ad impetrandos Angliæ suæ operarios à Mercuriano. Optarat S. Ignatius inducere Societatem in Angliam. Anglorum dotes egregiæ.

CAPVT I.

ROMAM mense Octobri, anno 1579. Alanus appulit, vt quod sapienter optarat Personius, eo pietatis & doctrinæ consensu, seminarium Remense Romano sociaret, quo iunctis viribus fortiùs Angliam iuuarent. Inspecta illic diligenter selecta Romani iuuentute, disciplinæ sanctimonia, viuendi ordine ac discendi, sic delectatus est, vt erga hoc nihilo frigidius quàm in suum illud Remense ferretur, & arderet. Quare datis deinde ad eius Rectorem Gazzarium, aliósque nostrorum literis, suos compellabat in formandis ad martyrium, aut Apostolatum, aut vtrumque Anglorum animis Collegas. Verum aliud quiddam voluebat tacitus, cuius potissimum gratia Remis iter molestum Romam susceperat, nostros videlicet operarios Angliæ, à Mercuriano Præposito impetrare; nam si tantùm pollebant virtute illorum discipuli & alumni quos ad hoc fingebat Societas, quid non erant ibidem præstituri ductores, & Magistri? suas in eam rem perpendendas illi tradidit rationes, quæ cùm possint quoque in posterum valere plurimum, visum est saltem obiter illas indicare.

Prima erat temporis ratio, quo eodem ruinis Angliæ, Societatis ortum Parisiis opposuerat Deus; exterminatis ab Anglia religiosis ordinibus, Societatem Romæ decreto Pontificis in religiosas adscriptam familias, & peculiari obstrictam voto, obedientiæ Christi Vicario præstandæ, quam Henricus octauus Deo rebellis excusserat; Deo, quod semper aliàs notatum, summis Ecclesiæ cladibus, summa remedia parante ídque prouisum diuinitùs, obseruarunt Pontifices, ac præter scriptores huius æui sexcentos, Sanderus, & ipse Anglus, & clari in rem Catholicam meriti. O, inquit, Dei erga Ecclesiam, nosque priuatim Anglos clementiam inexplicabilem! Dum ore sacrilego in Germania Lutherus

Deum ac diuina proscinderet; Henricus octauus religione omni pessumdata, Papæ sedem, ac nomen execrationibus publicis deuoueret, Ignatij Loyolæ spiritum eiusque socios, ad religiosæ vitæ absolutissimam exciuit, & exegit formam. Quâ nuncupato Pontifici voto, impietatem Lutheri, & Henrici furorem, ab animis Catholicorum defenderent, quocumque terrarum & gentium, per quæuis pericula, in Ecclesiæ obsequium ituri, solo Pontificis contenti nutu, velut Christi mandato, & de incerto viæ subsidio fidenter securi. Quibus ex Ignatij pollice disciplináque mirabili profectis inditum est nomen Societatis IESV, quod vltimis non modo Indiis, orbísque finibus celeritate incredibili paríque industria importarunt, sed præsentiori suo forte periculo, in Septentrionis, nostræque Angliæ populos hæresum tabe ictos mortifera, & dominorum sæua tyrannide ab orbe Catholico diuulsos, hæc & similia Sanderus.

Ad strenuam operam reparandæ inter Anglos auitæ veritatis seruabat viuacem stimulum, & pignus, vocem S. sui parentis Ignatij, quâ olim prædixerat fore, vt eo in Regno maximè floreret Societas. Nam si aiebat Alanus Doctor nusquam barbarorum, terrarum, & periculorum erat quo Generalis Præpositus ad conuersionem ethnicorum suos non mitteret; nullæ tot ærumnis & mortibus consitæ expeditiones quas illi nobili ambitu non afflictim prensarent; qua mente poterat Angliam neglectim præterire, tot retrò seculis Christianam & gloriosè Catholicam. Ita quidem ex vero, & æquo Alanus; constabat præterea ex Archiuij nostri monumentis, fundatori nostro sanctissimo quantoperè cordi fuisset Anglia. Scribens enim ad Polum Cardinalem, de Societatis quam amicè amabat incrementis; deferebat illi pro Anglicana iuuentute, Germanici Collegij tunc aptum subsidium, quòd nondum esset certis nationibus obstrictum, sed pia eiusdem sancti Patris aleretur foueretúrque charitate à quo primum fuerat inchoatum. Significabat nihil à se omissum apud Hispaniæ Principem; tunc Angliæ Regem Philippum secundum quo Societati pateret in Angliam aditus, fuisséque id eodem à Principe Patri Araozio, Patri Francisco Borgiæ, & Eleonoræ Mascarenniæ diuersis temporibus promissum, tametsi ob causas quas nihil attinet referre, votis euentus nequaquam respondisset, vt nec moræ quam illic Ribadeneira traxit, Gomezium Figueroæ Comitem secutus, quem eò Philippus destinarat vt Reginæ Mariæ adesset ægrotanti. Dum ergo ex cœli placito, Societatis in Angliam ingressus expectatur, in Societatem Angli, & multi, & magnis dotibus subeunt; tam multos enim à Laine & Borgia viris sanctissimis admissos cùm eorum successor Mercurianus comperisset, augeríque in dies animaduerteret, nunc, inquit, videtur statutum cœlitùs, adesse tempus quo Societas in campum exeat ad profligandas Angliæ hæreses, tam copioso, & valido instructa milite, quod idem etiam largius expertus est cum vel vno 1578. anno Anglos duodecim Societati Belgium dederit, vincebátque præstantia numerum

&

& inter cæteros non mediocriter eminebant ; augebat illorum vbique gloriam illustre pro fide exilium , & extra rem foret inire hic eorum numerum , qui tota Hibernia , Belgio , Gallia, qui Germania , Vngaria, Polonia, Lituania, qui per Hispaniam , & Italiam forti exemplo oberrabant; notaréque illos nominatim quorum egregia sanctitas peculiaribus Dei donis condecorata est , præter alios in omni genere literarum , & interiori pietatis , ac virtutum magisterio claros ; vt de iis fileam quos vtraque India , & castra Pannoniæ aduersus Turcas , & calamitas peste contactorum cum eximia laude occuparunt.

His Alanus plus satis probabat Angliæ succurrendum & suggerendos illi à Societate operarios , quæ Societati tam multos suggereret, quorum, & præcipua charitas , patriæ debebatur supremum laboranti , & allatum ei ab iis auxilium non esset reliquas regiones suis præsidiis orbatura.

Nec videri satis Societatem huic officio facere colligendis in Seminaria , & instituendis Anglis exulibus. Partem Regni hos esse minimam, & præsidiis animi minimum egentem , cuius ipsi robur deferendis cum patria domibus tam alacriter probassent. Illuc esse vertendos conatus , vbi prælium esset aduersus omnes Catholicos grauius , periculosius in vacillantes ac debiles ; in lapsos miserabilius ; egere denique gentem vniuersam tanta ope , quantam non posset ab Sacerdotibus optimis , sed paucis expectare ; quique illam ipsimet à Societate flagitabant , nec sperabant se posse aliunde illam accersere. Rationibus Alani forsitan videar Societatis moras incusare , quæ nihilominus in hunc de quo agimus æui annum septuagesimum nonum , Elizabethæ furentis vicesimum , suppetias ferre distulerit ; ac ne tunc quidem grati animi , iuris , ac precum argumentis , etiam summo Pontifici admotis , Mercurianus nisi ægrè adductus cesserit postulatis ; negans aut posse , aut debere , ac difficultatum nectens obices , sed superabiles , & cum Iaponibus , Brasilis , & longinquioribus aliis nationibus communes , quibus tamen vltrò suorum paucitatem , sudores & sanguinem Societas prodiga ingerebat , si nullos eorum in suis numeraret.

Quæ causa fuerit missionis Anglicæ lentiùs admittendæ; eius ipsa ex Anglia petitæ rationes; Cleri Anglicani virtus, & doctrina. Juniores illius Ministellorum vafricies tentat. Ad eam expeditionem Patres suam certatim operam deferunt. Cura illius Personio, & Campiano committitur.

CAPVT II.

HAEc nihilominus Generalium nostrorum cunctatione in speciem tam lenta, nihil fuisse vel ad rem prudentius, vel opportunius potuit, etsi alioqui Mercurianum æquè nihil vreret, vt ardor iuuandæ per nostros Angliæ, quibuscumque tandem id staret periculis. Expetebantur illic magnis desideriis ab vtroque, Cleri, & Laïcorum ordine, cuius apud scriptores illorum temporum leguntur testimonia luculenta. Vnum vice omnium hic reddo Seminarij Remensis cuius alumni omnes; inter alia [monemur, inquiunt, nostra ex Anglia, Societatis Patres illic vehementer à Catholicis optari, & peti, haberíque ab iis pro indubitato, si pedem semel in ea fixerint, messe vberrima coronaturos illam Ecclesiam. Ad hoc Patres illos crebris literis postulatos, & quicumque ab Anglia veniunt idem rogare ac poscere.] Hæreticis contra nihil erat tam formidabile vt nostrorum ingressus in Angliam, quem iis & procul ex Anglia Caluini Assectæ, & Lutheri ex Germania propiùs intercludi modis omnibus debere per literas monebant, nimium experti quantis se afficeremus damnis; Marte quàm serio & aperto suas conuelleremus sectas; & sua in summum Pontificem odia; suorum ad hæc in Anglia, & nostræ lucubrationes prouocatoriæ, quàm nos sibi probarent esse contrarios, & infensos. Sic ergo vtrimque animo comparatis perspicuum erat, magnis illic nostrorum aduentu certatum iri motibus, vt statim factum est, cùm primi duo appulissent, orthodoxis iuxta & hæreticis de illorum ingressu, toto regno varia vbique iactantibus. Cùm vero penes hæreticos rerum omnium summa verteretur, clarum erat ab iis prodituras, in Sacerdotes, Seminaria, & Catholicos edictiones sanguinarias crudeliores prioribus, vt reipsa paulo post contigit quàm ij quos diximus è nostris duo applicuissent in Angliam. Iam suopte instinctu si vltrò Societas, aut cuiusvis rogatu se illuc

illuc intrusisset, aut valdè me fallit futuri coniectura de præteritorum experientia, vel prœla, fora, tribunalia, & omnium aures querelis in nos, & calumniis feruerent, tanquam auctores tempestatis, temerarios, & turbatores tranquilli publici, proinde regno prudenter amouendos, aut ignominiosè exturbandos. Cunctatione verò tot annorum ad multorum preces, & Instituti nostri monita velut surdis, gentísque egregiè meritæ amori diu parum gratis, post verò, etiam Pontificis Maximi Gregorij XIII. auctoritate, iussúque eò missis, nihil querelarum fuit metuendum nihil criminationis, & accusationum, quicquid tandem malorum, euentus inuexisset, dum (quod semper solerti cautione curatum) consultè omnia ageremus, neque alios nunc metus innuo, nisi proritandarum exterius procellarum, & incrudescentium edictorum; nam vel duo tantùm qui primum Angliam subiêre, lapsorum tot millia restituere sanæ menti, vt omnem nostri expectationem vicerint, & amorem. Certè Campianus die vno, plures mortis suæ spectaculo ad Ecclesiam reduxit hæreticos, quàm multis post annis, arte, armísque à religione hæresis auertit. Quod erit à nobis suo loco, liquido probandum.

Porrò hæc nostra lentitudo, timidioris licet visa consilij vt est eorum qui vident longiùs, nec in futuris possibile satis à probabili discernunt, reprehensa est tamen, & doleo, præcipitatæ festinationis. Clerus Anglicanus, quantum virtute & sapientia Ecclesiis cœteris emineret si est inuidiosum apud me legere, dicat Thomas Morus integerrimæ vir fidei, & sanctimoniæ, quantum, inquit, & meis oculis, & fide dignis credere debui, [audacter assero Ecclesiasticum Angliæ ordinem, eámque maximè eius partem, quæ secularium dicitur Clericorum, vitæ probitate, & scientia, cuiuis alteri totius orbis Christiani aut esse parem, aut si venia detur comparationi, superiorem] necdum tamen spectarat, ex eodem Sacerdotes centum diuersis mortibus religioni Catholicæ litare; quod si viri tanti, sed Catholici fidem suspectam habet hæreticus, in promptu sunt nobis etiam hæretici, quibus euidentia meritorum duplicem illam virtutis & doctrinæ laudem iisdem Henrici octaui temporibus expressit.

Ex his, eadémque profectis educatione fuêre Sacerdotes, qui nostros primum Angliam ingressos, quàm ardenter optarant· Tàm sunt beneuolè cupidéque amplexi; tàm deinde illos, eorumque postea socios liberaliter, magnificéque celebrarunt; & beatam prorsus illam Ecclesiam, si consensionem illam animorum in Dei opere constanter tenuisset. At enim humanæ infirmitatis errore infelicissimo, & ministellorum fraude maledica factum est vt dissolueretur, scinderetúrque in partes oppositas, quarum nec maior nec melior, quantum valuit contendit, nostros omnes regno eiicere, Color mendacio contra nos, & iniuriæ illitus, missis in vulgus libris Sacerdotali stylo tam indignis vt illos postea sui quoque erubuerint auctores; eterodoxi mirè prædicarint. Penetrasse se Societatem in Angliam anno 1580. nec iussam nec vocatam, primo statim suo aditu turbasse omnia, causam damnis dedisse ingentibus, & acerbissimis in Catholicos edictis.

Et erant hæ quidem & sunt hodiéque Protestantium meræ fraudes, verum aliis idcirco in ore positæ vt fierent credibiliores, nósque magis populo exosi. Sed erit cum ignes suppositos cineri, vel suspensis obibo vestigiis, vel fortè præteribo, quod nunc mihi non fuit liberum, ne cunctationes Mercuriani longas, meo silentio damnarem velut indefensas, quas rationibus occultis alij Prouidentiæ communis non satis tuebantur, alij nec veris, nec decoris, quòd Societati tunc deessent Angli qui possent pondus tantæ missionis cum dignitate sustinere.

Vt verò Alanus Mercuriani moras rogando expugnauit, Pontifex autem innuendo, Oliuerius Manafeus Germaniæ, Galliæque tunc Assistens procurando; quantis eam prensarint studiis tùm Angli tùm externi, dicat ipse Alanus, qui partem illorum saltem aliquam vidit [dicam quod res est, inquit, vt primum percrebruit inter Societatis Patres, quos vulgus nominat Iesuitas, decretum esse vt ex iis in Angliam aliqui mitterentur, prout tempus, & occasio ferret, incredibile dictu, sed teste Deo, verum est quod scribo; viri scientia præstantes, non Angli modo, sed diuersarum quoque nationum ad Prælati pedes cum lachrimis, & significatione intimi affectus illam sibi ambiêre Prouinciam, vt palam in Academiis, aut Protestantes reuincerent, aut nobilissimo in regno, pro vera fide animas ponerent, à qua illud tam procul exerrare vehementissimè dolebant] hic si Alanus aliquos notasset externorum qui missionem hanc tanto ardore prensauerant, nominasset profectò Claudium Aquauiuam, tunc quidem Prouinciæ, Societati deinde Præpositum, quo illam nemo feruentiori ambitu petiuit.

Iam tanti moliminis expeditionem quàm serio Societas nostra oblatam acceperit, quantos ad eam attulerit spiritus, quo fructu obierit, testem Campiano qui pars eius fuit, non possum dare, magis idoneum, Elizabethæ consiliarios, hac prouocatione admonentem. [Ad Societatem nostram quod attinet, scitote, nos ait, quàm latè orbis patet, eo numero esse & iis succidaneis augeri, vt possimus durando vestras omnes disiicere machinas, omnes verò sanctè coniurasse ad cruces quascumque nobis imposueritis ingentibus animis perferendas, nec desperaturos vnquam salutem vestram, quamdiu vel vnus de nostris fuerit vestro ex Tiborno, & è vestris superstes lanienis. Res est maturè iam deliberata, & cum bono Deo, pugnam quæ nunc initur nec vlla vis, nec impetus franget. Sic fides principio consita, sic referenda est, sic eius quod periit reparandum] hæc ipse Campianus, cui cum Personio sors felix obtigit vt essent illius Apostolicæ operæ conditores, probante plurimum Alano, conditores inquam, ex quo illam suscepit Generalis non remporariam, sed continuandam in posterum, & perpetuandam; quod Societati nondum propositum fuerat cùm illuc anno 1546. traiecit P. Thomas King aliíque de nostris per annos deinceps sedecim.

De Campiano & Personio quorum alter doctrina & sanguine, annorum alter triginta sudoribus eam insulam rigauit, interest scire cuiusmodi fuerint, qualésve illuc à nobis discedant.

Campian i

Campiani egregia indoles, ingenium, studia, eversio per Cheneum Glocestrensem, & Ordinatio in Protestantem Diaconum, resipiscentia, fuga in Belgium.

CAPVT III.

NASCITVR Londini honestis parentibus Edmundus Campianus Ianuarij vicesimo quinto, anni 1540. quo eodem Romæ Societas nata est, à qua in patriam quadragesimo post anno remissus est, nasciturus iterum beato inter superos æuo, inter homines immortali. Tunc verò qui nobis est Ianuarius 1540. anni principium, Anglis erat anni tricesimi noni, mensis decimus, quem annum Martij vicesimo quinto incohabant, & hac leui obseruatione, conciliatur ratio temporis apud varios scriptores diuersa.

Puer felicitate ingenij supra coæuos tanta excelluit vt nondum trede- 1553.
cim natus annos, publicæ lectus sit interpres lætitiæ, & oratione gratulatoria Mariam exceperit, defuncti fratris Eduardi, sceptro recens, & regno potitam. Dicentem audiuit Thomas Vvitus vir magnus, & Catholicus, viuax pueri suspexit ingenium collecta modestia ita castigatum, vt de gratia dicentis nihil demeret, illúmque quadriennio post, honori duxit, habere Ozonij inter primos sui S. Ioannis Baptistæ gymnasij Collegas. Id 1557.
enim Collegium ante centum & quindecim annos ab Henrico Ehichisleyo Cantuariensi Archiepiscopo S. Bernardi titulo fundatum, nunc tantumnon vacuum & desertum, suo sumptu Vvictus instaurarat, ob hoc illud ei attribuo.

In Academiæ illius magna luce, magisterio virorum præstantium, præter linguarum peritiam Campianus, tam consentienti vniuersorum iudicio primas adeptus est in eloquentia culta & mascula, vt qui vtraque excellerent Campianistarum gloriarentur cognomento. Quæ plausuum auræ leuabant hominem ad felicitatis caducæ spes magnas, & miseras, nisi animam illam Deus ad solidiora destinatam, iis ipsis plausibus vt post videbimus in viam reduxisset. Post Philosophiæ lauream septenni vt Ozonij mos, studio magnificè partam; sex Theologiæ, quod scribit ipsemet, insumpsit, & sanctis Ecclesiæ Patribus ac Magistris; quos audire præsentes videbatur dum legeret, adeò in iis acquiescebat totus. Nihil fuit interea publici muneris, & honorifici, quod magno assensu non gesserit, etiam

Procuratorem qui à Procancellario primus est, & suffragiis pluribus, ac notioribus meritis confertur.

Hunc honoris & commodi cursum, incitabat excellens præ omnibus ingenium iuuenis, & eruditio; & generosa infra illos demissio animi, quâ nollet videri nisi vnus ex ipsis: Scriptorum neminem reperi vel Catholicum vel eterodoxum, qui eius moderationem, suauitatem morum, consuetudinis amabilitatem, & verecundam modestiam non laudet; & quidem non elaboratam, sed insitam, & indolis propriam sic attemperatæ vt esset omnibus percharus. Eam ob rem quàm mendax tam mira videri debebit vituperatio, quæ illum postquam Catholicis, & nostris accessit, velut Ozonij portentum & Angliæ odium criminatur, quem adhuc hæreticum, regni decus, & delicias celebrabat.

Nam Elizabetha, post sublatam è viuis Mariam, omnia denuo in ruinam agente quæcumque illa instaurarat; & Ozonienſi schola, ad hæreticæ errores & placita se fingente, torrenti se credidit Campianus, & in eadem ab illis Elizabet senioribus Theologis est abreptus, animo tamen nunquam non anxius, & pendens, & partes inuicem vtrasque committens nec mente Catholicum, nec Protestantem sincerum aliquamdiu gessit, cuius illi fluctuationis occasio extitit, obseruantia improba Magistrorum, quos colebat vt Patres; & esse ingrati censebat animi, quorum fauori debebat omnia, & à quibus omnia expectabat, hos ab se iuuene argui vt ignaros, vel damnari vt impios. Cœpit tamen suspectus hæreticis esse quod occupatione studiorum suam excusaret ab cœnis eorum sacrilega, & concionibus absentiam: sed ne illi negotium facerent verabat seu amor quo in eum propensè ferebantur, seu fictio simulantis interdum se esse quod non erat. Ætate maturior, de Philosophicis coram Elizabetha disputauit, quæ tota cum aulæ maiestate, Ozonienses visebat scholas, dixítque illi gratulationem Eucharisticam earum nomine de qua P. Thomas Fitzherbetus, (tunc nobilis aulicus, scribit Campianum in illo tot Literatorum theatro amplissimo, præsertim Oratorum, eloquentiæ palmam tulisse apud omnes, quàm neruosæ ac fortis, tàm gratæ ac suauis, quare illi ex ore aut stylo nihil solitum prodire, cuius non ex eo certatim exemplum poscerentur. Regina oculos ab dicente amouit nunquam; laudatum mirificè, pronuntiauit excelsiori parem loco, in quo Angliæ toti ornamento esset, & decori futurus; commendauítque iam tùm suo illi Dudleo Comiti Leicestrensi, qui suam quoque ipsi gratiam detulit, iussítque quod vellet in præsens optare Præfecturas etiam vt aiunt Ecclesiasticas; curæ in posterum sibi fore vt ei consuleret. At is licet fortunæ infra mediocrem, induci non potuit vt præter gratiam Reginæ aliud peteret, quod si fuit innatæ modestiæ, multo magis arcanæ in illum Dei bonitatis, ne implicaretur iis laqueis obligationum quos pro sua illa qua laborabat, vrbanitatis nimiæ comitate, nisi miraculo, nunquam auderet abrumpere, sed eam seruaret sui arbitrij libertatem, quæ ipsi salutis principium fuit.

Verum vt est) mobilis iuuentus, quem conditiones ab Regina oblatæ

non

non irretierant, promissa Episcopi Gloceſtrenſis tunc periculosiùs expugnarunt, cùm esset iam propior Catholico lumini, quod plus biennio inuestigabat tam acri cura quàm se illi sincerè ardebat mancipare; nam sectis Angliæ vel ex eo censebat, nihil veri & solidi subesse, quod ex Protestantium mera libidine, & Parlamenti diurnis arbitriis penderent, nutarent, ac mutarentur omnes, & mensis alterius fides non esset eadem quæ mensis anteacti, maximè autem omnium longæua, quæ annum implerent: quod S. Hilarius Arianis quondam exprobrarat: Catholicæ verò Romanæ constantiam iam inde ab Apostolis eandem, & consensione omnium temporum confirmatam, ineluctabile experiebatur in nouas hæreses argumentum, ex quo illi primum rationem decem libellus aureus in mente natus est, cuius deinde robore obarmatus Academiam vtramque Ozonienſem, & Cantabrigienſem in certamen vocauit. Firmauit quoque nutantis animum, frequens quidem cum defensoribus errorum etiam Episcopis concertatio, sed ex qua nihil vnquam vicinum probabili referebat. Vnus miserum lethali beneuolentia potius, & comi popularitate quàm rationibus expugnauit.

Fuit is Riccardus Cheneus Gloceſtrenſis Episcopus, quem describit ipsemet Campianus, ætate sexagenarium, corpore infirmum, moderatione animi semper æquabilem, vita quoad cerni poterat innocentem; affabilitate, & vrbanitate mirè amabilem. Antiquitatis de cœtero in paucis curiosum, præsertim Ecclesiasticæ, de qua narraret aliquid, aut probaret, insinuabat se tam dulciter audienti vt philtro quodam parabili videretur illum sibi penitus incantare. Catholicis quidem minimè molestus, sed suis beneficus, & largus, contra quam omnium Angliæ Præsulum vix duos notasses qui suas Ecclesias non dilapidarent, ne tectorum quidem parcentes plumbo, & marmoribus ædium, Episcopiis, & possessionibus, quin pecuniam ex iis conficerent, si modo emptores inuenissent. Cheneus ab his adeò diuersus, vt de suo quoque in eas expenderet, suóque Palatio ciues omnes velut hospitio communi gratuitóque exciperet. Religione certè Luthero adhærebat, sed parciùs & quibusdam solum in dogmatis; cœterà nimium de Catholico retinebat, quantùm scilicet conferret vt ex Catholicis faceret Lutheranos. De arbitrij libertate, Eucharistia, Conciliis, Patribus, nobiscum sentiebat; de Caluino & Zuinglio pessimè; quamobrem infensos habebat Protestantes, maximè Puritanos, quorum fidem probabat ad infidelitatem vergere propiùs, & hanc ad imum perfidiæ atheismum. Verum hac denique perspectæ veritatis opinione quâ clarebat, & perspiciendæ vlterius tranquilla, & assidua cura, minus cautis suas sine sensu hæreses instillabat, & suauitate dicendi agendíque iuuentutem Catholicam ad se adeuntem, Lutheranam ab se dimittebat.

Quid plura? captus est etiam Campianus, eóque pernitiosiùs, quo sua vtrumque moderatissima indoles arctiùs copulabat. Longas ergo inter se horas de religione trahere, Ozonij, Gloceſtri, vbíque, quàm longissimè abesset Episcopus; qui nihil ei æquè ac sæpiùs inculcabat, nisi vt regia

incederet via, & per quidque obstaret, tritæ à Patribus, Conciliis, seculis orbitæ constanter insisteret; quæ ab homine dicta, qualem ipse depinxit, & amicissimo, & suis commodis dignitatique promouendæ sic addicto, vt eum etiam sibi designaret in Episcopatu successorem, Campiani affectum ita subegerunt vt iudicium pariter argumentáque omnia affectus subigeret, puderétque non totum eius esse, qui tantum se amaret. Caput igitur profanis hæretici manibus subiecit, inauguratus ab eo Diaconus, & Concionator; peruersa fiducia perpetuandæ per eum sectæ suæ, quod & sibi æqualem scientia literatis; & superiorem dicendi gratia populo esset relicturus.

At hæc sacrilega Diaconatus infausti dignitas qua perfidiosus Episcopus Campianum sibi obstrinxerat Campianum eidem abstulit. Narrabat ipse de se imponente sibi manus Episcopo, cœptum angi quibusdam furiis, & cohorruisse ad tantum nefas, tamque indomitis confixum, & dilaceratum aculeis, vt diu, noctuque lancinante, & improperante conscientia torqueretur. Animæ bonæ residuum, acérque stimulus resurgendi. Lapsi dolorem auxit epistola Georgij Martini sero dissuadens, cuius nullum restabat præter pœnitentiam pharmacum. Hunc olim Oxonij Campiano ingenij celsitas, linguarum peritia, & scolæ Societas familiaritate intima iunxerant. Igitur Londini de amore, & conditionibus optimis audiens quibus Gloceſtrensis aucupabatur Campianum, scripsit ad illum etiam atque etiam caueret, nec se malis æternis irretiret. Hoc amicissimi consiliarij, & amicioris conscientiæ fido morsu excitus Campianus peccatum à se detestatur, vitam in posterum decernit, patrato oppositam confessione animum expiat apud Catholicum Sacerdotem; & præcipiens animo quam meditabatur viuendi formam non fore inter Protestantes quietam, nec tutam, abiecta cum omnibus patria Dublinum Hiberniæ nauigat, vbi à Riccardo Stanhurstio viro docto, Catholico, & pridem amico exceptus, Dei totus, & suus annum agit, Regni eius historiam benigni mercedem hospitij componit, & domus illius familiam in cœnobium transformat; assiduis interim se pœnis macerans, & diuturnis precationibus quibus crimen admissum elueret. Quare illum quidem sub panno vulgari monachum, alij sub homine Angelum vocitabant, tanta erat loquentis, agentis, procedentis, & tam custodita, cautaque modestia. Fuit vero is annus 1569. quo Elizabetham Pius quintus anathemate perculit, & Dux Northumbriæ in illam mouit seu Religionis Catholicæ studio, seu Mariæ liberandæ quam tenebat carcere concluſam; cessere duci arma illa tam infeliciter vt illis etiam qui non erant eorum consci, exitio essent; quod crederentur eodem pariter aduersus Reginam animo, pro parte Catholica stare hinc anni sequentis seueriſſima edicta, & vestigatorum canum passim turmæ, emissarij scrutatores qui comprehenderent suspicione qualibet afflatos tanquam reos, nec modo per Angliam, sed & Hiberniam quò firmiorem in auita fide, & obsequio Ro. Pontificis, eò suspectiorem Reginæ, & inuisiorem. Emissa-

riis

riis igitur delegatis, inter primos Lublini defertur Campianus, certo ab iis postridie carceri mancipandus, nisi eum Prorex Henricus Sidneyus intempesta nocte de captandis latebris monuisset; ex quibus vitato periculo, sub ficto Patritij nomine, & vestiaria tessera Kidlarij Comitis in portum venit vicesimo dissitum milliari. Transmissurus in Angliam nauim consenderat, cum adsunt Dublino indagatores inuentum abducturi; hoc rerum, & temporis angusto deprehensus, Apostolum Insulæ, cuius se nomine ac tutela munierat, in opem fidenter inuocat; mirum dictu! auditur tàm properè vt lictores naui tota sursum deorsum cursantes, rimantésque omnia diligentissimè, præsens tamen lateret, & eorum oculis semper adstans ab iis minimè cerneretur, Londinum in patriam traiecit, vbi se tot inter exploratores ab Regina sparsos malè tutum aduertens, confugit in Belgium, sed pauca vix milliaria emensus à Cataxopio Anglicano, tractus illos seruante sistitur, & commeatus legitimi carens Chirographo quos sibi fas esset extra Regnum exire, capitur intraque Angliam reuectus, portus cuiusdam custodi traditur Londinum mittendus. Sed is Campianum, curiosè vndique perscrutatus, cum ne obolum quidem captiuo suo feciſſet reliquum, ita illum se finxit claudere, vt apertum illi relinqueret exitum, & à quo teneretur, & obseruaretur neminem, velut aiens ambobus fore benè consultum si fugeret. Ludum facilè aduertit Campianus, nec multum sategit vt custodis vitaret oculos, qui se abdiderat ne aspiceret fugientem; inde viatico ab amicis accepto feliciter in Belgium appulit.

Studet in Seminario Duacensi. Cheneum ab hæresi reuocat. Romæ in Societatem admittitur. In Austria, & Bohemia strenuè laborat. Mittendus in Angliam Romam reuertitur. Ad hoc eum Alanus suis literis confirmat.

CAPVT IV.

NAVI egressus, mentem & oculos attollit, agens gratias Deo funesti quod vitarat soli; & quod attigerat melioris; rogánsque sibi locum indicari qui foret ad animi salutem magis idoneus. Duacum mox se rectà contulit, vbi tunc Alanus seminarij quod diximus fundator, & gentis eiusdem plurimi præstanti virtute, ac litteris illustres; à quibus vt frater è mari naufragus toto amoris, & beneficentiæ complexu

ſtringitur, communíque cum iis viuendi regulam ſecutus, Theologiæ biennium duobus illis adiunxit annis quos iam Oxonij eidem ſtudio dederat, tum multum renuens, & honorum deinceps omnium pertæſus initiatur baccalaureatu, quod ita maiores faciendum cenſerent. Verum præcipuus eius labor in relegendis vitæ anteactæ notis lethalibus diſcruciabatur. Torquebat animum violata Deo & Eccleſiæ fides, vt profanis Chenei Gloceſtrenſis promiſſis, & manibus ſubderetur, ac licet agniti magnitudinem ſacrilegij diu multúmque in hibernia luxiſſet, Deo tamen ex lapſus illius profundo, elaborante fundamentum ſublimis in poſterum fabricæ, ingraueſcebat Duaci, culpæ dolor, erumpebátque in perpetuas lachrimas & ſingultus nulla medicabiles conſolatione. Quo ille animi angore trahi videbatur ad Societatem, tunc enim cœpit remittere, cum religioſæ vitæ ſuſcepit propoſitum; ſedatus vero eſt penitus, cum illud reipſa iniuit, viſúſque illi eſt quod aiebat ipſe, animo eraſus character beſtiæ, deletaque macula diaconatus infelicis, mens ſecura in pace quieſcere. Inter has tamen anguſtias, neceſſitatem ſibi ſenſit incumbere, emendandi mali, quod ſuis adulationibus Cheneo conſciuerat. Dedit itaque ad eum Duaco epiſtolam expugnandæ illius pertinaci doctrinæ, & conciliandæ Deo ipſius voluntati ſanè fortem, ſed confeſſione proprij ſceleris, & reuerentia præſulis quem reprehendebat, ſic attemperatam, vt poſſet vtrimque hominem ad mentem reducere. Damnabat ſuam erga illum obſeruantiam, errori eius malè morigeram, cui pro familiari vtriuſque vſu, obſtare facilè potuiſſet. Quod ſi ſaltem tentaſſet, fortaſſis Epiſcopum in partes Catholicas pronius impuliſſet, quam eſſet ab eo Proteſtantium implicitus partibus. Deteſtabatur vero præ omnibus fumos illos temporarij vtilis, & viliſſimorum commodorum, quibus lingua mendaci, mentem prodiderat ſana, & vera ſentientem, & eram inquit, ex iis vnus quos carpit Propheta, *videbas furem, & currebas cum eo* inde futuris poſt hanc vitam, Præſulem exterrebat ob linguam tot Catholicis perdendis; manus Ordinationum tot ſacrilegiis commodatas, animum filis tam leuibus ſuo adſtrictum exitio (in paucis enim Cheneus à vero, & Catholico diſſidebat) ob quæ non poterat aliud præter ignes æternos expectare. Qua quidem ardenti & prolixa epiſtola Campianus, viſus eſt ſibi religione officij, & mutuo in Cheneum amore perfunctus. Cœterum ille in perfidia ſua hæſit.

Iam quæ cauſæ Duaco Romam Campianum & in Societatem vocauerint; quæ in Germaniam, & quæ iterum Romam, demúmque in Angliam videamus. Dum ergo cœlum fatigat anxius, pergítque à Deo gemens flagitare, quo potiſſimum in vitæ genere, admiſſi in Anglia ſceleris promereri valeret integram, veniam, inſpirati hanc ſibi vocem interiùs perſenſit. Romam proficiſcere, illic tibi cernere dabitur quid te Deus fieri iubeat. Quam ille vocem tam inuſitato ſibi afflatam ſenſu, tam certo credidit diuinam, vt ſalutatis illico amicis in viam ſe dederit. Fuêre qui vellent euntem comitari, & viatico iuuare; ſolus ipſe, & pedes, & externus, & mendicans

mendicans Romam tandem peruenit, superioris æui anno septuagesimo secundo exeunte, aut ineunte potiùs sequenti. Deum illic promissi dum admonet, paratus ad omnia quæcumque innuisset; eodem quo prius, & sensu & modo vocatur ad Societatem, neque id libratis vt quidam scripsêre, rationibus variis ad arbitrium legendi; sed peculiari & diuina voce, ad capessendum quæcumque iuberentur. Inter hæc Gesualdus S. Cæciliæ Cardinalis nosse hominem optauit cuius multa cum laude ingeniũ,& mores cultissimos vulgari audiebat; simul eum, vt erat liberalissimus, opportunis iuuare subsidiis, quæ pro conditione peregrini, & exulis, non ambigebat illi parciùs suppetere; Accitum igitur, & studiosè aliquoties tentatum, vt præstantiorem rumore comperit, conditiones illi percommodas detulit, nec forte merito impares; Campianus actis demissè gratiis, oppigneratum se patrono respondit omnium supremo, certum illi, quicquid esset ac posset, viuere ac mori: quod eius propositum animi cum multum laudasset Cardinalis, quæsiuit ex eo de Bulla Pij quinti quid sentiret (ea scilicet quâ Elizabetham Reginam damnarat hæresis; anathemati subdebar; populos eius imperio, & obsequiis absoluebat) cui Campianus nihil aliud retulit, quàm quod palam res ipsa loquebatur, exasperatam peracerbè illo diplomate Reginam, & in edictiones aduersus Catholicos seueriſſimas inductam; nec vlteriùs processit de his sermo; qualicumque tamen exploratore perlatus in Angliam ad Consiliarios regios, capto diu post Campiano obiectus est, velut de rebellio Anglorum, & vita Reginæ tollenda coniurasset, cum nec Anglia, nec Regina vllo modo ad Cardinalem attinerent. Nunc deliberati in Societatem ingressus satagens Campianus Mercuriano se sistit eius Præposito, qui Aprilis vicesimo tertio huius anni septuagesimi tertij, Francisco Borgiæ lectus fuerat successor, datóque sui experimento idoneo, breui adscriptus est in Societatem; adminiculante: huic facilitati Anglorum virtute quos iam habebamus, velut reliquorum tacito pignore; admissum Laurentius Magius, nostris in Austria Præfectus, inuidentibus aliis Prouincialibus Pragam duxit, prouecto ad medium Iunio, inde Brunam misit ad tyrocinium, vbi & Viennæ, & Pragæ adhuc tiro, post votis obstrictus ea gessit solus, quæ multos poterant habere occupatissimos: Latinis, Græcis, Rhetoricis, Philosophicis tradendis concionando assiduè; Seminario nobili regendo, & Sodalium cœtu pietate spectabili; præter ingenij lucubrationes penè perpetuas, eásque insignes. Hinc ab antistite Pragensi, à quo & vnicè amabatur, & obseruabatur, Sacerdos creatus, ministerio institit animarum tanta vi spiritus, & contentione laboris indefessi, vt videretur ex vno ad alia semper exire vegetior. Vbique tamen nihil humile sapiens, nihil triuiale & abiectum, semper sibi similis & se ipso maior, seu diceret, doceret, scriberet, vel quiduis aliud communi bono agitaret. Londinum redux vir illustris, post legationem apud Rodolphum secundum obitam Elizabethæ nomine,nihil æquè celebrabat vt Campiani Iesuitæ concionem quandam, cui interfuerat ipsemet cum Imperatore; quæ dicendi facultas, quamquam inter eius

excellebat dotes, eminebat tamen omnibus ipsius studiis ea sui cura, vt præter salutem propriam, & studium exquisitissimæ virtutis, rei nullius sollicitudine tangi videretur. His acquiescenti sudoribus, en adsunt ab amicis Roma, Doctore præsertim Alano literæ, de sui delectu in Angliam, ad laudem Apostoli suis laboribus, & (fortunaret omen Deus!) ad palmam martyris suo sanguine promerendam. At enim Alanum cui altè animo hærebat de nostris in Angliam mittendis, vt qui primus id mente conceperat, & multis euicerat precibus & rationibus, subiit metus quidam amoris solliciti ne opimis in lucro animarum occupationibus contentus Campianus, præferre vellet Bohemiam Angliæ, habentque nunc etiam scriptores aliqui eius epistolæ residuas lineas quâ dehortatur illum vehementer ab eo consilio, teque ipsa illis impingit falsi notam, qui Personium & Campianum vulgarunt nec vocatos, sed nec expetitos, quin nec vllo volente, vltro se in Angliam penetrasse. Sic ergo ille, sed Anglicè Pater, frater, & fili (nam hisce vocabulis mutuus inter nos me obarmat amor) supremus ordinis tui Dux, Iesum intelligo, Praga te Romam, inde in Angliam euocat, vocant & tui ratione fratres Angli Catholici, quorum etsi non audis voces; audit, & iubet Deus ratas esse.

Iis ego, & tibi tùm patriæ, tùm charitatis verè coniunctissimus, meas quoque voces addendas putaui, quin sublato ad te contentiùs clamore, impatienter inculcandum quamprimum carissime Campiane! tete istinc absolue; quam ferre poteras Bohemiæ opem abundè contulisti, inuectáque ab Anglis in eam damna, quoad valuit sarcisti (Vviclefi Angli significat hæresim, à Ioanne Hus illic propagatam) si amantissimæ patriæ votis ardentibus fueris obsecutus, téque illi, & tuam operam, vitámque in posterum omnem, & quæ diuino munere nactus es ad eam iuuandam præsidia consecraris, feceris quod pium, quod iustum, quod decet verè Christianum. Nec eò hæc scribo, quod de animo tuo addubitem, scio te ex felici rectorum tuorum suspensum arbitrio, aduolaturum quocumque gentium, & periculorum inuerint. Sed nunc Anglia nostra messes promittit copiosas, verum hominibus operæ non vulgaris, tibíque priuatim, tuíque instituti lectissimis, & strenuis sociis. Quibus concedendis acquieuit iam multorum precibus R. P. Generalis. Eiúsque consilium, patriæ nostræ Pater, Gregorius decimus tertius comprobauit; Deus ipse cuius in manibus sortes tuæ vertuntur, Campianum sapientiæ suæ & gratiæ dotibus cumulatum nobis restitui voluit. Para sis ergo te ad profectionem, ad labores, ad tentationem. Hactenus Alanus, quem & præcessere ad eundem, & subsecutæ sunt multorum gratulatoriæ, demúmque ipsius Generalis, qui diserte scribebat, ea mente se illum Romam accersêre vt eum in Angliam mitteret, reparandæ illic rei Catholicæ iacturum fundamenta; commendabátque illi celeritatem itineris. Diuini ad hæc securus placiti Campianus, & paucis quæ reddenti sibi literas Rectori tunc dixit; & perpetuo, dum illic subsistit vultus, & animi tenore, palam fecit, iis se egregiè munitum virtutibus, quibus oportebat iniunctam niti, & administrari

Prouinciam;

Prouinciam; verbo, dicam, summis & infimis, vtríque heroïcis. Generosa in primis in mortes quaslibet, pro Christo, & animis deliberatione; & magnis infra se demersa spatiis humilitate Christiana, nihil ausa sibi de se confidere; à Deo omnia certò sibi spondere. Quibus viam se putat commodare obedientiam. Domi & foris merito summè charus, benevolos erga se omnium distraxit affectus, gaudebant illi complures prope iam martyri; maiori numero alij iacturam tãti viri, prioribus omen, spes vt fit pia iocosè faciebat; quibusdam tamen oraculum certius qui norant Brunæ Campiano Dei matrem in tyrocinij horto spectabilem, pãnum explicuisse purpureum, & prænuntiasse beatam mortem profusione sanguinis oppetendam.

Habeo illinc penes me literas, huius centum post annos etiamnum recentis memoriæ testes. Amicis igitur hoc solum monitis, vt vellent sui memores esse apud Deum, profectus est, voluítque illum Ferdinandus Austriacus Praga eodem secum curru vehi, vt eius interea ignitis colloquiis frueretur. Inde Patauium descendit pedes, quod ne Romam vsque facere pergeret obstitere illorum qui Collegio præerant charitas cum singulari eius parendi studio; magnis nihilominus itineribus vsum oportuit, cum ineunte iam Martio Pragæ admonitus de perfectione; Aprilis secundo, vocanti se præsens Mercuriano obtulerit; cadebat is dies in sabbathum maioris hebdomadæ anni 1580. Post salutatum Generalem, in amplexus iuit designati sibi nobilissimæ expeditionis dignissimi socij Roberti Persons, quem nostro efferendi modo dicturi sumus Personium. Cuius hic prima initia necesse est narrationi futuræ præuertere.

Roberti Personij natales, studia literarum; Docendi munus Oxonij; æmulorum inuidentia; profectio in Italiam; ingressus in Societatem Jesu.

CAPVT V.

ROBERTVS est vir magnus Personius ex inferiori Stoosomersetensi dynastiæ pago, elapsi sæculi anno 46. honestis quidem parentibus, sed quàm à virtute liberaliter instructis, tam parcè à re familiari. Mater nomine Christiana longo annorum nonaginta æuo; patientiæ constantis multiplicia merita cumulauit, exosa, inuisa, vexata hæreticis; sed magnæ apud Catholicos venerationis, tanquam residuum ab Henrico VIII. Ecclesiæ Anglorum veteris monumentum. Ad hæc longè absentem Personium, & iuuentutis Anglicanæ Seminariis statuendis, fortiúmque scriptorum editionibus errores conuellentem, cùm vlcisci non possent hæretici,

filij odium in matrem euomebant, necaturi omninò, nisi se alibi relicto pago abdidisset, vbi clam primum Roberti Sotuuelli; dehinc post felix eius supplicium Henrici Garneti sustentata est charitate, ac matris loco ad mortem habita.

Ex liberis vndecim quos marito Henrico peperit; medius fuit Personius, sed naturæ donis, & gratiæ summus. Vix adoleuerat cum fratri datus est natorum maximo, mercaturam sub eo facturus, sed breui ab eo ad patrem remissus ob inopinatam rei suæ totius iacturam. Hic verò iuuenem ad maxima quæque destinatum & factum, ministeriis vilibus subduxit Deus, & Sacerdotis optimi miseratione in prima transtulit literarum rudimenta. Erat is Ioannes Hauuardus integerrimæ vitæ regularis Canonicus qui deuoratis ab Henrico octauo cœnobiis in lucro posuerat vel abiecto in pago Parochi munus retinere, Stoi scilicet; Personij patria; cœpit illic adolescentem Latina docere, cuius iam tum suspiciebat indolem fortuna dignam meliori, alebátque illum interea suo, & suorum sumptu. Porrò hæc à me, licet exilia, præmitti oportuit ad vindicandam Personij famam ab hæreticorum laniena, & ex Catholicis etiam quorumdam, qui Elizabethæ depredicaturi clementiam, ab exsecratione Personij fecêre principium, Hauuardum videlicet, apud quem plus anno literas didicit, non illi modo Magistrum fuisse, sed natura patrem, & sacrilegio, quam etsi Personij frater factus hæreticus atrocem calumniam impudentissimæ falsitatis, mendaciique reuinceret, haud tamen tunc & semper deinceps abstitere ab ea recoquenda, & Personij nomine monstrosis probris deformando, sed non potuit nisi aliquod ingens bonum, talium hominum capitalibus odiis glorioſius fieri.

Inchoatis sub Hauuardo studiis, non fuit de cœtero multum iuueni laborandum; in illa enim iam tùm ætatula, exerentibus sese capacis ingenij notis, & ornamento patriæ futuri, facilè reperit mecœnates. Anglorum est propria & eximia laus inde à multis seculis adolescentum studia promouere, qui magnas de se expectationes, bonitate ingenij mouerint, spémque patriæ fecerint splendoris præcipui, vel vtilitatis; quàm laudem optandum vt iis plures inuideant. Alit enim Collegiis sedecim Oxonienſis Academia, totidem Cantabrigienſis ipsius æmula, discipulos mille quibus prærogatiua ingenij, quasi natiuum ius tribuit ad gratuitam multorum annorum sustentationem, quoad scientiæ cuiusvis curriculum, sub excellentibus Magistris absoluerint. Præter illas quas vocant Aulas, hoc est Seminaria Conuictorum, ad Collegium aliquod attinentes, súntque Oxonij octo, & Cantabrigiæ fortassis totidem. Harum vni adscriptus Personius, quæ S. Mariæ vocabatur, annorum septem bonam partem in dialectica posuit, sunt enim ex lege necessarij septem anni ad informationem perfecti Philosophi, & Magistri. Post in Collegium est adscitus quod ab Scotiæ Rege Balliolio, in Anglia exule, fundatum; eius nomen ab anno 1263. vsque hodie retinet. Vbi quadriennium diligens studiis adiecit, & Magistri promeritus lauream Præside Campiano, scholam cœpit, & discipulos habere,

quos

quos idcirco pupillos vocitant, quod nouis Præceptoribus, noui & ipsi rudésque poliuntur, commodo vtrimque non impari mutuæ æmulationis, discipulorum quidem eos frequentius audientium Magistros, à quibus accuratius & felicius finguntur; Magistrorum vero magisterij artem, docendo discentium. Horum triplo quàm alij plures Personius censuit auditores; Rhetores primum totis quatuor annis; deinde Philosophos, plerósque nobiles, diuites, integritate morum tam præclara, vt eorum non pauci, sudores & sanguinem pro Christo sparserint. Hanc illi frequentiam conciliabat verax scientiæ fama, & rectè docendi iucunda maturitas, cáque naturæ tùm beneficio; tùm religionis & conscientiæ. Inerat homini venerabile quiddam, & auctoritatis potius decora specie, quàm seuera, & graui reuerendum. Gerebat intus Catholicum; promebat, & foris apertius quàm vovoluissent Academici ferè omnes. Huic tamen semel emolumenti priuati cæca fraus obrepsit, Doctoris gradum alioqui minimè adepturo, recitauítque impium iusiurandum, quo sacram iurisdictionem Reginæ tribuebat, quæ illi fuit in reliquam vitam amara lugendi materia. Mouit ergo illi competitorum inuidiam, nobilis auditorum ingénsque numerus; hæreticorum autem iras, tantumnon aperta in eis docendis fidei Romanæ defensio; hinc illius dum eam profitetur afflictationes; illinc eam dum tacet in ipsum coniurationes, quas auxit solutæ Balliolensis Collegij disciplinæ, quæ pro Decani officio in illum incumbebat, emendatio & cura. Eò enim vsque defluxerat, vt maioris ieiunij diebus, impunè carnes illic ederentur, quod per antiquas Collegij leges, ne Protestantibus quidem fas erat. At enim gulosa, & effrenis iuuentus inuicem colligata, numero, & impudentia causam vicit; triumphauítque ex illa victoria Squirus, ex iis præcipuus in Personium Clarigator, turbulenti, sed magni pessimis in rebus ingenij: cuius hæc fuit malignitas vt eum tentaret obstringere ad munus Caluiniani prædicantis, quo regnum metu liberaret hostis domi suæ educandi. Abominatus est ministerij fœditatem Personius, etsi enim primùm, quod scripsit deinde ad consiliarios Regios, ætatis in biuio, religionum adhuc rudis vacillasset, vtri se potius manciparet; antiquæ, an nouæ, quam Reformatam dictitabant; verum exploratis ab Ecclesia nascente per continuatam temporum seriem Patrum doctrinis, ita confirmatum in Catholico dogmate, vt eius impugnandi oblatum munus admittere, perinde videretur, ac vigilibus oculis dare se in orcum præcipitem. Coactus igitur à Squiro eiúsque sequacibus Collegio cedere, hac lege, vt nihilominus cùm illic parumper subsitisset, quasi vltro per se discederet; hoc ipsum parumper illi præreptum est, & manu armata, ærísque Campani velut ad incendium sonitu eiectus, conclamantibus ad plebis concursum ganeonibus, foras, foras Papista Personius, qui discordiæ ignem subdebat Collegio, violentus, intractabilis, agrestis, quæ ipsius elogia ex seditiosis, testis auritus, & præsens retulit Camdenus, quibus falsissimis veram expulsionis eius prætexerent causam, defensionem scilicet Catholicæ fidei, & abstinentiæ Christianæ. Verum enim vero Sannionum hæc turba in eiecti probra stultè ludentium

habitura est illum ibidem post annos aliquot longè aliis animarum lucris, & conditionibus glorioſum, ac dum ſuis viuet & ſpirabit in libris, tam potentem hæreſeos hoſtem vt præter deſperabunda conuitia, nulla re illi obſtare valuerit.

Oxonio egreſſus, & domeſtica re, bimeſtri compoſita, in Belgium traiicit, impoſiturus in Italia ſtudiis ſuis finem: ſed P. Guillelmum Goodium Anglum Louanij nactus charitate in ſuos aduenas, & exules celebrem, perſuaſus eſt ab eo, octiduum, ſolus ſecum, & ſolo cum Deo agere, & meditationum S. Ignatij partem primam obire, ex quibus ratum fixúmque retulit, præſtantioris vitæ propoſitum, nondum tamen aut clero, aut religioſæ regulæ obſtrictum, ac niſi Venetiis paraſſet ſibi pecunias ad ſumptus quos eſſet Patauij in medecinæ ſtudio facturus, optaſſet Louanij Theologiæ curſum emetiri. At enim prouidus in excellentius eius bonum Deus neceſſitate recipiendæ pecuniæ, in Italiam illum, & Romam appulit, anni 1574. Septembri menſe, Portæ ſanctæ futurum ſpectatorem à Gregorio XIII. pandendæ, & iubilei proximè ineuntis; inde breui reuerſus Patauium, excurſionem illam ſuam in communi ardore pietatis tam frigidam, cœpit vehementer apud ſe incuſare, & dolere quòd Roma nihil reportaſſet præter ſaturam veterum marmorum curioſitatem, creuítque eò vſque is dolor, vt nec occupando ſtudiis animo, nec proceſſu dierum muleeretur; quoad vlterius non ferens cum Deo, & ſecum iurgari, ſanctam denique vrbem repetere ſtatuit, quodque adhuc pendebat conceptum Louanij decretum religioſi ordinis quem amplecteretur delectu firmare. Confictis itaque fabulis veram ſociis occultans profectionis huius cauſam, cum iis peruenit Venetias; hinc ſolus Ferrariam, vnde inſueto pedeſtris itineris, & cœli æſtuoſiſſimi, ſed conſtanti labore Romæ, vt optarat Deo ſe obtulit; quæ illi Deus incommoda penſauit vocatione interiori certa in Societatem IESV, cuius ingreſſum peculiari eius ope Iulij quarto obtinuit, anno eodem ſeptuageſimo quinto poſt ſexquimilleſimum. Sic primos Angliæ expeditionis Ductores duos Campianum, & Perſonium, lapſus imparis licet non impar dolor ad Societatem compulit. Et Perſonius quidem triennio poſt Sacerdos factus, ſimul Theologiæ operam in Ro. Collegio nauabat, ſimul ad S. Petri, piacularis confeſſarij Angli ſupplebat vices; vtque vſus tunc erat, noſtris anni ſecundi tironibus præerat; cum futurus illi in Angliam Socius Campianus Praga vt diximus euocatus, Romam attigit Sabbato ſanctiori, anno 1580.

Adduntur

Adduntur Personio, & Campiano Romæ in Angliam Comites. Illorum iter. Disputatio Genevæ cum Theodoro Beza, eiúsque Discipulis.

CAPVT VI.

APVLSO Romam Campiano, maturatus est statim discessus in Angliam; pedibus suis aduolutos Beatissimus Pater Gregorius XIII. felici adprecatione amantissime dignatus est, rogantibúque vt Bullam Pij V. explicatione idonea molliret, in Catholicorum gratiam annuit, (quod non est huius loci narrare) post hæc domi sapientissimus Generalis, prudentibus monitis ad felicem tanti operis successum instructos, ante omnia seuerè vetuit immiscere se vlli negotio, quod de politicis rationibus vel minimum oleret, arrecta præsertim tunc vbique Anglia in suspiciones, & metus motuum Hibernorum ob Reginæ Scotiæ carcerem, & Catholicos miserè oppressos, præter timores ab externis ambiguos sed pronos. De his itaque omnino nec sermonem inferrent, nec audirent. Cuius sibi præcepti obseruationem sanctam fore & inuiolabilem contestatus est Campianus, & iurata fide Personius consiliariis Regiis, & Magistratibus, à prima sua exscensione in Angliam.

In hac tamen festinatione, iuuenes Seminarij Anglicani Campianum apud se tantisper morati sunt, eiúsque adhortatione publicè recreati, postquam aut fuerit auditorum vitius, aut efficacia dicentis, ambiuere non pauci Campiano adiungi Comites, & sudorum in Anglia, mortísque adeo, si Deo visum, fieri socij. Ex iis quinque voti compotes facti sunt, quorum duo, & vitæ, & mortis generosæ socij extitere. Accessere his quatuor, de Sacerdotibus Anglis octo, qui diuinis officiis fungebantur in Templo veteri Xenodochij Anglicani. Sed mirabilius quod eandem sibi à summo Pontifice poposcit Prouinciam Thomas Goduuellus S. Asaphi antistes, ætate iam grauis & Mortonus doctor, ambo Angli, qui Remos ad hoc nostris præiuerant, cuius rei testes habeo litteras eiusdem Episcopi, Pontificium diploma breue, Roma expectantis, & indultas sibi à Gregorio XIII. facultates; causas autem huius profectionis interceptæ eiusdem ex litteris suo loco edam.

Aprilis igitur decimo octauo ex nostris Campianus, & Rudolphus Emersionus adiutor laïcus; cum Personio illorum Præside; ex Seminario Anglicano Rudolphus Sceruuinus, Lucas Chirbeus, Eduardus Ristonius Sacerdotes: & laïci duo Thomas Bruscus alumnus, & Ioannes Pascalis conuictor, Sacerdotes Xenodochij veteris quatuor & forte decimus ter-

tius (mihi tamen planè incompertus) iter Angliam versus iniere, comitantibus & aplaudentibus Seminarij alumnis, & quotquot tunc Romæ degebant Anglis, viceque ipsius Generalis Oliuerio Manareo qui missionis huius primitiis, & spebus cuius apud Generalem auctor præcipuus fuerat, sic totus gestiebat vt si foret ipse ad eam delectus ventum erat ad pontem Milvium vbi post alternas Christiani amoris teneritates, & lachrimas, inuicem diuidendi, beatitatem sortis quam abeuntibus, remanentes in vrbe inuidebant; abeuntes iisdem vaticinabantur, vtrique non frustra; nam quinque vix menses fluxerant, cùm subsecuti sunt primos illos, alumni eiusdem Collegij Sacerdotes, numero quatuor, & quot annis deinceps semel aut iterum aliqui. Iam eorum qui tunc profecti sunt exitus, dempto vno, vel nobilitauit mors atrox, aut carcer ærumnosus, vel probra publica, & arcana tormenta, aut demum exilia illustrarunt; vnus ex conuictoribus Ioannes Paschalis de se sibi hoc vltro pollicens, quod fuit à Deo expectandum; fecit quod solent temerè animosi, captus, catena vinctus, ad tribunalia raptatus; animo concidit, & timori dolorum ignauiter cessit; libertati postmodum redditus, qua facti dolore, qua pudore, & ignominia eo fugit vbi eum nemo mortalium cerneret.

Eorum iter, tametsi pedestre iucundum, & alacre Personius fecit, ita enim solerter aptauit personis officia, & occupationibus horarum spatia, vt nec animi tædio languerent vnquam, nec lassitudine corporis frangerentur. De Campiano memorant, summo mane solitum ad aram facere; inde Comitibus per horas aliquot toto præire milliari, secum nempe, & cum Deo agentem; idémque sub vesperum iterare priusquam essent diuersorio propinqui? lentato dein gradu se sociis reddere, illósque de Deo & diuinis varietate incredibili, & suauitate recreare. Bononiæ, & Mediolani à Cardinalibus Archiepiscopis Gabriele Palleotto, & Carolo Borromeo perhumaniter sunt excepti, tenuítque illos octiduum integrum Borromeus non tam reficiendis eorum viribus, quam pio eorum alloquio fruiturus. Interrogauit multa de Anglia, de Catholicorum illic constantia, vexationibus, quæstionibus, vinculis, mortibus. Audire voluit priuatim domi Sceruicinum dicentem cuius illi multum placuerat pietas; sed in Campiano quem audire pariter optauit, orationis robur, cum suauitate incomparabili adeo suspexit, vt eum quotidie coëgerit dicere. In discessu demum fausta illis adprecatione, felicem optauit susceptì negotij euentum, & pro suo Apostolici pectoris ardore, ignitis verbis illos animauit: literas denique ad Agazzarium reddidit Anglicani Romæ Seminarij Rectorem, quibus suum illi palatium obtulit excipiendis quotquot in posterum Mediolano transirent eius Anglis.

Lugduno statuerant Galliam subire, cùm extra Italiam Aquabellam prouecti; audiunt rusticos Delphinates turmatim grassari, & tumultuari aduersum nobiles; præter hos Ioannem Austriacum, militem suum ex Belgio in Italiam transferre, foréque vias illius occursu per sex dies infestas, & periculosas. Quamobrem de via regia Geneuam deflectunt, quo

scribit

scribit Sceruuinus, nihil tutius consuli, nihil iucundius potuit diuinari; subdítque lepidos eius consilij euentus quos vt inciderant adnotabat, idémque seruabat personius.

Erant Geneuæ Angli quos Theodorus Beza puro, putóque Caluino imbuebat, quo genere nihil erat Angliæ, nihil Scotiæ tristius, vt qui scriptis in illas pestilentissimis, exaugurarent omnem potestatem tùm sacram, tùm laïcam, cieréntque ipsimet conlurationes, & tumultus quos Catholicis imputabant. His ne se proderent nostri viatores, quisque aliam à se gerendam pérsonam cultúmque delegit. Campianus periculosius cœteris eminens Pascalis seruum, seruili habitu, & modo egit, fuit enim Ioannes Pascalis annorum triginta, vt nobili sanguine, sic aspectu formáque spectabilis. Non erat hæc noua Campiano Stropha; in Patritium alias se ex Campiano, ex Anglo in Hibernum subornarat; tàm scitè, inquit Sceruuinus, tàm doctè, tàm accommodatè, nihil vt ei deesse putares ad personæ quam suscepisset veritatem. At hoc potissimum singulari prouisum cautione, ne cum Puritanis quicquam moueret disputando, quibus mos erat Catholicos hospites prouocare non veri studio, sed nocendi; afflictandíque carcere, & tormentis quos euertere nequissent; Campianum seruile quod gerebat schema, in heri oculis adstare mutum admonebat, certò alioqui eruptu-rum cùm esset controuersiarum experientissimus, & scientissimus, acturúmque in furias, hæreticum aliquem, ineptè in iis delirantem.

Geneuam deuenerant, cùm à portarum custodibus, ad Magistratum deducuntur; interroganti, qui? vnde? quâ causâ veniissent; respondit ex iis vnus, esse partim Anglos, & partim Hibernos, omnes autem noctis vnius hospites; rogati denuo, an Caluini sequaces, & Religionis reformatæ? neguuit Pascalis, visúsque vni sociorum parciùs respondisse, adiecit ipse audentiùs, nullus, inquit, est nostrum qui non sit Catholicus. Contraxit supercilium Caluinista, & quo pacto vos soli, ait, in Anglia Papistæ, dum toto cum regno, Religionem reformatam sectatur Elizabeth. Ego vero, subinfert ille, sciri abs te hoc volo, longè plures esse in Anglia sinceros Catholicos quàm multi existiment, quia nollent confidentia, & modo respondendi offensior Magistratus, iussit nihilominus in commodissimum hospitium perduci, & liberaliter haberi. Transeuntibus per medium forum, mussare alius, esse Presbyteros; alius forsan, & Monachos. Pone Campianus subsequebatur præcedentes, & serui munere graphicè fungebatur, quem paulo curiosior alius rogatum latinè, cuias esset, responsum accepit Italicè *Signor non*, nequaquam domine, ac pergens quærere, latinè an caperet, contractis humeris Campianus, percontatorem à tergo reliquit. Inclinabat in serum dies cùm subiêre in diuersorium, statímque propterea optarunt Theodorum Bezam conuenire, non omnes ne tanto numero turbulentum aliquod sui specimen darent: iêre Personius Sceruuinus, Pascalis, & sequens illum Campianus. Post mutuam Bezæ salutationem, procliuè Personio fuit quærere quâ formâ, quibus institutis Ecclesia illa regeretur? æqualitate, ait, summa vt sunt omnes inter se æquales, nullus alio natura

vel homine maior; vel adoptione, filio Dei præstantior; nemo hic Dominus, imperio populum nullus premit, nemo inter conseruos herum, patrem inter fratres nemo agit. Ministros quidem censemus nouem, sed Ministros, qui vices obeunt hebdomadariæ prædicationis, & puri Euangelij doctrina populum imbuunt; sic ille. Sceruuinus qui fit igitur, inquit, vt Ecclesia Anglicana quæ se Caluini iactat Discipulam, Hierarchici Ordinis formam retineat, habeátque non solum antistites, sed & caput supremum habeátque pro summo capite feminam? hoc senex vaferrimus nec volens probare, nec ausus negare, difficultatem claro mendacio exiuit, aiens, se vero id nescire; statímque post animum aduertens nullam sibi vsquam ignorantiæ huius fidem fore, Caluinismi nimirum Magistro, & Præsuli, agentíque cum Anglis quotidie, & testes oculatos Sceruuinum, Personium, & Pascalem coram audienti, hoc inquam se solum nescisse, quod omnes canerent, emendare responsum studuit, & si se res habent vt dicitis, id ego non approbo; hinc pressus à nostris malorum consecutione quæ inde orirentur inextricabili, eò se recepit quò solent hæretici Geneuam & Angliam eadem sentire, & dicere; vsu tantum agendi quodam exterius differre, qui ad summam doctrinæ, & rerum medullam nihil attineret. Mox sat illis fecisset, necne flocci habens, in vulgi rumores de Gallia sermonem torsit, & quædam retulit de Duce Guisio sanè falsissima; inter quæ commodum accidit vt redderetur illi fasciculus literarum, quibus perlegendis vrbanè se se ab nostris expediit: quamdiu porrò cum iis egit, notauit Sceruuinus Campianum à vultu apostatæ nunquam oculos amouisse, sed pone stantem aperto capite visum indignari, & increpare nutibus stulte senex! hæretice impie! erat enim Beza sexagenario tunc maior, futurus & annos quinque supra viginti, grandi suo, & aliorũ exitio superstes. Præstolabantur in diuersorio Angli aliquot ciues suos, & magna comitate reuersos salutarunt; in iis Pouuellus, olim Oxonij Personio, Sceruuino, & Campiano notissimus, & familiaris, sed hic ne posset ab eo dignosci se statim subduxit, nec ille putauit alium quàm seruum cuius ornatum præferebat. Dato inde ad reficiendum modico spatio, post cœnam denuo, vti condixerant Angli adsunt, disputaturi, sed palam sub dio, ne domi strepitu concertationis turbarent viciniam, aut iuris Ministros cum periculo accirent; ad hæc erat nox clara, & candida, & maius iam medius. Aggressus est Pouuellum Personius; Brunum Sceruuinus & alij, pertinacissimum Caluini assertorem. Quare illum comes Huntingtonus tanto ex numero Anglorum, Georgio Hastingo natu maximo filiorum doctorem legerat, vt Bezæ incude Geneuæ formaretur in putissimum Puritanum. Quid multa? nox erat media, & in solis exortum certando itura, nisi Bruni clamoribus territus Pouuellus admonuisset personam, nec solitarium, nec latè patens forum satis illos tutari. Sedatis ergo iis tranquillè Personius, abstractum à Bruno Sceruuinum in diuersorium remisit; domum suam Brunus repetiit. Alius Personio fuit pugnæ finis. Manus dedit victori Pouuellus, & daturum se operam versandis Patribus spopondit, ad retractandos plenius, & otiosius antiquos veræ

doctrinæ

doctrinæ articulos quos non potuerat ex eo nisi summatim percipere. Brunum innata Caluinismo proteruia; Magistri nomen; & Comiti Domino professa fidelitas in errore durabant, & rationibus vndique peruictus, demum auctoritatem Bezæ appellabat. Ego vero, ait indignabundus appellatione tàm iniqua Sceruuinus, appello vos testes, quo quot ex Anglia Bezæ estis sequaces; prouocare me Bezam, eiúsque Ministros ad certamen hoc ipso in foro, & Iudice populo, sed hac lege, vt rogo coram accenso concertetur cui conuicto, & domito, responsiones defuerint, comburatur. Obmutuêre qui aderant præter Brunum qui plus cæteris timens, tumidiore fastu, & iactantia verborum conditionem admisit prouocantis; sed vir animosus & promissi tenax, nunquam se postea videndum præbuit, non modo disputandi causa, sed ne salutandi quidem postridie discessuros. Compulsus fuerat ab eo conflictu abesse Campianus, alioqui non temperaturus ardori suo, & disputandi qua valebat vi summa, aduersariorum voces in tumultum ex desperatione exciturus: pugnauit & ipse nihilominus, præter omnem expectationem, minori quàm socij labore, sed non minori victoria. Iusserat Personius summo mane Campianum, tanto spatio præuertere socios, quantùm ad claram diem restabat temporis, ne posset à Pouuello de ore internosci. Progresso extra vrbem integrum milliari, occurrit Minister ex iis nouem qui Euangelium Caluini populo explicabant, solus, obstipus, veluti concionabundus, & cogitationum plenus. Certus hominem aggredi Campianus, celeritate videbat aduentum sociorum, Pouuelli, & Geneuensium Anglorum præoccupari oportere. Salutat igitur hominem amabiliter, & mira comitate, rogitat de vrbe, de Caluino, de Ministerio, de doctrina, dubia illi suggerit, & perplexa, stringit, versátque vtrasque in partes, cogit fateri pugnantia; & prope cerebro exturbat, talem enim Sceruuinus cum aliis superueniens reperit, instabátque lateri tenax Campianus, quantumuis gradum grandiret Minister, quoad egredientes vrbe socios conspicatus retro flexit, haud tamen adeò repentè quin agnosceretur à Pouuello. Hic vero Minister vociferari ad suos, & nostros, & exsecrari flagitiosum scurram Geneuensis Ecclesiæ derisorem, & nundinatorem dogmatum absurdissimorum, eorum aliquot cum ex eo nostri cognouissent, ea multitudine rationum, & pondere, iis auctoritatibus homini institere, vt peius illi esset quàm fuerat. Veritus Pouuellus ne ad clamorem illius portarum milites insolens aliquid, quod pronum erat, in nostros auderent, in vrbem Ministrum contrusit. Hinc paulum progressus Campianum apertè postliminio reuisens, amanter complexus est, doluítque diffidentiam nolentis se ab eo agnosci, quærenti vero quamobrem in vrbe non hæsisset, expecturus cum Beda certamen, vtinam ait Campianus, & nihil æque auebam quin hoc habe pro certo, & indubitato nos omnes in vrbem è vestigio regressuros ad prouocandum Bezam, & quemuis alium eius vice, vel eo auspice, si prouocatio illi venerit non ingrata. Spondere Pouuellus non potuit, quod à se præstare non poterat; sed iterauit hortanti Campiano quod Personio Pollicitus fuerat, se sanctis Patribus

daturum strenuam operam, & Romam venturum, quo illi Personius commendatitias ad Agazzarium Rectorem dedit.

Excipiuntur peramanter Seminario Remensi; corroboratur ab Alano singulariter Campianus; Golduuellus Episcopus profectionis consilium mutat? deterrentur & Patres ab eo consilio; Personius audenter & liberè pergit intrátque in Angliam; paulo post etiam Campianus, sed peculiari Dei auxilio.

CAPVT VII.

PER transuersam vtramque Burgundiam prosperè iis fuit ad diem alterum Pentecostes, quo eadem ex causa octo ex illis ægrotarunt, Maij tamen postremo, dyariis breuibus ægrè corpus trahentes Remos attigere; quantis Alani lætitiis, & Seminarij haud facile dictu est. Itum iis obuiam longo tractu, omníque amoris effusi teneritate accepti, & habiti, coactíque non ante pergere quàm vires dierum aliquot placida quiete refouissent, & Seminarij alumnos suo alloquio, & consuetudine recreassent.

Offendêre ibidem S. Raphi Episcopum Golduuellum & Mortonum quos Roma profectos diximus vt Angliam peterent, sed hunc ægrotantem, valetudinis ambiguæ alterum, ambos senes, vegetiores pietate quàm corpore, atque ob eam rem omissa Anglia Romam redituros itineribus præsertim pestilentia interceptis quæ Parisiis grassabatur, nec sinebat illinc quod monet Episcopus, necessarias sibi in Anglia transmitti pecunias, qua quidem ipse mutatione propositi iacturam fecit solus mortis pretiosæ, aut perpetui pro Christo carceris, quæ illum manebant vt primum exscendisset adeò sibi graphicis expressum ductibus exploratores opperiebantur. Missioni certè nihil obfuit; Reginam siquidem eiúsque Administros ille eius aduentus, diris suspicionibus fatigabat. Ad me sæpius, inquit Campianus, Anglus nobilis reique publicæ non ignarus, refertque hunc eius aduentum magnam literarum & sermonum materiam dare, & suspendere animos opinione sinistri euentus, nec enim talem & tali ætate, commissurum se itineri tam laborioso, nisi foret in promptu ingens aliquis motus; hoc est rebellionis intestinæ, aut externi belli.

Dum

Dum Remis subsistit Campianus, subiit animum ex Doctore Alano quærere, de hoc suo itinere quid reipsa sentiret; quid speraret? fructúsne saltem in Dei gloriam, & animarum lucrum iis haud impares quos in Bohemia, Deo propitio legerat. Cui Alanus disertè [P. Edmunde nihil dico quanto plus Angliæ, quàm Bohemiæ debeas; Londino quàm Pragæ; ac tibi quidem gratulor plurimum, illatas ab Anglia per Vvidefum in Bohemos ruinas, fuisse abs te non exigua ex parte instauratas; sed idem, mihi crede, præstituri sunt vel plures, vel vnus ex Societate. Tu tota contentione agendi, & ferendi; vnius animæ si luerum feceris, puta omnes labores à te optimè collocatos. [Verum enim vero dictat mihi animus, te quamplurimorum conuersionibus auctum iri; vberiorem enim puto animarum messem ab Anglia quàm à Bohemia suggeri; præterquam quod Anglia spe honorarij pinguioris, quàm Bohemia te conducit, mortis nimirum glorioſæ in propugnanda fide; atque adeo in officio viri fortis, pro chara patria oppetendæ] hæc sibi Campianus ab Alano dicta sæpe familiaribus narrauit, iisque se sensit non mediocriter animatum.

Pridiè quàm se itineri daret, rogatus ab alumnis cohortationem ad eos habuit, eò libentiùs, quod iuuit experiri, an linguam patriam, post desuetudinem annorum octo haberet expeditam. Dixit de martyrio tam ardenter in illa Christi verba, *Ignem veni mittere in terram*, vt cum magna voce ignem sæpius exclamaret, vicini accurrerent ad eum restinguendum, rati ædes incendio correptas: vnus ex auditoribus Alanus tam eleganter Anglicè memorat locutum vt si recens adesset ex Anglia.

Profecti sunt Remis nostri tres die Iulij sexto; iuuit seminarium abeuntes liberati precum, ieiuniorum, & sacrorum viatico; secutus est post paulum Sceruuinus Pascali comite aliisque duobus, sed diuersa via, vt Diepæ in Nortmannia, conscensa naui, transueherentur in Angliam. Adiunxere se iis aliqui ex Seminario, sed omnes seiunctim vel bini vel pauci, ne quod sui inditium plures darent, aut si contingeret ingressos Angliam comprehendi retis iactu eodem ne inuoluerentur vniuersi.

Personio iter Campiano, & F. Emerſono, Audomaro fuit, milliaribus viginti à portu Caloesio qui velificatione milliariũ haud plusquam triginta distat ab vrbe Dubri, è regione in Anglia sita. Audomari Patres Collegij, & Anglis proximi, & crebris nuntiis res illorum edocti, pertimuêre ne nostri frustra irent in beneficium aliorum, se vero in certum exitium darent. Quamobrem nihil omiserunt, vt Personium, & Campianum ab eo traiectũ dimouerent. Fama enim eorum aduentus prænuntia, suspiciones Reginæ eiúsque consiliariis iniectas, longè à religionis studio, & salute animarum diuersas; quocumque appellerent tenendos; explorari vectores inditiorum singularitate tàm cuique propria, vt non possent scrutantes deludi: ipsorum vero præ omnibus haberi nomina, quæ vt maximè commutarent, haberi effigies & vultus vtriusque, ad veri speciem viuis coloribus expressos, quos cum præsentibus conferrent, frustráque tunc fore personæ cuiusvis ornatum, & habitum. Conducibilius in præ-

sens nihil esse quàm procrastinatione morosa & lenta, arrectam in centum oculos custodum vigilantiam frangere, desperaturos omnino aduentum tam diu in cassum expectatum, certóque credituros, metu factum vt expectati non venirent, & curas, itérque alio verterent. Nam cui Angliæ bono, ex portu in carcerem rectà, ex carcere in furcam raptari?

Hæc illi, & verè, de timendi causis. Sledius enim sceleros, & proditionibus infamis, de quibus alias; Romæ agens, & per Galliam transiens, Sacerdotum Anglorum collegerat nomina, & vultus descripserat, eorúmque exempla alia Parisiis Angliæ legato tradiderat ad consiliarios regios transmittenda; secum ipse alia Londinum præcurrens detulerat. Et quamuis de facie Campianum extra Angliam non nosset, fecisse tamen inditium creditur ex quo posset appulsus agnosci. Verum à Sledio, seu quouis alio, Romæ, Remis, vel Geneuæ degente factum (habuit enim Vvalsingamus sagacissimus coniurationum indagator vel excogitator eiusmodi hominum venalem vbique operam, magno suo, & damnoso sumptu) certum est portis vrbium ad mare prostitisse affixos Personij, & Campiani vultus vt si aditum illac tentare contingeret, ex eorum similitudine deprehenderentur. Eam ob rem Patrum Audomarensium sapiens caritas, nec visa est posse nimium negligi, nec tota audiri; ne dilata diu profectio Catholicorum falleret expectationem, & timiditatis potiùs apud eos contraheret maculam, quàm iusti, & necessarij timoris. Media igitur statutum est ire, traiectus aleam tentaret alter. Audomari alter vel de capto socio cognoscens permaneret; vel feliciter Angliam ingressum, opportunis eius munitus consiliis sequeretur.

Poscebat ratio, viam Campiano præire Personium tùm quòd esset missioni Præfectus, tùm quòd industria & dexteritate libera multum excelleret. Transmutat ergo se in Ducem militarium ordinum, cuius certè tùm formam, tùm bellicam speciem, atque adeo cùm liberet incessus gerebat dignitatem; quibus cùm reliquum adiecisset, militaris elegantiæ. Pararum; negauit Campianus (reque ipsa euenit) fore vt ab vllo custodum posset quantumuis lynceo & oculeo agnosci, vel in suspicionem venire transfigurati Iesuitæ. Quin & plus etiam, quàm quod prædixerat contigit. Nam Caloesio Dubrim cùm applicuisset Personius Iunij sexto & decimo, loci Gubernatorem adit, sui quidem haudquaquam velut homin s noui, & parũ noti sed rogaturus vt suis mandaret, ne mercatorem Hiberr ũ Patritium nomine biduo adfuturum morarentur (erat is Campianus) sua enim plurimum interesse, vt Londini quamprimùm adesset; nec is plura, nec quicquam ex eo percunctatus est Gubernator; statim ergo ex portu per naues quæ Caloesio perpetuo commeant, Campianum vrget proficiscatur, festinet, securè veniat, se passis brachiis Londini eum præstolari, quo se paraturus illi hospitium conferebat. Sed enim Campiano plus rumor nocuit ad Reginæ aures repentè perlatus de clandestino in Angliam Personij ingressu, quàm commendatio prodesset portus custodibus indicta. Eius auctrix rumoris, Catholicorum lætitia impotens, nec defuturi sunt vnquam inter

multos,

multos, qui loquacitatis improbæ coërcitione disrumpantur, nisi ore expirent quod interius calet, credántque alteri arcanum, quod premere ipsimet nesciunt: hinc edictiones ab aula nouæ Ministris Dubrensibus de omnium vectorum exquisitiori perscrutatione, & examinibus ne præstigiis adscititiarum personarum iis illuderetur. Campianus acceptis Personij literis Calaesium accurrit, totus nomine, schemate, professione mercator Iernus cum Emersono veluti famulo. Intumuerat fretum, factúmque diuinitùs, ne posset ante quatriduum transmitti, vt suus, inquit, in Angliam aditus cordi foret Præcursori sanctissimo Ioanni cuius natalis colebatur, Iunij enim vicesimo quarto, ingressus mare, postridie albente aurora Dubrim applicuit. Fuerat autem beato Præcursori, à puero tenerè addictus ex quo Oxfordij cooptatus in Collegium fuerat eius nomine insignitum. Ex quo autem vitam conuersioni suorum deuouerat, nullus præterierat dies, quin eius præsidium ad hoc sedulo imploraret. Dubri ad littus aceruo lapidum tegente procumbit in genua, & decussatis ad pectus brachiis, Deo se victimam consecrat, sudore, aut sanguine, viuens aut moriens, vtcumque iussisset litaturus. Post hæc patrono suo peregrinorum Duci, suum illum in Angliam lubricum, & difficilem aditum enixè commendauit. Habemus quæ sequuntur ex eius literis ad amicum quem à quadrimestri iam viuis ereptum nesciebat. Dubrim veneram, inquit, cum homulo meo, (Emersono scilicet statura pusillo) nihilque propius fuit quàm vt teneremur. Iubemur enim Gubernatori nos sistere, qui primo aspectu non falsò coniecit esse re vera qui eramus, religionis auitæ sectatores, hæreticarum partium inimicos, confictis dissimulatos nominibus; fidei causa aliquamdiu à Patria extorres; nunc reduces ad eam magnis animis propagandam: instabat denique vehementer esse me Doctorem Alanum, ego verè constantérque negabam, paratus si vellet iureiurando fidem facere non credenti. At is nihilo seciùs semel & sæpiùs edicit esse nos Londinum sub militari præsidio traducendos, & supremo sistendos tribunali. Iamque ad portas Palatij cum satellitibus quibus imponeremur equi stabant, cum haud scio quo motu, & cuius instinctu ex templo mutatus est, nisi mei patroni Ioannis Baptistæ quem interea enixè in auxilium vocabam, petebámque vnum mihi saltem annum impetraret, quem in religionis obsequium liber insumerem. (Quod obtinuit ita cumulatè vt ab eius ingressu in Angliam ad tempus quo comprehensus est dies interfuerint vnus, & viginti supra integrum annum) rebus igitur, ait, in alia omnia quàm imminebant versis, foras iterum prodit senex (cui benefaciat Deus) & ite inquit, benè ambulate, ego vos liberos dimitto. Ad hæc euanuimus illico; quæ & similia cùm attentè apud me recogito firmius statuo, tunc me, non prius, capiendum cum ex Dei maiori gloria fuerit.] Equi porrò illum ad tribunal Londinum portaturi vsui fuêre ad iter Dubri graueſcendum ad ripam Australem Tamisis, vnde alueo Londinum peruenit, sollicitus interin quo se tueretur, & abderet, dum de Personio resciisset: verum periculo iam hic occurrerat. Audomari enim prouidè in futurum cum Campiano conuenerat quod meliori deinde

consilio mutauit; recta nempe in carcerem ab ingressu ire, quo annos aliquot Societatis nouitius claudebatur Thomas Pondo, Christi Athleta fortissimus; si domum idoneam reperisset, eius in vrbe regionem, & locum Thomæ fidenter indicare; sin autem vt eam reperiret eius opera vti. Campianum vero ex eodem Thoma in carcere de Personij latebris cogniturum.

Georgij Gilberti virtus & merita. Campiani Londinum ingressus industriùs. Primi eius labores, & fama, & periculum. Sacerdotum cœtum Personius colligit, vbi tria valdè vtilia decernuntur. Proditoris apostatæ in iis deprehendendis vana improbitas.

CAPVT VIII.

RINGI animo vix possit quanto gaudio Pondus repentè in carcere improuisum sibi Personium viderit, sed non licuit diu tàm iucundo quàm insperato bono frui, ne salutationis præter modum effusæ mora prolixior, omen criminosum cuipiam proditori foret. Quare mittit confestim qui nobilem iuuenem Georgium Gilbertum accersat, quo nec fidelior alius Londini, nec Personio poterat venire gratior. Et debetur hic post triennium insignis huic locus; nunc à Personio cur tantùm amaretur dicam. Erat is educatione Puritanus, errabátque magis à fidei quàm morum regula (quanquam rarò, qui peccat credendo, agendo rectè viuat) sapiebant huic à teneris diuina, salutis curæ, & lectitatio piorum librorum, quorum illi erat copiosissima supellex. Adultum cepit, quæ solet iuuenes, cupido; cognoscendi externa & videndi. Profectus in Galliam dum Parisiis moratur incidit, in Thomam Darbiscir, natione Anglum Societatis nostræ Sacerdotem, quo cum de rebus ad religionem spectantibus, aliquoties collocutus, cœpit tandem in sectæ quam profitebatur securitate vacillare, nec vltra dubitationem, tunc quidem exiit; sed sperauit se Romæ deliberaturum de illa certius. Illic cum Personio interdum, & agens & disputans, tantùm hausit è cœlo veræ lucis vt natus Catholicus, non recens factus videretur, séque moribus talem in Anglia etiam, quò breui rediit, exhiberet. Iam quo die Londini, & domi Personium habuit, erat hoc ipso solennibus tabulis nuptias, cum nobili virgine iuncturus, nobilis, & ipse, & hæres vnicus, opúmque maximarum; sed Personij

sonij aduentu, euanuêre subito flammæ omnes nunquam postea sus. itandæ, & in sponsæ amorem subiit sempiternæ ardor castitatis, Deo in perpetuum voto consecrandæ. Inde Personio in vsum fidei sacrosanctæ, sua, séque adeò totum, sudores, & sanguinem detulit; nec parcè, vt post vid - bitur promissis respondit. Cæterùm de se, ac de Campiano minimè lab - raret, sed neque ab alio quàm à se quicquam, aut sibi aut illi, sponte l - cet oblatum admitteret. Quod negari eximio iuueni, efflictim petent, absque eius mœrore non potuit. Huius & secessus, & subsidij sec r s Personius curas omnes reuoluit ad inducendum tuto in vrbem C mpi - num. Ad hoc industriè vsus est cohorte nobilium iuuenum, sed solidè, fidelitérque Catholica, conueniebant hi Gilbertum domi, & se illic Personio in disciplina pietatis erùdiendos tradiderant; ex iis suum cuique assignauit diem, quo sursum deorsum velut otiosus obambularet ad ripam Tamisis animi gratia, qua naues Graueſendo Londinum applicant; vectores inspiceret diligenter: quem hoc ore, iis lineamentis, colore, vestitu, conformatione notassent, hunc fore Campianum, cum seruulo, breuissimæ staturæ homulo Emerſono, huic occurreret, velut noto, & familiari, & festæ gratulationis perfunctus officio, eum ad Gilbertum deduceret. Quibus ita præscriptis Personius interiora insulæ petiit vbi ab Henrico Nortonio insigni viro expectabatur cupidè ad reconciliandam Ecclesiæ nobilium manum lectissimam, & reficiendos diuino alloquio, & sacris mysteriis complures Catholicos; Campianus Londinum Iunij vicesimo sexto appulit bene mane, iam tamen ab Thoma Geaymo expectatus, cuius in illum diem cadebant excubiæ. Ripam barca legente, vectores oculis lustrauit sigillatim, & Campiano verè ex præscriptis inditiis notato, accurrit applicanti, compellat de nomine, manum porrigit excensuro, gestiens, gratulans, amicus antiquus & familiaris, vt geri omnia non fingi, nemo non crederet. Perculsus est tamen primo aditu Campianus, sed auditum ex ore salutantis Edmundi nomen secreti fidem illi fecit quod haberet cum Personio commune, & metum ademit.

Nulli ergo suspectus in Gilberti ædes perducitur, qui cum sua illa præstantissimorum iuuenum cohorte amantissimis illum accepit lætitiis, sic vt nihil deesset ad obliterandos itineris dubij timores, & ærumnas præter Personium, qui suas cum eo gratiarum ad Deum iungeret actiones. Post quæ omnes gaudendo, salutando, amplexando saturi, ad transformandum illum se certatim accingunt, alienissimi à vero induunt vestibus, lateri ensem accommodant, ornatu excolunt tanto magis secuto, quanto aberat longius à Sacerdote, & Religioso. Inde ne aucto in ædes Gilberti conuenientium numero, publicum fieret, quod nisi secreto perpetuari non poterat; Pagetti Baronis nomine conducunt amplas, & in rem suam valdè idoneas Norelli ædes pariter Baronis. Sacellum in iis designant, & instruunt; officiorum partes, inctedibili cautione inter se diuidunt, illius maximè periculosas, & lubricas qui admittendis in cœtum Catholicis præerat, quos esse illi tam probè notos oportebat, tam perspectæ fidei ac

vitæ, vt iis posset Campiani aduentus; & sancti secessus piæ latebræ committi absque suspicione imprudentiæ, loquacitatis, & dubiæ fidei.

Triduo quam venit Campianus incidit celebrari diem Apostolorum principibus sacrum, quod sacrificio, & diuina synaxi ab iis est præstitum, flore illo nobilium iuuenum, specie Angelorum pia circum ministeria exhibente, quos peculiari deinceps honorario citiùs tardiùs ornauit Deus, alios carcere, tormentis aliquos, exiliis, egestate, ingressu in Societatem. Operatus sacris Campianus allocutus est illos in ea Christi verba, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; & quibus valebat maximè, orationis intendit neruos vt Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Saxo immobili firmatam æternitatem ostenderet, quæ tot retro seculis de armata tyrannorum omnium rabie tot triumphos retulisset, quot transcripserat in cœlum martyres; de fraudibus hæresiarcharum tantos veritatis, & sapientiæ thesauros, quantis eam afflati, Dei spiritu Doctores propugnarant. Ardebant his arrecti gloriis auditores in constantia fidei inuiolabiliter tenenda; sed vbi descendit ad lamentabilem Anglicanæ Ecclesiæ speciem, eámque cum illa veteri, formosa, opum cœlestium diuite, nulli orbis totius Ecclesiæ secunda cœpit componere, iêre omnes in lachrimas, & acerbo dolore icti sunt, haud tamen vacuo consolationis, cùm ipsi saltem has inter ruinas, in gradu perstarent; quod in iis laudauit Campianus, & corroborauit illos in omnes euentus maiorum exemplis, Christianismi totius, quam sustinebant expectatione, cœlíque præcipuè totius, & beatorum quos illic habebat Anglia laureatarum miriadum quibus spectaculo facti essent, quique illis ad beatitatem sempiternam breui ascensu occupandam, manus tendebant adiutrices. Fuit hæc prima tàm potens, & efficax concio, vt pius auditor de se alios putans, existimarit quicumque audirent Campianum, & sanctimoniam eius nossent, redituros ad mentem si forent Puritani; emendaturos conscientiam si forent Catholici. Piè itaque magis, & feruidè quàm fortè, prudenter, & cautè, amicis, & propinquis Campiani secretum credere, inuitare ad illum audiendum, imo & ducere, respondebátque desideriis eorum fructus cum fœnore, Campiano dies, & noctes solidas insudante reconciliandis lapsis, concionando, & pœnitentibus audiendis. Nec erat nescius quantò se latiùs, tantò periculosiùs publicari; sed non sustinebat in conferenda iis animi vita esse timidior, quàm essent in petenda. Iámque is Londini latere, neque otiosus poterat, nec leui de causa, ita vulgabatur, vt submitterentur à Consiliariis regiis qui eum indagarent; & vero ministerio infami grauiter perfuncti, pulsatis foribus, retrò lusa opera abiêre, nam qui seruabant ad ianuam egregij iuuenes, circumducebant accedentes vrbanitatibus, donec à foribus amouissent, nisi certò illos, & intimè nossent; præsertim si forent ex fœce populi, tutiùs enim nobilis Puritani existimationi se credebant quàm conscientiæ plebeij Catholici: ex plebeio enim luto illa ebulliit proditorum & accusatorum colluuies, illa extitére tot insidiantium, exploratorum, testium perfidorum, calumniatorum portenta in Catholicorum

Catholicorum pœnas lucri fame producta, quæ tanto numero scriptores condigno opprobrio multarunt, vt ab iis libenter abstineam ; viles è putri animæ, domestici proditores, effrontes apostatæ, quos non religio sed quæstus rabies ad hoc sacrilegij abiecit, vt nundinarentur cruorem Sacerdotum, & vitam Catholicorum insontium. His quàm fructuosis tàm ancipitibus Campiani gestis superuenit optatus Personius, grauis & ipse non solum multa sed pretiosa messe virorum aliquot principum, vitataſque miro Dei beneficio narrauit, audítque viciſſim à Campiano insidias. Vt autem consuleretur in futurum, non fuit illi magnoperè deliberandum in monita, quibus viri graues illum conuenerant, vidit enim mox præsens Campiani vitam inter iuuenes illos filo tenui pendere, sanctos, amabiles, nullóque non dignos obsequio, sed ætate, & conceptо feruore generosos magis quàm cautos. Campiano igitur in mentem reuocat, non fuisse in Angliam missum vt mortem quæreret, quæ vel fugientem assecutura vltro esset ; verum ad vitam tot seruandis mortalibus impendendam, alioqui æternùm perituris. Dispensari ergo illam oportere non prodigè, ac velut rem suam, sed regni totius ; & quoad liceret in longum protrahere. Quapropter se religione adactum iubere, ac rogare vt Londino procul subduceret sese, vbi esset tam passim vulgatus, vt iuuentutis animosæ nulla iam posset solertia, exploratorum turbam ab eo defendere. Quò porro, quibúsve sociis, qua vitæ cautione, mútatione regionum, sedium, nominum, vestium, personarum, constitutum est inter illos priuatim, cessítque Personij prouidus, & necessarius metus, ex animi sententia, in excogitandis enim consiliis singulariter excellebat.

Prius tamen quàm abiungerentur nihil antiquius habuit quàm vt Sacerdotes Catholicos rei vnius faceret certiores, quæ illorum haud minus quàm nostra intererat ; deinde vt quædam inter illos diſſidiola componeret ; quæ nulli in publicum bono, poterant tamen ex iudiciorum dissensu, in dissensionem transire animorum. Conuenêre rogati ad condictam diem in ædes solitarias ad S. Mariæ trans Tamisim, antiqui, noui, hoc est recentes ex Seminariis Duacensi, Remensi, & Romano ; Angli omnes vitæ inculpatæ, Apostolici instinctus, & Societatis nostræ æstimatores tanti, vt expertus illos Campianus ad Mercurianum sic scriberet [nostri Sacerdotes, doctrina, & sanctimonia insignes, Societati nostræ opinionem conciliauêre apud Catholicos tam sublimem, vt quanta hi reuerentia nos obseruent pudeat scribere ; vbi aliquos ex iis offendimus, vbique nobis præstant subsidiariam operam.] Æquum igitur fuit suspicionum nubes discutere quas de nobis Ministri Protestantes iis offuderant ; vulgato Papæ aduersum Angliam cum Regibus fœdere ; missionéque Personij & Campiani ad hoc promouendum, & scindendum in partes religionis specie totum Regnum. Hæc aduersarij calumniatores gratis garriebant ; sed conferebat non parum Reginæ, regníque Administris, aut fingi, aut videri vera, non gratis, nec frustra iactari, conferebat inquam, ad omnes à Personio, & Campiano quàm longissimè auertendos, ni vellent eodem inuolui cri-

mine, & rebellionis de se suspicionem dare. Ea propter iis coram qui aderant Sacerdotibus, totique licet absenti Ecclesiæ Anglicanæ iurauit Personius certissimum, sanctissimúmque iusiurandum, nec se nec socium qui confessui simul intererat Campianum, mente alia venisse, & esse quam qua ipsimet iniecta diuinitùs, & venissent, & essent; conuertendarum scilicet ad Deum animarum, instaurandæ religionis Catholicæ, iisque nec aliis proferendæ propugnandæque præsidiis, quam quibus ipsi vterentur, essentque propria sacerdotalis officij. De status autem publici, quibusvis negotiis, & quæ illa vel minimùm olerent attingendis seueriſſimum iis perlegit interdictum quo Romæ fuerant in discessu à Mercuriano viua voce scriptóque obstricti; non quod eo egerent interdicto vt abstinerent ab iis manum; verum vt sui Catholicos iuxta, & Protestantes securos facerent; haberentque in promptu, quo inferentibus sibi de iis sermonem ora confestim obstruerent, séque illorum auditu prohiberent, solemnem videlicet Generalis interdictionem, quam & consilio Regio significandam procurasse videbimus postea.

Purgata, ingenti omnium approbatione, hæreticorum in nos calumnia, Personius ad ea descendit quæ inter illos controuertebantur, compromittentibus in eius sententiam partibus. Præcipuum erat de ieiunis in Anglia seruatis, iam inde à S. Augustino illius Apostolo, (præter solennia Ecclesiæ legibus indicta) feria sexta cuiusvis hebdomadæ, alicubi etiam, & quarta; pridie festorum Deiparæ; & rogationum triduo nec piæ illi Christianitati vnquam subierat, queri oneris eius grauitatem; imo in Synodo Londini habita, cùm Polus Cardinalis, Archiepiscopus Cantuariensis, & Papæ Nuntius, Maria regnante, Ecclesiæ Angliam reddidit, probata fuerant, & in posterum confirmata; nunc illa seniores ex Sacerdotibus acriter tuebantur, ne tanto illius Ecclesiæ abdicato decore, indulgeri aliquid videretur hæreticorum quàm vocant libertati, nusquam auidiùs, quàm in ieiunia declamitantium. Contendebant noui Sacerdotes extra Angliam educati, omnia reuocare ad morem vniuersalis Ecclesiæ; vtramque in partem scissa studia laïcorum, bona mente in fructus exibant non ita laudabiles; in mediam omnes libenter assensi sunt, quam iis Personius indicauit. Quibus in Prouinciis ab antiquo inualuerat extraordinarius ieiuniorum vsus, eundem piè retinerent, nouíque Sacerdotes cò missi, ne essent offendiculo cœteris, pariter ieiunarent. Prouinciæ aliæ communi ritui assuetæ, sinerentur agere suo more, nec à Sacerdotibus antiquis conscientiæ scrupulo turbarentur.

Ventum post hæc ad constituendum, nefas esse Catholicis, templa, conciones, & mysteria hæreticorum frequentare; nec fuit multa consultando & decertando agitare, cunctis vltro in eam sententiam pronuntiantibus nefas esse, nec posse vllo titulo indulgeri. Sed erit tempus cum mota denuo calamitosa quæstione stetêre ab vtili priuatæ rationes & commoda; stetit vero à damnosa parte conscientia, & in discordias voluntatum, iudiciorum dissensus desinens, nobilem illam Ecclesiam malis grauibus afflixit;

quæ

quæ vt credam sanata beneficæ studio caritatis, sed extant illorum hodiéque acerbæ cicatrices calumnioſi libri quibus scidit pars peior, & lacerauit meliorem. Subiecit Personius, & Sacerdotibus optimis exposuit, quàm multa regni loca, præclaris eorum egerent laboribus, quàm multi eorum inopia perirent; proin videri ad illam quâ ardebant spectare, vt sese in multos diuiderent, sortirentúrque inter se loca, vbi esset quisque sementem facturus locupletiorem, ne alioqui Prouincia vna subsidiis animi abundante, reliquæ esurirent. Quod sancto illi Operariorum conceſſui placuit, nec multo post reipsa perfectum.

In his dum toti sunt, de reparandis Ecclesiæ patriæ ruinis plurimùm, minimum de se solliciti; satagebat dæmon, vt omnium simul exitio anteuerteret conatus egregios, & contentiones, in suum dedecus exituras, vnáque opera Reginæ Ministris perfendos traderet. Conclamata res erat nisi diuino intentos obsequio, peculiaris Dei seruasset cura, expeditásque insidias aliò auertisset. Inter Sacerdotes in conceſſum vocatos erat Robertus Iohnsonius, honesto loco natus, alumnus olim Seminarij Duacensis, tunc familiaris viri nobilis Sacerdos, obibat condictum, veniebátque alieno cultu, cùm in desertorem incidit Sledium Catholicorum proditorem, agnitúsque de ore, ac lineamentis extemplò delatus est. Habent Londini paroeciæ singulæ ministrum Iudicis. Eius muneris est ac iuris, qualemcumque, & cuiuscumque reum, comprehensum ducere ad tribunal, aut domi clausum, familiæ Iudicis ducendum tradere. Ad hunc anhelans cucurrit Sledius, Iohnsonium Sacerdotem sibi obuiam factum; solum eò & absque comite tendentem, vbi si foret qui assectaretur, dubio procul furtiuum aliquem reperturus esset Catholicorum cœtum, ad quos pergeret expectatus. Ægrè aures dabat delatori Minister Iudicis, & diuerticula fingebat, indignum reputans Sacerdoti manus iniicere, sed iteratis minaciis vrgente Sledio, eius se quoque delaturum nomen velut Papistarum fœderati; sumptis armis Sledium sequitur, Iahnsonium Sledius, stabátque iam in ripa Tamisis, traiecturus quo nostri, & Sacerdotes considebant, cum Deo volente coacta offensus executione, & indignans retrò gradum tulit Sledio nequicquam propellente, & vociferante; captum dumtaxat Iahnsonium Iudicibus tradidit, qui ab iis crudeli annorum duorum carcere maceratus, anno denique 1582. mense Majo, ad Tibornum raptatus cum Thoma Fordio, & Ioanne Scertio Sacerdotibus quorum supplicij spectator generosus, nihilo lentior, aut timidior factus est negando Reginæ Primatu in Ecclesiam Anglicanam, cuius inuictæ constantiæ præmium mortem tulit quâ solent affici rei majestatis. Dum autem captus cœpit carcere concludi, fuit qui transmisso celeriter amne, Personio, & Sacerdotibus rem gestam nunciaret, & inoluisse Sledio de illorum cœtu; ex quo propterea confectis rebus ob quas conuenerant; huc illuc dilapsi, nullo sui relicto vestigio, indaginem Sledij luserunt.

Personius operarios in diuersa partitur. Elizabethæ aduersus Jesuitas, & Seminaria formidabile edictum. Personius & Campianus seorsum singuli, rationem sui contestato denuntiatam interponunt.

CAPVT IX.

ACCELERAVIT vitatum diserimen, discessum Campiani, & Sacerdotum qui illud euaserant. Magnis animis omnes Personio, se ac suos labores, vitámque adeò detulerunt velut forent ipsi aliquo iure obnoxij, vt quamuis in partem mitterentur, vbi Ecclesiæ vtiliorem daturi operam viderentur. Vidit Personius partes Angliæ tres, subsidiorum inopia miserabiliùs laborare; Vvalliam ingentem Prouinciam Hibernis quâ recedit à mari obuersam, montosam, asperam, incultam, haud multo ad fidem quàm ad hæreses proniorem, nec Protestantibus credulam nisi sola veri ignoratione. Alteram longè ab hac diuersam. Cantabrigiam; hæreticis confertam, & Academiæ suæ ambitiosam discipulam; Oxonienſis quondam æmulæ, nunc multitudine errorum, propagatione, & pertinacia victricis. Tertiam ad Septentrionem contiguam Scotiæ. Trifariam igitur sanctorum Sacerdotum operas diuisit Personius, misitque illos non in fortuitum, sed parato cuique sua industria, ex largitate amicorum, & tecto, & mensa. Ac tulêre quidem ex suis laboribus fructus egregios, sed ex illa, quod mirum, Academia Cantabrigiensi tam sterili, adolescentes septem ingenij optimi, Remos, & Romam transmittendos, vt ex hæreticis impugnatores hæreseon fingerentur. Nouo sub hæc, & sæuo perstrictus periculo Personius maturauit Londino Campianum secum educere. Iulij enim quinto, & decimo Edictum terribile promulgarat Regina, quo amarè conquerebatur de numero iuuenum, qui regnum egressi recipiebant sese in Seminaria, à Romano aiebat, Episcopo, vel fundata vel aucta; imbuebantur illic non falsis modo, sed pernicioſis patriæ doctrinis; rebellionis, & seditionum, fiebant artifices vel Ministri; iubebat ergo quicumque filios, pupillos, propinquos extra regnum haberet, profiteretur apud Episcopum eorum nomina intra decimum diem; post menses quatuor sisteret reduces eidem Episcopo; remanentes ne obolo quidem aut iuuaret ad victum, aut iuuandos curaret; vetitis etiam argentariis, & mercatoribus ad hoc operam commodare. Pœna regiæ indignationis, & seueritatis

seueritatis in eiusmodi reos exerendæ. Post quæ inuecta in societatem; rescisse aiebat, esse nonnullos è suis profugis qui dici amarent Iesuitæ vt sanctitudine illius nominis fraudes obtegerent quibus circumuenire simplices, pro arte habebant, iámque ex iis nonnullos mandato Papæ, eiúsque legatorum regressos in Angliam ad integritatem doctrinæ in optimis & amantissimis Reginæ populis corrumpendam; eósque majestati detrectatione imperij subtrahendos; agendos in rebellionem, factiones, tumultus, pacatissimi denique tamdiu Regni, sub gubernaculis Reginæ sapientissimis, euersionem. Proin vt damnis iretur obuiam quæ possunt ex tam nefario, & periculoso ministerio expectari, omnibus iniungi vt quisquis exciperet Iesuitas, Seminaristas, Sacerdotes missam celebrantes, vel cuiuscumque alterius generis errones, ac propterea suspectos eiusdem farinæ, traderet carceri mancipandos; aut deferret eorum nomina quocumque modo de iis rescisset, vt causa iuridicè cognita condignè punirentur. Qui secus facerent habitum iri consortes criminum, fautores rebellium, & seditiosorum, imo seditiosos, & rebelles, pœnisque statutis obnoxios

Hæc iussa Edicti feralis cui nihilo obsequentius ab animosis Catholicis obtemperatum est, quàm si verax fuisset in notandis personis, & explicandis Patrum consiliis, quos tàm procul à vero aberat, vt à Pontifice in mandatis haberent, auertere subditos ab obsequio Reginæ, vt è contrario obtinuissent ab eo facultatem restituendi illi omnes quos Pij V. Bulla terruerat, & ab eius obedientia anathematis metus auerterat; quam Pontificis mentem & Roma secum attulerant, & Catholicis denuntiauerant, significata illis religione Obedientiæ Principibus sæculi necessariò præstandæ. Quod Protestantibus etiam tam clarè constitit, vt in suos annales verba Patrum referrent quibus id à Pontifice exorassent, tùm quibus fuisset à Pontifice concessum, tàm simplicia, & plana, vt prodigio fuerit capitalium cognitores in causa Campiani, tàm diu violenter, & præter omnem intelligendi modum, in contrarios torsisse sensus, quoad illum facerent reum maiestatis, de quo nos anno octogesimo primo. Iam quanti maculam, & pœnas præstantes Catholici fecerint, quibus exterrebantur à Patribus celandis, & ipsa quoque in vicinia tolerandis; audiemus post paulum Personium à Mercuriano, quinque saltem Societatis Patres flagitantem, quorum totidem si posset partes, explere optasset, adeò à multis inuitabatur viris primariis. Campianus verò suum sigillatim variis domibus ad quas vocabatur condicebat diem; vterque tam continuatam egregiis illis Catholicis sudabat operam, vt sæpe etiam de nocte horas ad somnum vix duas haberet vacuas. At Seminario Remensi, & Romano incommodauit quidem magnoperè Reginæ Edictum, subductis omnino subsidiis annuis, quibus alebantur Conuictores; haud tamen euicit vt reuerterentur in patriam, maluêre pro Christo & fidei causa viuere mendicatò, quam suam repetere Angliam, & hæreticis Episcopis, quibus repræsentandi erant animæ salutem obiicere. Binas habeo Alani literas testis oculati de iuuenibus Seminarij Remensis, qui cùm ad illum ex Anglia,

iam centum triginta confugissent, & crimen esset inde illis quicquam ad victum suggerere; triginta ex ipsis honestissima ortos familia vno ferè in mensem nummo victitasse, adiunctis exilibus mensæ communis analectis; & has egestatis angustias felices putasse præ suo in Angliam reditu, & patrimonij commodis, sed inter discrimina fidei, & difficiles ac raros Sacramentorum, & piorum vsus. Abscessere Londino sub finem Iulij Personius & Campianus, primis se intendentibus tenebris, pernoctaturi Hosgdenij, & mane profecturi, Campianus in Prouincias Oxfordiensem, & confines; occasum versus Personius vsque Derbym. Sed non fuit illis quieta, & sine fructu nox. Monentur à nobili amico, prudentèrque pro illis sollicito, opinionis maximè damnosæ cui suam, & Societatis, & rei Catholicæ obiicerent famam, si affictas sibi publicè criminationes silentio glutirent. Emissarios Papæ publicè appellatos, & vulgo creditos; insimulatos seditionis in regno ciendæ, concitandarum factionum, & auertendi ab Reginæ obedientia populi, hæc nisi valide, cosidentérque refutarent, ea libertate, quam innocentia, & causa Dei suppeditat, futura magno religioni detrimento: fortassis enim vt nimis procliue, paulò post deprehensos, captos, carcere sepultos vnde vnquam nec vocem, nec halitum mitterenr, quis aut censeret aut scriberet fuisse ab Edicti criminationibus immunes, quas ipsi nullo modo vel conatu purgassent. Restat ergo, aiebat hoc vnum, vt qui præsens, & coram tueri causam prohibetur id tabulis faciat; & cuius audiri viua vox non potest, scripta audiatur. Probarunt Patres amicissimi hominis sapiens monitum, & illic sine mora, sui quisque seorsum aggressus verissimam, & explicatissimam, edere rationem, eam summis Londini magistratibus inscripsit; composuit autem vernacula vt si prodiret in publicum, à promiscuo populo caperetur; & duo illius exempla suo signauit Chirographo; alterum apud se seruaturus, vt captis & in vincula coniectis, anticipata confessione veri patrocinaretur; Catholico nobili alterum commisit vt ad primum eius prehensi nuntium ad consiliarios Reginæ proferendum curaret. Campianus tamen suum apud Thomam Pondo, illum Christi athletam sanctum deposuit. Iucundum foret vtriusque in iis perlegere, & admirari diuersum genium, Campiani audax, animosum, non minus modestum quam liberum; Personij maturè cordatum, quæ dotes optimè par illud hominum incomparabile nectebant, verum ad eorum quæ sequuntur perspicuitatem, necesse saltem est Exordium referre, quo incipiebat Personius, & paucas de Campiani apologetico lineas, quæ Theologos Protestantes ad arma consciuere. Sic ergo Personius orsus est.

[Professio fidei à Roberto Personio, Magistratibus Londinensibus edita. Ex quo die primum à meis præsidibus, destinatus sum in Angliam, ad ea quæ post ingenuè, ac sincerè exponam, euentus omnes animo præcepi quibus fiebam obnoxius, vincula imprimis, & carcerem, fortassis etiam extrema, omnia quæ variis per orbem locis socij mei vel perferunt, vel in dies expectant ab inimicis Christi eiúsque legis sanctissimæ.

Quin

Quin & prius quam iter arriperem accepi, verè an falsò, de facto constabit, captos, semel à vobis siue ab inferiore magistratu Catholicos nunquam prorsus audiri pro causa fidei, & religionis, sed interrogatis statutis, legibus heri natis & hodie latis extra rem lacessi, versari, & opprimi, vt vulgò putentur maiestatis, causa & legum violatarum plecti non Religionis odio (quam tamen tantoperè vociferantur Protestantes, nulla vi arctandam, sed conscientiæ libertati omninò permittendam) post quæ conduntur æterno carcere, lento illic marcore absumendi, aut si quem malunt occidi quam mori, factus noui alicuius statuti reus carnifici addicitur. In quo est illorum iniquior, & peior conditio qui sunt inter Catholicos scientiæ nomine celebres; petant licet, & rogent, & infimis precibus vt audiantur supplicent, pro rato habetur iis audientiam negare; imo si qua forte defensione præuertissent, fidem suam, & innocentiam tueri; defensionem illam supprimere, aut detortis à vero interpretamentis. Coniurationes, maiestatem læsam, & rebelliones ei affingere, quibus fiant populo exosi, & execrabiles. Ego quantumuis alienus ab his scelerum portentis; at iure metuens, iisdem mecum artibus actum iri (damno forte alieno maiori quàm meo) denuntiandum vobis maturè censui, dum loqui liberè, & palam licet, quod essem vobis si liceret denuntiaturus, &c. Tum paulò inferius, fatcor, inquit, Catholicum esse me, imo Sacerdotem, quamuis nomini tanto malè respondeam; religiosum præterea de Societate IESV minimique in ea pretij, quæ beneficia immerenti collata, non sine rubore, ad Dei gloriam recolo. Et Iesuitæ quidem appellationem tametsi videam, his locis, iudicibus, occasionibus, esse odij titulum, non fauoris; periculi, non securitatis; sed ego nullius metu tribunalis, aut negaturus sum quod verum est, aut dissimulando fuscaturus; tot me bonis ditauit, cumulauitque beatissima hæc IESV Societas, vt si professioni eius sanguine meo subscripsero, non sim ei dignas acturus gratias à quo in illam adscitus sum; post sanctissima enim Sacramenta, præcipuum mihi in ea repositum salutis meæ præsidium duco, in qua pietatis exempla reperi longè plura quàm verba, virtutis amatores plures, quàm buccinatores. Hæc ille, tùm fidei suæ, Catholicæ in omnibus, & Romanæ disertam edit rationem; inde aduentus sui causam narrat, suopte haudquaquam arbitrio suscepti, sed præsulum nutu, quo æquè in Indias, sicut in Angliam paratus erat transmittere; missum verò in Angliam non ad politici cuiusquam negotij vel mundam partem vllam, etiam leuiter attingendam, nedum ad scindendum in contraria studia populum; sed ad ministeria Sacerdotum multo sudore, & si vsus feret ipso sanguine obeunda in propugnationem fidei, & suorum Anglorum salutem.

De auertendis autem à Reginæ imperio, & obedientia subiectis longè se aliter habere quàm accusaremur in edicto. Solennis apud nos doctrina est obtemperandum esse Principibus, religione haud paulo sanctiori, quàm aut Protestantes, aut Puritani velint, non solo videlicet pœnæ metu vel offensionis alienæ, sed rectæ conscientiæ stricto iure, quod nullæ possunt

receſſuum latebræ, nullà ſecuritas ab offenſionis metu, pœnæque laxare. Contraria omnia decernunt Proteſtantes, lege nulla conſcientiam teneri, niſi offenſioni futura ſit aliis, illius violatio; vetent igitur Principes quantum volent eſum carnium ſtatutis diebus, edent eas clam pro ſua libertate nullo ſcrupulo Proteſtantes. Petit demum quod cum Campiano conuenerat petere, & has vtriuſque publicas litteras petitione illa concludere. Sed quia vt Campiano concepta fuerat, in manus conſilij Regij peruenit, & multis latè vulgata apographis, Puritanos iuxta & Proteſtantes communi furore, & rabie incendit, iuuat illam ex eo exſcribere, potius quàm referendo vim eius deterere; tria ſummatim continet capita, primariis illis Regni Senatoribus propoſita, quæ vt dignentur ſuo nutu probare ob redituram ex iis ad Deum gloriam; ait ſe illa eorum clementiæ hoc fidentiùs credere, quod quam æquo & iure niti videantur, tàm procul abſint à turbarum metu, & omni tranquillatis publicæ immutatione. Primum igitur ſupplex rogat, ipſimet (optima Regni pars, & in quos præcipua boni communis recumbit cura) ne grauentur audire de Religione modeſtè coram diſſerentem. Alterum (eo enixiùs quo potiſſima inde pendet vtilitas) vt coacto Doctorum Senatu, & ſacroſanctæ Theologiæ magiſtrorum, quotquot vtraque in Academia Osfordienſi, & Cantabrigienſi inſignes clarent ſcientiæ gloria, dignentur ſe quoque audire in idem de Religione argumentum. Se quidem deo propitio teneri certa ſpe, fore vt illis fidem Catholicam propugnet, & probet, & auctoritate ſacrorum codicum ineluctabili, conciliorum & Patrum, quin & hiſtoriæ, & ductis è Philoſophia morum, & naturæ principiis adſtruat, nullo eis relicto dubitandi loco. Tertium, audiri pariter à ſapientibus, & iuriſperitis, legúmque conſultis etiamnum in Regno vigentium, iis ſe quoque idem ex concepto illarum textu, verbis, & rationibus aſſerturum. Nolim tamen, abſit, has meas ſupplicis, petitiones, & preces accipi pro arroganti prouocatione, à qua planè ſum longè alieniſſimus, nempe mundo pridem mortuus, & promptus cuiuſque veſtigia lambere; ſed ardore quo feror amplificandæ gloriæ Regis mei ac Domini Chriſti Ieſu, cuius præſidio confiſus, cauſæ bonitate ac rationibus, haudquaquam dubitem cum Proteſtantibus, aut ſimul omnibus, aut ſingularibus iiſque lectiſſimis decernere, & quidem tantò alacrius, quanto acriores, & inſtructiores in campum deſcenderint. Triumphent licet inter grammaticos pueros, & rudis popelli oculos iniecto puluere perſtringant. Ita Campianus. Ac ſi ait, Regina hos cœtus maieſtatis ſuæ præſentia non dedignaretur honeſtare (quod illam demiſiſſime orabat) ea ſe ordinis perſpicuitate, ac luce rationum, euoluturum controuerſa omnia in apertum, vt conſideret etiam Reginam pro ſuo erga veritatem, & ſubiectos populos affectu, malis Regnum infeſtantibus facturam remedium, & habituram clementius Catholicos, tàm pridem miſerabiliter oppreſſos. Cæterum ſi repulſam feret à conſiliariis Regiis hæc mea petitio, nec dignus habear audiri diſputans, aut dicens de Religione, ſciant tamen haudquaquam abſtituros nos cœpto, vel eorum

quærendi

quærendi salutem, vel omnes ad vnum eorum manibus pereundi. Ad Societatem nostram quod attinet, certos esse vos volo quicumque sumus in eam adscripti, toto iam orbe, tantoque numero diffusam, subitutos in Regnum subsequenter tàm multos tantísque conatibus vt simus tandem victores futuri vestratum machinationum. Sanctè inter nos iurauimus cruces excipere ac ferre fortiter quascumque nobis imposueritis, nec vnquam propterea salutem vestram desperare, dum vel vnus ex nobis supersit, qui raptetur ad furcas Tibornas, vel membratim secetur, vel absumatur crudeli carcere. Sic nobis ratum sixúmque est auspicamurque nunc cum bono Deo, nullis in oppositum malis, & vexationibus cessuri. His quondam initiis plantatam Ecclesiam, iisdem nec aliis restitui opus est vbi aut reuulsa aut vitiata sit.

Generositas Catholicorum in excipiendis grandi suo periculo Patribus. Patrum in agendo circumspecta & solers cautio. Incrudescit maiorem in modum Catholicorum vexatio. Horum virtus in ea toleranda. Diuersus Campiani à Personio genius. Suo vterque in magnum vtitur animorum quæstum.

CAPVT X.

DEPOSITO, vt indicatum est, apud Pondum Campianus, Personius apud alium quendam Denuntiationis suæ apographo, sub primam auroram profecti sunt in excolendas sibi Prouincias; in iis quàm pulchrè erga se fidémque affectos Catholicos nacti sint; quàm strenuam Deo, Protestantibus reducendis, & stabiliendis Catholicis posuerint operam; quot exploratorum indagines luserint; quibus erepti periculis, Personius quidem perpetuo; Campianus per annum quem sibi à Deo poposcerat Angliæ insumendum, sigillatim nunc, scribendum, & breuiter.

Promulgatio edicti, quod reos maiestatis Iesuitarum hospites decernebat; hoc egit imprimis, vt nemo nesciret, latere in Regno Iesuitas, deinde vt Catholicorum extimularetur pietas ad eos perquirendos, adhibendósque ad animi opem; vacillantes lapsi, fraude ac dubiis decepti, quibus extricare se nequibant magno numero sunt sanati. Nosinquit Personius,

fulminate licet in quemuis mortalium Edicto, qui ad nos acceſſerit, & quicquam nobiſcum habuerit, auiditate ſumma expetimur, & pari vbique alacritate accipimur. Multi longinquum ſuſcipiunt iter, de rebus animi nobiſcum acturi, & ſecurè nobis credituri omnes conſcientiæ ſuæ rationes. Ij quod habent & poſſunt, prolixè nobis. & liberaliter deferunt. Quanquam autem expertus ſcripſerit Campianus præſtantes illos Catholicos, ſui prope oblitos, de ſolis Patribus fuiſſe ſollicitos, ſed quia effuſæ animi voluptates ægre conſilio premuntur, nullum vndeuis maius diſcrimen Patribus imminebat quàm ex immodicis Catholicorum lætitiis Patre aliquo domum ſubeunte, quæ ſæpè ſeruitiis vtebatur Proteſtantium, & Puritanorum, interdum quoque latentium: præter venalia ſeruorum capita, quæ ingenti lucro ad proditionem vnius ex Patribus prolectabantur à magiſtratibus. Vnde nec miror Campianum tam cito laqueos incurriſſe quos ei tot locis exploratores, tetenderant; mirum potius non citius proditum à familiaribus domorum in quas tam ſæpè vocabatur. Haud tamen apertè in omnes ſe caſus immittebant, velut ſeruandæ miraculo ſalutis ſecuri; ſed hinc nulli quidem ſuo parcebant periculo, inde nihil artis nihil erat ingenij quod non adhiberent ad vitam in tutum ſubducendam cuiuſmodi fuit, cultum crebro mutare, & nomen, & locum, & hac perpetua mutatione veſtium, nominis, ſedium. Indagatoris ſacrilegi anaram vafritiem fallere.

Ego, ſcribit ipſemet Campianus, eódem nunquam habitu incedo, eiuſdem coloris, & moris, nominum verò ſupellex mihi eſt copioſiſſima; quàm multa ſcilicet non ſunt nomen meum. Solent nobiles Angli, magnam anni partem ruſticari, ac niſi aulæ officiis Londini, vel Magiſtratu quem gerunt teneantur, foris vt plurimum ſuis in ditionibus degere, quos ſi quatuor anni, quos vocant Terminos, ad breue Londinum reuocent, deciſis mox cauſis, & iuſtitio indicto, ſeceſſus repetunt, ſolitarios ſi volunt, & exploratorum naribus minus obnoxios. Percurſandis his locis celeritate opus erat; ad hanc equos Gilbertus Patribus donarat, egregius ille quem ante memorauimus orthodoxus, quin & Perſonio ibat ſemper comes, & Patrum vtrumque deducebant ſemper in equis iuuenes honoris ſpecie, reipſa tutelæ, rectæque fidei ſtudio; haud enim facile vilis è luto indagator ausus eſſet eorum quempiam morari, vel interrogatis laceſſere, ne grandi ſuo malo incideret in alium ab eo quem quæſiſſet. Hoc vel comitatu vel præſidio tuti obibant Prouincias; & ſub ſerum diei cum ad deſtinatum appellerent, expectatis occurrens paterfamilias cum paucis conſciis, quocumque quod primum in buccam veniſſet nomine ſalutem dicebat, non tanquam notis, & pridem amicis, ſed velut extraneis, & caſu appulſis. Inde humaniter inducebantur in cubiculum penetrale ad hoc longo in receſſu lectum; illic pietati, gaudio, lachrimis, gratulationi laxari vtrimque habenæ, procidere omnes ingenua, fauſtam poſcere adprecationem; poſt ſi forent domi hæretici, properari neceſſariò ab omnibus confeſſionem ſacram, dubia, & difficultatum

tum nodos, & solutiones, quæ in illo æstu religionis conflictatæ non poterant non esse grauissimæ. Post cibo tenui & breui quiete refectum corpus, diuino sacrificio aderant vniuersi, & sacro epulo accumbebant, cum largo illo & ardenti fletu, quem ipsa quoque discriminum augebat magnitudo. Tum considebant Patrem audituri, quod iis propriè, aptéque inter equitandum parauerat, quanquam erat omnium vna sors, necessarius scilicet virtutis heroïcæ commeatus, ad perferendam constanter pro Deo, rerum omnium, vitæque adeò iacturam, cuius exempla quotidie formidabilia subibant in oculos. Concione rursùm absoluta proiectis in genua beneprecatus in equum conscendebat, stertentibus adhuc, si qui erant domi ambiguæ fidei. At si foret locus à frequentia vicinorum liber, nullúsque in eo nisi Catholicus, festinabatur paulo lentiùs, biduúmque aut triduum diuinis dabatur. Contra vero, idque vt plurimum, ob circumstantes hæreticos, tres aut quatuor domos vno die visebant præcipuas, iísque sacrorum præsidio roboratis, aliò per calles, & deuia illicò transibant. Quare Personius Agazzario Romæ Anglorum Rectori de precatione horarum quadraginta, pro conuersione Angliæ scribenti, appositè respondit; felices quibus licet, suo piè orando obsecundare affectui. Væ nobis! si precationibus nostris breuissimis non datur in cœlum aditus, vix enim vltra duas horas, loco eodem consistimus.

Huius tam minutæ cauendi circumspectionis, apex nullus fuit supervacaneus, ad exploratorum sagacitatem, & numerum quibus feruebant vniuersa cõperto enim Regina eiúsque Consiliarij, Patres extra vrbem elapsos peruagari Prouincias varias, peruolitare Catholicorum domos, vbique semper, nunquam alicubi apparere, vt est zelotypa rei politicæ administratio, pro vero, & solido veri vmbras etiam tenues habuere, Religionis negotium quod agebant, pro arte populi commouendi; pro rebellione in Reginam, conciliationem Protestantium cum Ecclesia Romana. Inde in omnem & artem, & diligentiam, & seueritatem, & versutias effusi, nouum inquisitorum tribunal condere, quibus nihil prætera pensi esset. Conseruatores, quos nominant, pacis, omnésque toto regno Magistratus, & Iudices seueris edictionibus conuenire, terrere, identidem vrgere, ope quoque permissa brachij regij, ad Catholicos capiendos, & eruendos ex latebris Patres. Omnia denique in opus conferri quæ iure poterant ex fidelibus Ministris pro corona, & capite Principis; ab Anglis pro patria expectari. Atque hinc illico ebullire vbique delegatorum, lictorum, exploratorum exercitus, in quibus sceleratissimi desertores, pars omnium pessima, & in maiorem innocentum pernitiem nata. Crudelem post paulum, ex iis vnus editurus est nobis scenam reorum duodecim qua Sacerdotum, qua nobilium quos ad supplicium vltimum ducebat; suis vt postea fassus est damnatos calumniis; sed palinodiam canenti, eiuranéque perfidiam, vt esset saltem interfectorum nomen ab infamia liberum, nihil fidei datum est, cum tantum tam facilé præbitum esset accusanti. Fecit hæc sacrilegorum venalis perfidia cœtus omnes sacros periculosos

Catholicis; famulos dominis suspectos; intuta omnia, & vbique dùm nusquam se produnt pauenda. Prouinciarum ab aula procul, supremi Rectores, gnari qnantum gratiæ ab aula, & intimis Reginæ consiliariis inirent, si se viros aduersum Catholicos præberent, venabantur illos feratum more, nullo discrimine plebeij, & nobilis; matronæ, aut famulæ. Suæ diuitibus nocebant opes, & eò perquirebantur curiosiùs quo largiùs poterant Ministrorum auaritiam saginare, nullius denique culpæ reis, culpam ipsa mulctæ persolutio affingebat. Perstrinxit historicos illius temporis, Protestantium, & Puritanorum querela non leuis, velut ambitiosos pœnarum amplificatores, in Catholicos decretarum: tam inhumanos & barbaros, mortalibus omnibus videri puduit, esse sua in Anglia minimè puduit. Cœterum in iis Scriptoribus vnus oculatus, alter etiam expertus, nominatim personas censebant; notabant loca, tempus, modum, supplicij genus exprimebant, neque id à gesta re tanto, quanto potuisset eius memoria fuscari, sed heri gesta, hodie edebant, & in Prouinciis adeo vicinis vt possent è littoribus Angliæ prospici; non possunt ergo hæretici querelas nisi per satyram confusè spargere, nempe in aures alicuius sat fortè creduli casuras, vt fidem iis præbeat. Cùm alioqui nihil potuerint in tanta gestorum acerbitate quicquam arguere, aut falsum, aut exaggeratum. Dabo aliqua suis locis exempla; nunc Personium audiamus; furit, inquit, tempestas aduersus Catholicos, nunquam immanior ex quo Christum suscepit Anglia; aguntur in carcerem plebeij mixtim, & nobiles; viri & feminæ; omnis ætas, etiam tenora, trahuntur ipsi quoque catena pueri. Rediguntur in fiscum bona; negatur amicis in carcerem aditus, seu consolaturis miseros, seu subsidio aliquo egestatem eorum leuaturis. Ne solis quidem lux tenuis quæ illos vtcumque recreet iis conceditur. Ex ore ministellorum debacchantium in suis pulpitis nihil sonat crebriùs, quàm proditorum, & rebellium calumniosum nomen. Londinense castrum, decumanum antehac reorum insignium, vt maiestatis, & similium barathrum, Sacerdotibus nunc, & omnis generis stipatur Catholicis. Prouinciarum cœterarum custodiæ veteres, quòd essent impares, multitudini generosæ, quæ cum hæreticis habere sacra communia recusabat, nouarum ædificiis auctæ sunt; sequitúrque narrare de pane quem Dei amore corrogatum, impetrabant adeò auarè, vt morti dumtaxat pellendæ non fami sufficeret; locis verò quibus obseruandis rigidiores præerant Cerberi, dabatur interdum, nec omnibus, salsamenti aliquid semiputris; & lutosæ ex lacunis aquæ, non quantum sat esset ad restinguendam sitim, etsi hoc infimis precibus rogarent. Oportebátque pios Catholicos, ingeniosæ solertiæ subtilitates omnes acuere, vt intromitterent aliquid quo sanctos illos Christi Confessores refouerent; cuius industriæ feruntur lepida, & felicia exempla, periculi tamen haudquaquam expertia. Portò hac temporum iniquitate tam dura & aspera (quod scribit aliis literis) minimè saturi, buccinatores Euangelij reformati, ad contumeliam veritatis, & mansuetudinis Christianæ, finem faciunt nullum

lum protitandi nimiam, vt aiunt, Magistratuum, & Reginæ aduersus Papistas clementiam, indulgentius cum iis agi, & quantò mitius, tantò in regnum crudelius. Scripserat vero antea diserte in hûc modum; quis credat peius cum liberis adhuc Catholicis agi quàm cum captis; affligebat hos, esto calamitas, & dolor corporum, sed alebat pax, & tranquillitas animi, quam in carcere reperisse, tanquam in portu videbantur: alios turbo iactabat perpetuus, velut quouis momento, iratis fluctibus sorbendos.

Quocumque vertissent oculos, quàcumque incederent, lachrimabilem vbique rerum speciem offendebant; fugere, captare latebras, aliena in veste domo excedere, trahi, sistíque iudicibus; iacere sub straminibus ad omnem indagantium iniuriam; syluarum errores, & inuia quærere, vnde se noctu domum recipiant, nec propterea sine metu; turmatim si quidem nocte intempesta executores irrumpunt, scrutantur, introspiciunt, rimantur angulos omnes, capsas, & scrinia lectósque adeo & matronarum & virginum, reuoluunt & excutiunt omnia, si forte crucem aut calicem; candelabrum, libros, aut simile ad supellectilem sacram spectans, deprehendant vnà enim & perit apud quemcumque hæc delituerint, & quicquid in iis præcipuè iis latronibus arridet; nec malorum hic meta, manus & oculos in sinus iniiciunt matronarum; restitantibus vestes diripiunt, vt tactu, & visu explorent, num quæ vsquam agni sacra ti cera, crux, aut pia icuncula lateat. Hoc auctoramento militant Executores isti, quos Pursęuantes appellitant, harpyæ famelicæ, & feri prædones; præter potestatem quâ fas est iis carcere claudere quos volunt, vel eò vsque affligere, dum vexationes argento redimant. Catholicorum hæc domi pax; foris nihilo melior; ponuntur in triuiis quæ noctu illos inuoluant insidiæ. Obsidentur interdiu ab his Meridianis dæmonibus in circulis & in publico; quorum delata non fuerint nomina, suspicantur, coniectant, diuinant esse Catholicos, nemo nisi latendo illos euaserit. Hæc ego, non à me; sed peruagata Prouincias de rebus gestis historia, & spectatorum vbique testimonio confirmata.

Nec dissimilia Campianus, ad Mercurianum Societatis Præpositum. Hæc inquit, dum scribo, eò intumuit aduersus Catholicos furor, vt esse immanior non possit. Domos illorum omnes suus cruciat angor; aliæ mortuum suum lugent; suis aliæ, qua nesciunt requirendis sollicitæ dolent. Habent istæ illos in ferro, & carcere; illis fiscus omnia abstulit. Stant nhilominus in gradu omnes, & hos fluctus magnitudine animi eludunt.] Hæc ille, quibus apud me id egit vt luberet tristem Ecclesiæ illius referre statum, ne Catholicorum in obscuro iaceret robur heroïcum, & fructus operæ ab illo nostrorum eximio pari in iis collocatæ, si paucis saltem ingentes eorum animos in lucem non ederem, & malis subinde crescentibus maiores, adscripta sunt capitalium tabulis hominum millia quinquaginta mensis tantum vnius spatio per diuersas regni Prouincias, omnes iacturæ bonorum, carceri, & sæuioribus carcere calamitatibus ob-

noxij; hoc solo rei quod essent Recusantes, hoc est nec blanditiis adigi nec minis potuissent, vt vel in anno semel Protestantium adessent mysteriis; concionibus, & psalmis; in quo tàm longè aberant à fide Deo & conscientiæ fallenda, vt omnes etiam domi exciperent Sacerdotes, quod erat assiduum vitæ pro Deo ponendæ sacrificium, illico perituri vel sepeliendi subterraneis specubus, si forent à quolibet exploratore intercepti. Fiebátque interdum vt cum se clàm illuc coniicerent singuli, aliorum minimè conscij, eadem in domo quinque aut sex reperirentur Sacerdotes. Nos inquit, de se Personius, & de Campiano, tribus licet in diem concionibus exhausti, vim tamen amicam & auidam explere non possumus qua Catholici apud se nos retinent] notátque triplex pietatis illorum decus quod licet continuum, mirum tamen sibi sempérque nouum videbatur. Primum erat affectus teneritas quo dum sacrum audirent, in fletum, & gemitus, & ruptos vocibus singultus soluebantur. Alterum tanta erga Pontificem cum dulci amore reuerentia vt Patri a filiis non posset maior exhiberi; recitandis quidem Litaniis dum indiceretur, *Oremus pro Pontifice nostro Gregorio.* Omnes ore, manibus, oculis in Cœlum, & mixta suspiriis prece, Deo illum enixè commendabant. Tertium inuicta tot aduersis & cladibus patientia, animíque constantis ea soliditas, vt acerbiora in dies dum expectant, nihil tamen sibi optabilius arbitrentur, cum pro fidei causa illa sustineant. Sic ille, ac si sit ab Anglo, laus suspecta patrij affectus, hispanum adduco Gaditanæ Ecclesiæ Sacerdotem, qui captus à classiariis Reginæ, & in Anglia carcere detentus, negabat se suum illud infortunium, sacræ purpuræ honore fuisse mutaturum, quod tunc demum in Catholicis Angliæ didicisset quæ esset Christiani propria, & solida ratio, nec Religionem splendere vsquam magnificentius, quàm vbi pluribus conflictaretur ærumnis, & cladibus. Quam laudem ipsi quoque cum inficiari non possent aduersarij, irascebantur illi tanquam probro, suis vitiis obiecto, & vitæ solutæ licentiam, salubri quidem sed importuno morsu castigante. Coniectiones certè, & suspiciones quibus Catholicos diximus ab exploratoribus indicatos, morum integritas, collecti oculi, verecundia verborum, iniuriarum patiens lenitas, præstita legibus Obedientia, & in spernendis rationibus propriis æquitas iure iis præbebant; de iis ac talibus intus Catholicum diuinabant. De iis Protestantem iam non dubitabant esse Ecclesiæ reconciliatum, erátque tàm notum discrimen, vt si quando ex ore Catholici excideret aliquid minùs decens, aut notaretur in eius moribus, hoc vero non esse bono dignum Papista, carperent Protastantes, & putabunt, aiebant, vestri, vos nostris partibus accessisse. Postremo complures nobilium, & Reginæ ministri Catholicis potius domestica suas tabulas, gazam, rationes, & quicquid haberent pretiosum, quàm suis hæreticis seruandum, & administrandum credebant; cuius fuit illustre documentum mors Christophori Hattoni (qui erat Regni cancellarius, & Catholicorum alias infectator) eius mortui omnis prope familia deprehensa est ex Catholicis constare, in quorum fide, & conscientia,

conſcientia, rei ſuæ omnis, ſuíque adeò curam omnem habebat repoſitam ſecurus eorum nec negligentia ſibi quicquam ſecus futurum quàm vellet; nec fraude vel obolum à procurata re abfuturum.

Iam huius tantæ ſanctitatis, & infractæ ſub ingraueſcentium in dies oppreſſæ innocentiæ malorum durando pondere; conuerſorum præterea ex hæreſi ad rectam fidem; quota pars Apoſtolici pectoris par nobiliſſimum ſpectarit, attingendum eſt, vt ſolent quæ ob ſui magnitudinem non poſſunt niſi aceruatim per effecta magis quam per ſe monſtrari, Perſonium dico & Campianum ex quo ſolum Prouincias in quas menſe Iulio diuiſi fuerant anno 1580. ad inſequentem Iulium quo Campianus captus eſt, eas coluerunt. De ſe quidem teſtatur Campianus mortem ſibi ſemper verſatam oculos, tum ignominioſam, tum crudelem; ſed eius periculi tàm in Catholicis, quam in hæreticis fuiſſe fructus tàm vberes, vt merus omnes in gaudium verterent, & quantaſcumque laborum anguſtias infinita dulcedine condirent. Nempe vt Alanus ad Agazzarium de illo & Perſonio Remis ſcribit; quæſtus animorum fecêre vno anno in Anglia maiores quam per omnem vitam, etſi longiſſimam, vbiuis gentium facturi fuiſſent [& datis paulo poſt literis, non eſt P. Edmundus ſuo in munere minus ſollicitus, minúſque induſtius, creditúrque hoc anno Anglia Catholicorum millibus decem aucta quæ ſuperiori non habebat, nuſquam certè alibi terrarum, maiori efficacitate datum à Deo verbum Euangelizantibus nunciantur] quod miniſterium dicendi ad populum obibat, quidem cum fructu Perſonius, ſed eminebat in Campiano vis ardens ſpiritus impreſſa diuinitus, & iactare verborum ignita iacula videbatur auditorum animis inflammandis. In Lancaſtria certè, boreali Prouincia inter alias inſigni, & de Catholico nomine ac Societate egregiè merita, concionantis Campiani, multis ab eius morte annis memoria floruit, referebántque viciſſim alij alia quæ ab eo accepta, cuique altius in mentem deſcenderant. Tantum vero mouiſſe omnibus audiendi ardorem, vt nobiliſſimi etiam ingenti numero, noctes in mapalibus, granariis, locíſve aliis à ſuſpicione indagatorum tutis, perincommodas exigerent, quò ſurgente aurora maturi accurrerent ad audiendum Campianum.

Etſi autem illi, ab aduerſariis quoque hæreticis vis illa domina voluntatum, cum ſuauitate ſingulari elocutionis & pronuntiationis maternæ tribuatur, ſed tantam frequentiam, tanto ſuo periculo trahebant alia ad ipſum audiendum, æternarum nempe rationum probè animo comprehenſa, probéque ad perſuadendum diſpenſata ſublimitas, & pondus, quo rapiebantur in Dei amorem & virtutum quarum tunc vſu perneceſſario obarmatam incedere Catholicorum conſtantiam oportebat.

Inerat Perſonio vis conſilij maior quàm dicendi, ſed peræque neceſſaria ob perplexos, & quotidianos difficultatum nexus, quos in Religionis cauſa, proteſtantium ſubinde arbitrium, & libido nectabat.

Eam ob rem coactus à Catholicorum primariis Londini latuit, spretis boni communis studio, vitæ insidiis quas sibi vbique ab exploratoribus tendi norat; nec tamen sat illi securas præstabat has latebras, circumspectus in publicum & rarissimus progressus, cùm eas propemodum, eiúsque præsentiam proderet adeuntium numerus qui eius consilio egebant. Gilbertus ille nobilissimus iuuenis, indiuiduus Personij comes, procurator, & testis, mira de illo referebat alumnis Seminarij Remensis, & de perpetuo vndique ad eum confluxu catholicorum omnis gradus, & conditionis. Requirentium in rebus animi eius prudentia dirigi: quamuis enim suppeterent alij notæ virtutis, & literaturæ Sacerdotes, vni tamen exquiescebant Personio; quod opus per se impeditissimum, & graue, magna leuabat iucunditas, cum frænando magis eorum feruori, & arctioris conscientiæ laxandis angustiis studendum sibi animaduerteret, quàm restringendæ laxitati, adeò illis exquisitus recti, & mali sensus, suspiciones culpæ meras pro culpa obiectabat. Occupationis fructuosissimæ quo se latius vtilitas funderet, quinque socios laboris à Mercuriano Generali poposcit Personius, Anglos tres, quos ipse nomine designabat, quartum Hispanum, & quintum Italum, ea potestate, ac facultatibus à Pontifice instructor, quas alioqui Roma ex Anglia petere, crimen erat violatæ maiestatis.

Ad hanc Personij consultissimam in expediendis animi dubiis prudentiam, accedebat reuocandis in lucem solers industria, quos aut prauitas morum vt ferè fit, & licentia peccandi; aut Magistrorum fraus in errorem præcipitauerat. Do prædas nobiles quas circa Londinum primum egit vicinas obiturus Prouincias, vt fiat de cæteris coniectura. Gardinerum imprimis Ioannis Foxij discipulum, eius qui Calendarium abacum, ex Confessoribus, & Martyribus hæresum texuit. Inde præter alios complures Baronem Compronum, Thomam Treshamum, & Guillelmum Catesbym calcaris aurei Equitem, eiúsque patruum Dimocum qui consenuerat in Elizabethæ aula, hoc est Academia voluptatum. Epicurum viuebat miser senex tam inueteratum, vt cùm illi cœpisset Personius religionem nouitiam cum auita componere; interceperit ordientem, perperam me, inquit, aggrederis. Deum mihi probato, & tuus sum, tecúmque sentio. Strinxit Personius hominem auctoritatum, & argumentorum impressionibus validis, sed eius expugnati laudem voluit Deus Campiani esse; iis ille rationibus perculsum agitatúmque fregit, vt nisi voluntaria cæcitate non potuerit eas eludere. Serio itaque manus dedit, & cunctis Christiani, Catholici, & pœnitentis officiis perfunctus, non longè post obiit ipsomet illum ad supremum agonem animante, & corroborante Campiano.

Cessit Personio felicior opera in sorore eiusdem Equitis ab errore in viam reducenda. Tollebant matronam ingentes spiritus, claritas sanguinis, honorariæ apud Elizabetham gratia dignitatis, ad hæc subtile ingenium, multóque audacius quàm eius saluti conduceret, suopte enim arbitrio

arbitrio velut ſupremæ oraculo doctrinæ, inauguraverat ſeipſam Theologam & Magiſtram, pronuntiabátque de Religione aduerſus quoſcumque quod mente conceperat. Inferos eſſe aliud negabat, niſi reæ conſcientiæ tormentum. Subterraneos ſpecus, ignes, gelu, & tenebras, & carnifices dæmones, pœnáſque cœteras damnatorum, Poëtarum ſcilicet figmenta, & terriculamenta ſimplicium; proin animorum in corpora reditum ante poſtremum iudicij diem credulitatis eſſe puerilis. Vt quid enim rurſum iungi cum animis corpora, vbi totum in ſolos animos incumbit ſupplicium, morſus nempe ille crudelis & æternus damnatam mentem æternum diſcepturus? quibus illa chimeris, tam firmis ſibi videbatur ſentiendi momentis inhærere, vt negaret ſe ab vllo mortali dimouendam, miſertus eſt Deus ignorantiam ſuperbi ingenij, nec diſtulit eam ſempiterna experientia docere, quod hic ratione ac fide breui diſcere poterat; perſuaſa igitur à fratre dudum Catholico Perſonium audire, de huius ſaltem articuli firmamento vero & ſolido, non prius finem audiendi fecit quam in eo errandi, quæ clara erroris cui tantùm tribuebat agnitio, ſuſpectum illi fecit quicquid eatenus diuerſum à Catholicis ſenſerat; quod ſibi pariter confeſtim vt à Perſonio elucidatum eſt, Proteſtantium partes eiurauit. Non longo vero hinc tempore, maioribus ad Deum animis anhelans, prima voluntarij ab aula, & patria occaſione exilij arrepta in Galliam tranſiit, & monialem profeſſa eſt.

His Perſonij & Campiani pro fide Catholica proſperis, acceſſit opera Sacerdotum, tùm Seminarij vtriuſque, tùm veterum qui Reginæ Mariæ fuerant, & ſe vltro laborum ſocios Patribus dederant, ex quo verè licuit Sandero ſcribere, reconciliatum Eccleſiæ pauciſſimis menſibus, innumerabilem populum, præter alios, multos claritudine generis illuſtres, & variarum profeſſione literarum.

Secedit in Lancastriam & Eboracum Campianus. Prouocatoria eius denunciatio ad disputandum de Religione, quam Pondo reliquerat vulgatur magno Protestantium strepitu. Prouocat item Catholicos Episcopus Sarisberiensis. Ciarci, & Hanmeri aduersus Campianum scriptis respondet Personius. Academicis Oxoniensibus & carus, & magni nominis Campianus.

CAPVT XI.

SECVNDIS his rebus ominosus ab aula interuenit rumor comitia Ordinum primo vere in Parlamentum coïtura; hinc væ Catholicis! in quos Regni Consiliarij, cruentis edictionibus parabant sæuire, quas idem erat ferre, & scisscere: nec inanes fuere hi metus, conuenit Parlamentum Martio anni nostri 1581. de quo aggredimur scribere, & diris legibus rem Catholicam afflixit. Personius in futuro totus; Vxbringem acciuit Campianum diei itinere Londino dissitam, secúmque habuit ad festum S. Michaëlis Septembri solenne; illic post mutuam, & variam ex rebus ab vtroque gestis consolationem, in omnes euentus legum minacium statuunt, mutari ab altero locum; munus ab altero debere. Londini manere Personium ad nobilitatem illam consilio & animis erigendam, confirmandósque ciues quibus valdè inuitis abiisset; & præter ministerium animarum ad scribendos tractatus, in grassantis veneni antidota perneccssarios; non quod Campiano par esset in eo genere; sed quòd illos edi, spargíque illic in publicum oportebat; quæ res cùm esset maximè lubrica, & periculis obiecta, inueniendæ artes erant, & incogitatæ solertiæ ambages, quibus securè id fieret, in quo Personius longè antecellebat Campiano; cuius extra discrimen vt vita locaretur, amouendus Londino, ciúsque vicinia fuit, ne protumpentia Parlamenti decreta, vestigatorum turmas in eum immitterent, assecuturas planè illum, quod illic diutiùs, & nimio pluribus notior hæsisset. In Lancastriam igitur, & Eboracum boreales oras, operam transtulit.

Personium vero vt Londinum aduenit, prope statim adegit necessitas innocentiæ vltra modum læsæ, & veritatis deformatæ, aduersus Pro-

testantes duos scripto defendendæ. Pondus ille Christi Confessor egregius, & ex nostris vnus, apud quem depositam diximus indictionem Campiani ad summos Regni Consiliarios, vulgandam ex templo cum de capto illo cognouisset, indictum sibi præuertit tempus, ratúsque post menses quatuor quibus tenuerat otiosam, exire tandem in lucem debere, liberè illam amici fiducia à quo sibi credita fuerat vulgauit. Mouit opinor virum sanctum contumeliosa & atrox calumnia quæ ministros Regios, Reginam, eiúsque Prædicantes penitus occuparat latiúsque in dies ad publicam nostrorum execrationem iactabatur, Iuratos Papæ homines Iesuitas eò irrepsisse vt cierent populum in seditiones, nobiles in proditionem, cuius tàm immanis calumniæ, planè oppositum, illa Campiani obtestatio scripto & facto reuincebat, dum enim posceret audiri de Religione, nemo erat tàm hebes quin coniiceret ad conciliandam cum Ro. Ecclesia Reginam eiúsque populos id peti, & credibile est Pondum pro indubitato habuisse, prouocationem Campiani à Theologis Academiarum, non posse saluo ipsorum honore vel repudiari vel despici; futurum quin etiam vt iidem Theologi ab Regina commeatum liberum Campiano ad disputãdum impetrarent, vt in illo vno (quod pro facto dicebant) rationibus omnibus euerso, vniuersam ab se Iesuitarum gentem gloriarentur exarmatam. Cæterum quicquid cogitarit Pondo, Campiani epistolam præscripto citius vulgauit, móxque illius mille apographa toto vbique Regno volitantia cupidas mouerunt expectationes tùm Catholicorum, tùm Protestantium, ac si Campiano datus foret in vrbem, vt aut Academias ad confligendum cominus liber campus, nullum æque nobile, ad frequens spectaculum multis retro annis futurum fuisse putabatur.

At ex Catholicis maximè cordati, & talium concertationum experientia edocti, longè aliud vaticinabantur. Fore nempe vt nunquam admitteretur prouocatio Campiani, tametsi ardenter optari fingeretur, ac si quà ille incideret in manus aduersariorum, haud alio exceptum iri theatro quàm Turri Londinensi, nec aliis commissum iri Theologis, quam equleis, & carnificibus: memorabántque primis Elizabethæ annis cum rem Catholicam, Protestantes violento eius imperio subruissent, voluisse videri ratione, confectum, quod adhibita summa vi patrarant falsóque opinatos tunc fore neminem, qui contra se vocem aut flatum mitteret, audacter Catholicos ad disputandum exciuisse; & vigebat tùm adhuc memoria Ioannis Giuelli iuuenis Episcopi Sarisberiensis, seipso, suorúmque præconio tumidi; & Exclamationis illius in quam magno hiatu & pulpito Cœmeterij S. Pauli eruperat, *O Gregori, ô Augustine, ô Hieronime, ô Leo, ô Dionysi, ô Anaclete, ô Calliste, ô Paule, ô Christe! si nos (Protestantes) in fide erramus, vestra culpa erramus; & à vobis decepti; verbis vestris fideliter inhæremus. Vestra sigillatim vestigia premimus, & signatam à vobis orbitam tenemus.* Volebat quantum intelligo superbus Caluinista, velut ab se conceptum accipi; quo Ricardus à S. Victore, Catholicum dogma confidenter, ac iuréque confirmarat, miracula referens quibus absque numero

Deus., eius veritatem sanctitatémque asserebat (quod in nullam prorsus errantium hæresim potest conuenire) nobis coram Deo si argueremur erroris, & pertinaciæ ; in promptu fore excusationem. *Domine ! si error est, à te decepti sumus : ea enim in nobis , tantis signis , & prodigiis confirmata sunt, & talibus quæ non nisi per te fieri possunt : certè à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita , & cum summa & authentica attestatione probata teipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Sed vt cumque Giuellus absurdè exclamaret, nondum absoluerat, cum prolatam è sinu cartam frequentissimæ concioni perlegit septem & viginti complexam articulos, hoc est hæreses meras ; prouocauítque palam genus omne humanum ad eas impugnandas, vno se aduersus quoslibet propugnante ; Catholicorum autem ; si quis contra quàm possibile fieri, vel vnum proferret strigosum, Patris antiqui, Doctoris, & concilij locum sex primis Ecclesiæ seculis, vel vni tantummodo ex articulis positis repugnantem , iam inde se illi manus dare, victum mancipatúmque profiteri. Testórque, aiebat, haudquaquam me feruore dicendi , sed veritatis impulsu loqui. Quibus dictis cartam proiecit ex pulpito , velut prouocatorium syngraphum , qui mox in prælum datus , & editus.

Triumphabant videlicet Protestantes, eorúmque ministri, & quasi eorum cuiusque oppigneraſſet fidem & animam Giuellus , exhibebant se Giuellos totidem, ad propugnandum iisdem pactis aduersus Catholicos ipsius errorem, cum ecce tibi non diu. Post, nec inter angustias Londinensis cœli, sed tota latè Europa libros impluere doctorum hominum, carminantium vt par erat Giuelli somnia ; quorum primi fuêre Thomas Hardingus in diuinis Magister; Dormannus, Rastallus, Hesxinus, Stapletonius, Sanderus, Marchiallus, Alanus, aliíque permulti doctrina inter Anglos clari, tam confertis Patrum & Generalium Synodorum contra Giuellum auctoritatibus, vt se mutum optaret Giuellus fuisse cum illos effronti prouocatione ausus fuerat proritare ; eius asseclæ vultu. Malè simulato dolorem premerent, & dedecoris impatientia rumperentur : in iis alij Giuellum damnare, quòd nimis prodigè sexcentos Papistis obtulisset annos ; defendere alij sed Patribus omnibus, & œcumenicis conuentibus falsæ doctrinæ condemnatis, quodque hinc necessario sequebatur, affirmare alij ab Apostolorum temporibus ad Religionem Angliæ recens cusam, Christum Ecclesia caruisse, hoc est scientia veritatis ab errore pura, & Euangelij vero sensu. Nonnullos pudebat tam impudenter delirare; fatebantur Ecclesiam fuisse, sed Caluinisticam, nec aspectabilem, nec sub sensus cadentem. At enim istarum alrercationum quis in Catholicos qui prouocati fuerant vel vsus vel fructus, quódve ad fidem compendium ? Primùm datam fidem infregit Giuellus, & qui se fore Catholicum vna Patris vnius contra se auctoritate promiserat, post sexcenta & mille Caluinista permansit.

Dedecorata in eo cætera factio, eodem in campo quem ipsa sibi expanderat ; probroso, sed necessario confugio, Reginam querula conuenit,

scribit

(ſcribit author illius temporis) impetrauítque proſcriptionem librorum quos à Catholicis Theologis editos diximus tàm atrocem vt nefas eſſet pœnis luendum grauiſſimis, illos inducere, admittere, legere. Hinc dira in Catholicos procella, multos in vincula, quoſdam ad quæſtionem dedit, alios ad examen iuratæ fidei; nonnullos in pœnas, in exilia, in fugam. Ædes innumeræ à nocturnis perquiſitoribus ad fundum introſpectæ, ſi quod forte iſtiuſmodi codicum veſtigium deprehenderetur quod poſſet in crimen vocari. Poſtremo quæſiſſes ab aduerſariis cur tot Catholicis, quorum inſectabantur libros. Nihil reſponſionis apponerent? ſuſpicionem hoc ipſo feciſſes tuæ in Reginam infidelitatis. Verbum excidiſſet, in defenſionem tractatæ ab iis doctrinæ? manifeſta erat rebellio [ſic ille. His & ſimilibus exempli eiuſdem plurimis, ſapientes illi Catholici nihil addubitabant, Caluini Theologos, prouocationem Campiani reiecturos, præſertim publicam, iámque inter illos minus acres muſſabant, Euangelij veritatem (quum ſibi falſo aſſerebant,) ingeniorum concertationi nefas eſſe committi. Cauſam nobilis Anglus, vnûſque de Proteſtantibus hanc edit, triumphant, inquit, noſtri Theologi ſuis quibuſdam probationibus acutis, quæ præter ſubtilitatem nihil habent; reſponſionibus ad manum promptis, ſeu effugiis potiùs argumenta eludunt, & auctoritates; & validiſſimos ſyllogiſmos diſtinctionibus eneruant, iſtáque tricandi fiducia, contra omnes audacter pugnam cient. Laqueis implicant diſputantem; ad diſtinctionem illorum aliquam argumenta omnia ſine ictu ſic cadunt, vt ab iis ius ſtare ingenioſi quoque ſuſpicentur, plærique victores pronuntient. Hinc illæ ipſorum ſonoræ clarigationes, & illa Campiani per Angliam certaminis denuntiatio] hæc ille memor ludicri funeris quo Theologia cognomento ſcholaſtica olim Oxonij totáque Anglia ſeriò elata fuerat, & ſepulta, vt qua nihil æque reformatum dogma retunderet, cuius fides omnis & perſuaſio arbitrio vtilis, genij, & priuati ſpiritus nititur, quem tenet pro regula, & interprete diuinorum. Huius vero nihil ita prodebat fallacias, vt agitatio ſententiarum pugnantium qua velut igne, catillus obruſæ in fumum expirat quod prius fuerat pro auro emptum.

Longè aliter Prædicantes de Campiani edictione conteſtata, qua ſe tanquam populi Magiſtros, & in luce omnium locatos percelli cernebant, & nominatim prouocari. Erat ergo illorum ex pulpitis, continua, & ardens declamitatio, & indignatio; ſuperbum Ieſuitam, Goliath Philiſteum auſum exprobrare Dei viuentis agminibus Iſraëli vero, Reformatæ Eccleſiæ filiis? abſenti procul magnanimi, & fortes inſultabant, infligebántque longinqua vulnera, & ſcindebant tùm illum tùm Societatis homines tanquam viles, & reiectaneos, inſtitutum, mores, ſtudia, errores, vitam omnem calumniabantur, & criminabantur tam monſtroſis ſtultíſque fabulis, vt ſtolidiùs, & furioſiùs, non poſſit phreneticus furere. Reſpondent (ait Campianus ad Euerardum Generalem) & magnis vocibus, ſe pugnam poſcere proclamant, ſed nolle Reginam Religionis certam cauſam

sam disputationi velut dubiam subiici; laceramur interea contumeliis, hypocritæ. Seditiosi, hæretici audimus; sed hæc populus, vt qui stet à nobis quoad hanc prouocationem, falsè ridet. Eius certè vulgandæ præmatura festinatio, dici non potest quin feliciter cesserit. Si datur publicus commeatur, in aulam extemplo prodimus, sed ipsi alia omnia cogitant. Ita Campianus.

In his tamen pugnæ buccinatoribus pauidis, duo extitêre Ciarcus, & Hanmerus Caluini Symmistæ, quos libuit stylo experiri quod sibi gaudebant, coram, & lingua non licere. Libris duobus cum effutiissent, quicquid aduersus Campianum in buccam poterat talium hominum venire, euomuere in Societatem, eiúsque sanctissimum fundatorem, quicquid Caluinianis in nos scriptoribus magnum conuitiandi vocabularium, & linguæ maledicæ thesaurus suggerit, sed hæc Societatis est eiúsque fundatoris laus propria à religionis hostibus traduci, possúntque illorum eiusmodi famosæ lucubrationes bibliothecam conficere Serapeæ æqualem, sed eò nobis Catholicorum præconiis luculentiorem, quò recti boníque inimicos facit eius odium in eo accúsando copiosiores. Adiunxêre huic suo, anglicè Pauli Florini & Christiani Franci opus, quos ab se Societas tanquam indignos abiecerat, contendebant illi apologia edita Societatem indignam fuisse quæ se retineret, vt quæ suorum emedullaret ingenia, & meditandi assiduitate cerebrum exsiccaret, iuuenes ageret in phtysim, duritate quadam senibus etiam non tolerabili: crudelem præterea esse, nedum asperam, & acerbam in exigendis obseruationum minutiis, tanquam grauium, & supremi momenti; ad hæc suos velle in obtemperando cadauerum similes; in castimonia truncis sensu carentibus & saxis; & huiusmodi complura Societati obiectabant, enormica scilicet, miniméque ferenda.

Animaduertens Personius his libris duobus, magnoperè sibi aduersarios gratulari, captato secessu in domum Catholici nobilis, responsionem ad eos absoluit intra dies decem, aliquanto magis aceto quàm melle temperatam, non tamen toxico vt eam insimulat Camdenus; suorum contra, scriptionem falsò *Sobriam* appellans; at si eò vsque insanierant sobrij; temulenti, & ebrij quid erant facturi? Ego plaùè tam fœda apud Ciarcum lego, & indigna, vt conuulsura sint cuiusvis stomachum, ad ea legenda animum applicantis. Verum enim vero astutissimus Camdenus inscribendis suorum & Catholicorum rebus. Opinor credidit, qui verum exquireret, compertúmque vulgaret, futurum neminem; nisi pro Ciarco, & Hanmero quis dicat, vbi Sacerdotum & Catholicorum innocentium mors, singulare prædicantium votum erat; illic maledicentiam effrontem & effrænam *Sobrietatis* nomen apud Camdenum promeritam.

Defendebat ergo Personius Campianum quòd audiri optasset de Religione dicens, au disputans, non confidentia ingenij, sed causæ; seque eidem cum illo optare, ac petere, descensúrúmque simul in arenam, sed hac lege, vt disputando res, non conuitiis ageretur, nec contumeliæ

pro argumentis redderentur, in hoc enim aiebat se cuilibet cedere. Quæ autem virtutes pro vitiis Societati obiiciebantur, etiam atque etiam viderent an suo absque dedecore facerent, quasi ex Euangelio non nossent à vitiis virtutes secernere. Opere absoluto (quod subsecuta est propugnatio doctrinæ) difficilem aleam, & discriminum plenam misit Personius in eo Londini edendo, & ore ac luce aduersariorum promulgando. Ad hoc adiutorem solertis industriæ nactus est Stephanum Brinxleum virum nobilem, & solidè pium; locum operi aptum, villam eiusdem suburbanam, & solitariam, opifices quàm multos voluit; sed peculiarem ante omnia Dei opem, quæ nisi præsentissima adfuisset, in pessum ruebant vniuersa. Interceptus est Brinxlei, seruulus cartam ferens quam Londini Typographis emerat, & eius quod erat suspicionem grauem mouit, sed Deo puerum roborante, secreti tenax dum torqueretur stetit, nec vllum præbuit vlteriori examini locum. Missa in publicum hac responsione, erubuêre seipsos aduersarij vehementer, & calumniarum absurdam falsitatem, quas aut simplicius creduli ab aliis hauserant, vel malignè ipsimet fabricarant. Superest videndum Campiani epistola, Oxonienssem Academiam quo sensu affecerit, quæ pridem absentis vinacem fouebat gratámque memoriam, exosi quidem Religionis causa, sed ob alias dotes eximias longè cariſſimi, candidæ præsertim consuetudinis insitam viro amabilitatem. Quin ex veteribus amicis vnus tametsi hæreticus conceptam semel retinebat eiusdem admirationem; cùm enim visendi gratia Romam adiisset, redeundi forte Campianus occurrerat Duaco Romam tendens vt Societati nomen daret, solus, pedes, mendicans, & mendici cultu, quare illum ægrè, curiosius tamen & inspectum, & integratum amicus agnouit, quanto lætior occursu fortuito, tanto illius egestate, & incommodis tristior, depromebátque illi viaticum, ad conficiendam commodiùs quæ restabat, partem itineris maximam; egit gratias beneficentiæ Campianus, sed nihil admisit præter eius memoriam in perpetuum seruandam, adiecit tamen repulsæ beneuolæ religiosam excusationem, nam si aliquid, ait, abs te admitterem, iacturam facerem illius paupertatis, quam in se Christus à præsepi ad crucem tàm honorificè consecrauit, cui par mundus nihil habet, nihil pretio, nihil diuitiis secundum. Exin tam nobili argumento sic instituit, vt amico excuteret lachrimas, & qui primum eius misertus fuerat, illi denique inuideret, narrarétque deinde millies amicis, cum magna semper virtutis illius commendatione, quam in Reformata Ecclesia pauci nossent, sequeretur nemo. Excibat multos Campiani existimatio & amor ex iunioribus Academiæ alumnis ad eum visendum; ex veteribus ad amicitiam instaurandam, vnum optimos quósque ex illa eius epistola desiderium incessit videndi aliquod eius opusculum de Religione, cùm nulla spes esset de illa publicè, vel disputantem audire, vel agentem. Quæ causa fuit Campiano libellum aureum scribendi rationum decem, de quibus postea.

Liceátne Catholicis Angliæ Protestantium adire templa? Pro neganti parte scribit Personius. Narrantur Joannis Nicolai perniciosæ fraudes; à Personio primum deprehensus, sua ipsius confessione conuincitur.

CAPVT XII.

POST cõfutatum Ciareum, & Hanmerum, Campiani & Societatis calumniatores, Personium grauior adegit necessitas propugnandæ fortiter veritatis, & subdubitantes Catholicos, in recto & tuto constabiliendi. Quærebatur, fas esset nec ne Catholicis, Protestantium templis, & sacris interesse; quod sæpe deinceps, nunquam sat prosperè refricatum, iuuat hic breuiter, sed penitiùs explicare.

Ac in illa quidem Eduardo Rege prima & funesta religionis, & regni ruina quam Seimerus cum suis impulit, lege fuerat sancitum ne quis Catholicus à Protestantium abesset sacris, qui tamen aberant, censura solum hæreticorum præsulum notabantur. Altera deinde fidei sanctæ clade, mulctam legi Elizabetha apposuit pecuniæ modicæ; Postremo nouis Parlamenti decretis mulcta creuit ad libras in mensem viginti fisco exsoluendas, hoc est nũmmos circiter octoginta. Quæ lex cùm exhauriret diuites, paupetes perderet coactos in carcere luere, quod deesset in ære, cœptum hinc ambigi, (& mulctæ grauitas, & conscientiæ ratio, argumenta vtrinque suggerebant) num Protestantium adire templa (præter quæ alia non erant) lectioni scripturæ, concionibus, psalmorum cantui sacríque cæteris liceret interesse, censeretúrque natura sua ita malum, vt non posset vel iuris excusatione in adiaphora reduci, aut mentis propriæ manifesta contestatione à crimine purgari, reuocaríque ad obedientiam ciuilem.

Primis quidem temporibus Reginæ obtemperabant Catholici, non magno religionis lædendæ scrupulo, mixtique Caluinistis, cum iis eadem actitabant; ast vbi constitit ab illa, quam ipsi nominabant, fidei occultatione, ad eam negandam complures defluere, suspecta fuit hæc occultatio, & votis communibus quæsitum crimen esset, an non, se lubrico credere in quo tam multi prorueranr. Commodum Patres Tridentinæ tunc Synodo aderant, quibus nullum posset oraculum certius, & augustius consuli; quod ij respondissent pro indubitato, & securitatis æternùm intrepidæ haberetur. Missa ergo Tridentum nobilitatis Catholicæ nomine

ad

ad insignem virum (Thomam aiunt fuisse Dalbiscir Londinensis quondam Episcopi nepotem, Cancellarium, Archidiaconum; nostræ demum Societatis religiosum) controuersiæ summa, suis vtrinque distincta capitibus. Vt à Patribus aut simul omnibus, aut quamplurimis posset, de illa pronunciaretur. Nostri enim, aiebant, Theologi, vel non satis perspectam habeant, vel non sat audeant, nec inter se consentiunt, nec extra se palam, & disertè loquuntur. In eius Examen incubuêre decem Patres, tantæ omnes auctoritatis, & doctrinæ, vt iure postea in Angliam scriptum sit, posse illorum sententiam, pro totius Concilij canone haberi. In iis duo fuêre Archiepiscopi, Episcopi totidem, & præter Payuam, & Forerum, aliósque Petrus Sotus è S. Dominici Ordine, & Iacobus Laynes Societatis IESV Præpositus, omnes Theologicæ doctrinæ fama in paucis celebres. Hi quæstionis propositæ seorsum singuli momenta, ex sacris Codicibus traditione Patrum, memoria temporum antiquæ Ecclesiæ moribus, ipsáque ratione, apud se accuratissimè librassent, post multos deinde inter se consessus in vtramque partem, pugnante nemine communi consensu statuerunt nefas esse Anglis Catholicis Protestantium templis sacrísque interesse. Quæ mox in Angliam responsio missa est, subiunctis ad eam præcipui ponderis argumentis. Quod quo anno sit gestum non parum interest animaduertere (nempe sexagesimo secundo post sesquimillesimum) ad reuincendum Cooxeum, professione causidicum & in iure consuetudinum apud Anglos tunc versatissimum, fanda nefanda, vera falsa impudentissimè aduersus Catholicos, & Iesuitas debacchantem. Negat is in illa, cui nomen fecit orationem de proditione mordacissima, & mendacissima inuectiua, religioni duxisse Catholicos Reformatorum templa frequentare, priusquam Pius V. solenni diplomate vetuisset Elizabethæ obedientiam præstari. Ex quo vult confici detrectantes adire hæreticorum templa Catholicos, legis reos fuisse quæ id imperabat; re autem & facto contestatos, se Papam pro rege in Anglia, & legislatore agnoscere. Atqui totis scriptor maledicus octo annis errauit, non animaduertit, Patres Concilij Pio IV. Pontifice Anglis respondisse de vitandis necessario hæreticorum mysteriis, & templis si verè esse Catholici vellent; diploma verò Pij V. octauo post anno Londini promulgatum.

Patrum decem tam certum, & rationibus nixum tam solidis responsum, fuit nihilominus qui tentauerit impugnare. Doctor Langdallus natione Anglus, tacito nomine tractatum edidit pro parte affirmante licere tuto Catholicis Caluinistarum cœtus frequentare; non esse id per se natura sua malum, & culpandum, posse igitur omnino salua conscientia vsurpari, & vero etiam iure tam stricto & necessario debere, quanta ex opposito sequebantur Catholicæ fidei detrimenta. Familiarum expilatio à Fisco ad vsque sanguinem emunctarum; extrema victus penuria, in suam & Sacerdotum sustentationem, quibus ad subsidium animi carere non poterant; in religionem, & in Catholicos crescens quotidie ar-

dentius odium, & insectatio, & contumaciæ accusatio, constantiæ meritum ex mera ignoratione ambientis. Ciuilem esse Parlamenti legem; omnino huic obtemperandum; habere si quidem ius quoddam in Catholicorum etiam corpora, quæ vellet, ac iuberet in Protestantium conuenire templa, cœterùm animo quam mallent religionem retinerent, Regina toties inculcante, *Vim conscientiæ inferri non debere.* Postremò si qua parendo inerat offensionis occasio, tolli eam abundè denuntiata professione violentæ obedientiæ, cui sensus inuiti commodabantur exterius, animo, & mente interius integris, & Catholicè illibatis.

Plausum tulit Landgalli sententia iusto latiorem, affectu nempe, iudiciis magno imperio dominante; facile credatur, quod verum aut falsum, quia vtile erat desiderabatur pro vero sanciri, & noua illi Ecclesiæ infligebatur plaga, nisi eam Personius accelerato remedio auertisset. Misit ergo in lucem pro contraria sententia tractatum, in eodem quo prius suburbano scriptum. Et longè aliis rationum momentis, & auctoritatum stabiliuit, maximè vero martyris Cypriani, qui Christianos Africæ dum alloqueretur, videbatur planè Catholicos Angliæ affatus, adeò vtrobique similis erat eorum causa. Discussit postmodum aduersarij nebulas, & exemplum inerme Naaman Syri cuius obsequium cum Regis personam cui famulabatur, vnicè spectaret, ciuile prorsus erat, longéque absimile ab religiosis operibus quæ Caluiniani in suis Ecclesiis à Catholicis exigebant. Distractus latissimè statim liber, fructuosissimè totum Regnum impleuit, visúsque est scribenti Deus digitum commodasse, planè illa quæ diximus millia quinquaginta Catholicorum Recusantium huic debentur, qui nullis machinis adigi potuere, vt cum Protestantibus psallerent. Atque hinc illa tùm istorum, tùm quorumdam subinde ex Catholicis Sacerdotum indignatio, & ira, qui opinione Landgalli refos. sa, ea in Personium, & Societatem scripsere, quæ præstat obliuione deleri, quàm animo repeti. Indignationem porrò, illa potissimum Regni Administris mouebat causa, quod Catholicis semel in Protestantium Ecclesias compulsis, vna fieret, & sola toto Regno Caluini Ecclesia, coalescentibus aliis in eam damnata simulatione; aliis ex praua hæretici erroris sententia. Quam puto fuisse palmarem & primariam causam arcendi Catholicos Caluinistarum Ecclesiis, à Francisco Toleto nondum Cardinali, Cardinalibus duobus Baronio, & Bellarmino, & Theologiæ Magistris octo, magno consensu approbatam; ac demum à Francisco Suare, quem, vt alij deessent, solum posse ratam, & certam facere nemo negauerit.

Missis ergo in præsentiarum, Patrum sanctorum argumentis, priuato cuiusque periculo, offensione aliena, & Christianorum veterum exemplis, ante omnia prospiciendum est, quid spectarit, quo collinearit lex illa imperans Protestantium & sacra, & templa Catholicis esse communia, eadem illic ab vtrisque Religionis officia peragi, cantari, adesse concionantibus, ritus denique omnes communiter obiri; nempe vt vna toto

Regno

Regno esset quàm Reformatæ nomine appellant Ecclesia. Eam vero duabus oportebat conflari ex partibus, altera Caluinum eiúsque doctrinam interiore animi firmóque assensu profitentium; altera exterius tantum, & sola rituum exhibitione simulata, quibus veri vtuntur Caluinistæ. Priores illos Forum exterius conuenire nequibat de Religione, vt quam haberent interiùs extra ius humanum & cognitionem repositam; secundos igitur suo iudicio, & cognitioni vindicauit, quorum Religio sensibus patebat hominum, erátque fucus tantùm, & falsus Caluinismi color. Hos ergo Parlamentum pro vsurpato sibi iure de Religione statuendi, lege lata obstrinxit ad ritus illos exercendos ex quibus aut esse agnoscantur, aut videantur Calviniſtæ; quare, vt verum sit, significationem quæ factis editur non esse tam arctè circumscriptam, vt est quæ verbis continetur, ex consensione populorum, definitè hoc, & non aliud significantibus; ex lege tamen & mente Parlamenti, facta illa muta, & ritus ancipites restringuntur ad significandam simulationem Caluinismi, & Ecclesiæ Reformatæ; quæ non est tantùm Catholici, occultatio simplex, & innocens; sed nuda hæretici, tametsi ficta professio, & quidem eo rerum articulo, qui iubet Catholicum manifestè quod gerit animo testari. Hinc illa contrarij contestata denunciatio patrando crimini non occurrit, sed denunciantis conscientiam inaniter ludit, dum agit reipsa, quod contestatur se nolle agere. Nec enim iubentur Catholici, animo esse Caluinistæ, cui malo tantùm contestatio illa cauet; sed iubentur solum videri Caluinistæ, & communione sacrorum Rituum assimilari Reformatis.

Non posse vero id in politicam obedientiam & ciuile obsequium referri, possum facile huius anni, multorúmque deinceps, & antea euentis probare. Sacerdotes possum, & laïcos edere, qui reipsa Catholici nomine; in speciem vero nominibus aliis, maiestatis læsæ addicti suppliciis; tantùm si vellent inducere animum ad adeundas Protestantium Ecclesias omni mox crimine & pœna soluebantur, cùm tamen nihil ambigeretur, quin mente Catholicum, & orthodoxum retinerent. Nempe illos Publici Ministros parum mouebat obedientia ciuilis, professionem Religionis poscebant extrinsecus, quam vnam eandêmque tota esse Anglia volebant. Sic, vt alios omittam, Campiano, Sceruuino, Briantio, Turris Præfectus Londinensis, hoc anno vitam, Reginæ gratiam, & commoditates honorificas largiter obtulit; tantùm si vellent Caluinistarum in templis se sistere. Quod cùm fortiter abnuissent, conclamata mox causa in furcas acti sunt.

Vt autem prisca Ecclesiæ sæcula, viderunt magno fortitudinis ostento, Christianos ad templa & idola trahi, manusque nudatis ossibus stillantes premere, ne quid thuris in eas iniecti excussisse in subiectos focos, & sacrificasse viderentur; sic in actis annorum quatuor supra quadraginta, quibus Anglicanam Ecclesiam afflixit Regina Elizabeth, sæpiùs legas Catholicos lictorum interdum humeris, in Protestantium portatos, & coniectos templa, pugnis interdum, calcibus, fustibus, protrusos; ali-

quando instar cadauerum raptatos, allisis ad saxa, & cruentatis capitibus hoc solum vt sua qualicumque in Caluini sacris præsentia, exuisse Catholicum viderentur, quam si libuisset sponte exhibere, nullæ inde repentè custodiæ, mulctæ, contributiones, addictiones bonorum nullæ; maiestatis offensæ, rebellij, coniurationum reus nemo, nulla demum cuiusquam aut sanguinolenta, aut molesta vexatio, nullo iam qui vexaretur existente, omnibus in vnam Ecclesiam, vnumque Caluinum conuenientibus. Quòd ergo iubens Parlamentum cœtus cum hæreticis habere communes, aliud non iuberet quam defectionem à vera fide aut profiteri, aut facere ob hoc illa Christi fortia pectora, bonis maluerunt, vitáque excidere, quàm iubenti parere, quorum mentem Deus inusitatis quoque gratiæ suæ firmauit præsidiis, in vicinis enim Scotiæ tractibus Comes nouus & ferus, cùm ad Protestantium conuentus Catholicos, saltem semel, terroribus sæuis adigeret; denuntiauêre maritis vxores, quo die illuc pedem intulissent, se in perpetuum domo exituras; toto passim regno adolescentuli, parentum amantissimorum, & diuitum filij, maluêre per vltroneà vagi exilia rogato victitare, quàm Obedientiæ impiæ sacrilegio fœdari, tanto domus paternæ longinquitate magis læti, quanto magis semoti à periculo exempli domestici, cuius ne esset ambiguum scelus, horrendis subinde Deus suppliciis vltus est. Ingressus Catholicus hæreticorum templum, igne se sensit acerrimo corripi, vríque tamdiu, dum illinc multis cum lachrimis, & pœnitudine sese proriperet. Alij cùm primùm pedem illuc tulissent elati sunt mortui, occulta Dei, & improuisa occisi manu: multos dabo qui domi Sacerdotes alebant à quibus in Dei & Ecclesiæ gratiam, acturi animam restituerentur; cœtus vero interea Protestantium frequentabant vt sua sibi conseruarent intacta bona; confessione tamen sacra in extremis miseri caruerunt.

Sed hæc de controuersia grauissimi ponderis plus satis, quam præteriissem, nisi Societatis res haberet admixtas, à qua primùm Personij opera, deinde nostrorum, propugnata est semper animosè, palámque innotuit, quo icti sint oëstro, qui suggerentibus Ministris regiis nisi sunt illam denuo impugnare, & persuadere Catholicis, posse Caluinistarum cœtus, nullo conscientiæ periculo adiri, Societatem vero, & Personium à parte stantes contraria, & certa, mordaciissimis scriptis conscíderunt. Sed enim, Deo laus, palam tandem est factum, vtra esset pia, vel sacrilega pars; vtrum Societas tàm pertinaci maledicentia, iure an iniuria læsa sit, in eius enim sententiam decreuit Paulus V. solenni diplomate ad Catholicos Angliæ transmisso, cuius tam clara sunt, & expressa verba, vt nullam admittant cauillationem. *Zelo, inquit, pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel eum ipsis in ritibus communicetis, ne in Dei iram incurratis; non enim licet vobis hæc facere, sine detrimento diuini cultus, & vestræ salutis.* Minoris quidem negotij fuit, sed tamen perneceſſarij, tertius ibidem

editus

editus à Personio liber, ad auertendam cladem quam religioni, & Catholicis scelerosus apostata inferebat, si tamen vel hoc nomine dignus est, qui nunquam fuerat verè Catholicus. Londinum rediit hoc anno Ioannes quidam Nicolaus Vvallus, ex Seminario Anglorum Roma pulsus, cultu vilis, annorum viginti quatuor, Papista (fatetur ipsemet) simulatus; animo ad mortem Protestans hæreticus; moribus quales ad Alanum scribens suo stylo depingit. *Negant multi*, ait, *esse me vllius fidei, aut Religionis, & fateor, si meis ex moribus indicium ferant, vera eos loqui.* Laurentius item nescio quis cognomento Caddeus, familiariter cum eo diu versatus, *nullam ait orbe toto matrem, Ioanne Nicolao monstrum edidisse immanius, fœditate morum, & malignitate.* Ingressus Londinum candidus, & innocens iuuenis, absque mora quærere in aula qui posset plurimum, & esset Catholicis maximè infensus, & ad emenda mendacia cuiuscumque momenti prodigus; nominatus illi Odouuenus Optonus, Londinensis Turris Castellanus; virum adit ea ipsa nocte, séque ac suam quantacumque valeret operam prolixè illi defert in perniciem rei Catholicæ; mentitur se illi Iesuitam; concionatorem, at qualem? Cardinalium scilicet & Papæ; Philosophum, & Theologum minimè triuialem; Græcè, Hebraïcè, Syriacè, Chaldaïcè, & quid non? egregiè doctum, pluráque de illo iactabat Optonus velut ingenij portento ne annorum ætas viginti quatuor tantæ literaturæ fidem detraheret, eò hæc omnia spectabant vt Catholicum nomen deprimeret, Caluinismi attolleret gloriam, quem prætulisset Catholico vir tantus. Librum igitur in Typos, & in Regni totius publicam lucem dedit, de suo ad castra Caluini transitu, hoc est de fidei quam nunquam tenuerat desertione scelerata. Tumere hoc libro Prædicantes, recitare illum ex pulpitis, demirari, ornare interpretamentis loca quibus identidem in confirmationem Caluinismi eum insperserat, à Stubbeo (vt postea fassus est) eius sectæ Magistro tradita; quin & eiusdem farinæ doctor Vvilkinsonus locupletauit illum adiectis marginibus, nihil tamen adeo famæ ac laudibus librum commendauit vt abominanda Patris sanctissimi Gregorij XIII. & sacri Cardinalium Senatus, dilaceratio; Iesuitarum priuatim, & simul ordinum Religiosorum. Catholicorum autem & famam, & vitam quibus posset damnis vt cruentaret, & perderet, dedit in scriptis Optono sigillatim nomina, lineamenta oris. Staturam corporum & indicia cætera, quibus iuuenes Anglos Seminarij Romani agnosceret; condictum illic se præsente in Reginæ caput; Dudleii Comitis, Cecilij, & Vvalsingani, iuratus affirmauit. Aduersus Sacerdotes ob Religionem in carcere positos, pro testimonio, quæcumque libuit Optono, asseruit, vt longè alia quam Religionis crimina luisse viderentur: sanguinolenti calumniatoris criminatione viri duodecim insontes necati sunt, quorum pars Sacerdotum erat, Reginam quin etiam Mariam Stuard, & viros cum illa nobilitate præcipuos iisdem rebellionibus, & proditionibus implicuit, quas postea fassus est à se vno confictas. Resumpto deinc stylo quo vulgò placebat, & inurenda multis infamia clarebat, prelo subiecit concionem quam à se iactabat coram

Papa, & Cardinalibus habitam; de rebus ferè Romani Anglorum Collegij; de quo illa solum garriebat quæ norat Ministros regios gaudere à populo credi; spem quoque fecit propediem excudendi tertij operis, quo prosequeretur sui itineris seriem, & de curia Romana, & religiosis familiis mira quædam cantaret.

Paranti talia sycophantæ manus truncauit Personius, ne posset cuiuis in posterum, vel scripto vel facto nocere. Librum scripsit cui nomen, *Ioannes Nicolaus deprehensus*, quo illum ipsimet tàm graphicè, & cuiuis alteri, ad natiuam pessimi hominis speciem, detracta larua exhibebat, vt inficiari se non posset homuncionem vilem, & ignarum; orthodoxum nunquam, Iesuitam, Theologum, Papæ concionatorem nunquam; nullis tritum & expolitum linguis, nisi maledica, mendaci, & calumniatrice, qua summum Pontificem, cum Cardinalibus, Societatem cum religiosis Ordinibus impudentissimè, sacrilegus nebulo laniarat. Videns se sibi obiici, & talem sentiens qualis sibi obiiciebatur, animo concidit, diráque omnia audaciæ suæ stolidæ imprecatus, quæcumque dixerat indicta voluit, sed frustra, & inani scriptorum retractatione. Conscientiæ igitur cruciatu amens, & desperabundus statuit eò longè ire, vbi eum mortalium nosset nemo, & venalem illic exponeret animam, cuius pretio corpus impurum aleret, ad Turcas inquam profugere, & Mahometo nomen dare. Ad hoc illum agebant Optoni spes cassæ; & Episcopi cuiusdam promissa euanida, qui expiscati ex eo quæcumque optarant, detestabantur proditorem, cuius proditionem adamarant. Valuit quoque ad extrahendum illum ex Anglia pietas Laurentij Caddei (desertoris primùm ex teneritate in parentes, deinde pœnitentis) qui tot innocentium sanguine inhorrescens quem sceleſtissimi hominis conflictæ criminationes pergebant fundere, comitem se illi ad fugam obtulit. Peruectus cum eo Rhotomagum confessionem iuridicam scelerum & calumniarum persuasit, quæ legitur edita cum eius ad Doctorem Alanum, argumenti eiusdem literis. Rhotomagi ergo pro tribunalibus sacro, & ciuili, professus est ambitu quærendi nominis, promissis Episcopi, & Optoni minis ad mendaces edactum scriptorum & accusationum calumnias in vitam Sacerdotum, & Catholicorum; in Papam & Scotiæ Reginam; in Cardinales, & Religiosos. Hæc ille fusius, quorum vulgata sunt acta iuridica quæ integrandæ bonorum famæ cauerent in posterum, & clarè docerent, qua veri, tunc & iusti regula contra Catholicos, & religionem ageretur.

Hæresis desperata, frons libri à Campiano concepti; mutati mox in libellum decem Rationum; huius æstimatores, & iudices; editur, & magno Senatus Londinensis dolore Oxonij vulgatur. Capitur Briantus, & inuicto animi robore in tormentis durat.

CAPVT XIII.

DVM singulari compendio rei Catholicæ Londini Personius, ministerium suum, & stylum exerit, Campianus in tractu boreali præter solitum suum in quæstu animarum assiduitatem coactus est adiicere animum ad scribendum, & mente pridem concepto operi frontem præfigere *Hæresis desperata*, quàm aptè vero, & appositè tempori, quo regnabat victrix, & leges dictabat proborum sanguine scribendas. Bonorum spoliatione, infamia, vinculis, mortibus, & ingenioſi furoris carnificina multiplici sanciandas; per se res ipsa loquebatur, cùm enim hæresis ratio & natura, tota sit credere, assentiri, propugnare quod lubet disputando, persuadendo, argumentis vincendo, vbi hæc animi quibus continetur præsidia reiicit, formidat, non sustinet, excludit penitus; desperauit, haud absimilis tyrannis quibus iura regnandi cùm desint, in ferro ius ponunt, & stricto gladio subactos populos imperio premunt, tamdiu sibi subiectos, quamdiu pauentes. Opperiebatur Campianus particulam aliquam vacui temporis qua librum illum quem parturiebat depromeret, cùm illi venêre in manus Philippici vomitus quibus Hanmerus, & Ciarcus Societatem fœdauerant, non quod magnopere de iis laboraret, cùm esset euidens, sicut dæmonem in arreptitiis, ita rabiem in iis loqui nulla planè prætextam ratione; sed quia sanctam quam erat professus Catholici dogmatis publicè tuendi fiduciam, temeritatis, & arrogantiæ damnabant; nec Personius nisi leuidense obitérque id refutauerat; ipse plenius parabat exequi, & demonstrare de veritatis Catholicæ firmitate immobili, & æterna confidentiam illam aptam esse. Sic fore vt satis eadem opera faceret Academiæ vtrique, aliquam eius de religione lucubrationem expetenti. Probauit Personius eius mentem; horis ipse exinde succisiuis rationes collegit decem ex quibus illam fiduciam hauserat, quam aduersarij arrogantiæ tribuebant, quarum perpetua meditatione, probandi vim ineluctabilem, sic perspexerat penitus, ex quo iam in

Bohemia egerat, gerebátque animo comprehensam, vt Academicos, ingeniorum florem ad quos illa mittebat, sic modestè simul, magnificéque affaretur. Si nixus ingenio, literis, lectione, si memoria, & arte, non essem veritus prouocare doctissimum aduersariorum, essem, fateor, vanissimus hominum, & intolerantissimè superbus, aliorum & mei putidè ignarus; at si causa diu meditatóque introspecta, tanti me ratus sum, vt possem probare, lucere solem de medio die, dabitis hanc audaciæ veniam, in quam Christi Iesu Regis mei honor, & veritatis insuperabilis gloria me induxit. Sic præfatus subdit rationes decem, siue vt appellat scaturigines ac fontes, probationum, & argumentorum quæ demonstratiuis assertionibus, ost ensura sint niti Religionem Catholicam doctrina euidenter credibili; vnam esse, & solam; instituti cuiusvis reliquas plus minus à vero & recto aberrare, quo ab Catholica longius abessent, aut propius.

Non debuit quidem in maius volumen, hoc opus digeri, eò enim tendebat vt principia panderet auctoritatum, & argumentorum, quibus partis aduersæ origo notitia, & fallacia expugnatur, at qui pretio ponderis, & efficaciæ, non mole libellum metiuntur, æquare quibusvis aliis argumenti eiusdem non dubitant, laudant, legúntque cum peculiari animi, & ingenij voluptate, nec satis liquido statuunt sítne oblectando comprior, an conuincendo robustior. Celebre est à Marcantonio Moreto eius encomium, viro superioris seculi literatissimo, & limatissimæ, ac difficillimæ censuræ. Librum legit, probauit, miratus est, & primam illius paginam sua manu grandi charactere hac epigraphe decorauit, *Libellus aureus, verè digito Dei scriptus.* Camdenus diuersè, (carpendo, quod laudat, mirabilis;) comptulum vocauit, & elegantulum, quasi tota hæc esset libelli gloria, venustatis laude virtutem eius emasculans; vnde illum postea muliebrem magis quam virilem appellat. Sed enim quid illi neruorum inesset, Vvitacherus sensit, dum maiori conatu quàm laude illum impugnauit; sensêre ministelli, qui eius conuicti efficacitate, in diuerticula, sarcasmos, & acerbitates satyricas, necessitatem respondendi libenter commutarunt, quibus cum cernerent cordentissimos quosque indignari, ne viderentur stultè ineptire, si putassent libello satisfactum venenatis dumtaxat salibus, obmutuêre illi quidem; sed in quanto peiora, malignitatem artésque verterint audiamus ex Spondano, quem data opera ex multis seligo qui de re notissima suisque tunc oculis obiecta possint hodiéque nonnulli superstites dicere. Prædicantes, inquit, Campiani opusculo doctrinæ suæ auctoritatem prosterni dum vident, nec sat illi pannosis, dissipatísque iocorum garrulitatibus occurri quas in librum vnum compegerunt; Ministros regios adiêre, vt religionis negotium cui obstare doctrina non valebant in status publici causam forúmque traducerent, vbi criminando, & calumniando nihil non possent; pergítque narrare hinc natam fabulam de Papa, Rege Catholico & magno Etruriæ Duce in Elizabethæ vitam regnúmque coniuratis, destinatísque ad hoc in Angliam emissariis Campiano & Personio (quod pronis exceptum auribus quas tragœdias dederit, sequetur inferius)

inferius) sed eò Angliæ Prædicantes, adegit amentiæ, libellus decem rationum quibus satisfacere nequibant; tametsi Reginæ historicus, nihil quod argueret in eo reperisset præter venustatem nimium exquisitam.

Longè ab hoc diuersus, qui diu post Petri Soauij Polani historiam Latinè Londini edidit, duobus ad se locupletàtam iudiciis, quorum altero nihil potest ad Tridentini consessus dignitatem excogitari præstantius; altero in eius dedecus nihil probrosius, & sceleratius; nempe ad hoc secundum, mutuum sumpserat, pestilens quoddam scriptum Dudithij, Quinquecclesiarum deinde Episcopi, dementer irati, quod laïcis calicem, vxores Presbyteris non obtinuisset. Pro priori particulam refert quartæ, inter decem, Campiani rationis vbi de Synodo Tridentino, *quò magis*, inquit, *inueteraſcet & eò magis in dies, eóque perennius efflorescet. Bone Deus! quæ gentium flores Academici, quæ linguæ, quanta varietas, qui dilectus Episcoporum totius orbis, qui Regum, & Rerumpublicarum splendor, quæ medulla Theologorum, quæ sanctitas, quæ lachrimæ, quæ ieiunia, qui subtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quantæ virtutum & studiorum diuitiæ, augustum illud sacrarium impleuerunt!* Furtiuis de solito erga Catholicos labore otij momentis, absolutum opusculum, ad Personium mittit Campianus, rogans ab eo liberè censeri, corrigi, ac si nihil conducibilius occurrisset; etiam igni emendari. Personio visi sunt auctorum textus auctoribus necessario addi oportere quibus prætexebantur libelli margines, ne si quis parùm genuinè veréque auctori respondentem, aduersarij nacti essent hærerent in eo tanquam ad scopulum; & ex eo cætera omnia criminarentur mendacij, & fraudulentiæ. Londinum itaque se conferret, vbi copia librorum abundaret, quorum auctoritatibus nitebatur; verum extra regiam diuerticula ne captaret, sed hospitiis publicis vteretur, quæ frequens vltro citróque commeatus, minus suspecta facere t, minúsque obseruata. Præterquam quod erat Campiani tam amabilis aspectus, & genius vt effusius ad illum, Catholici currerent, essétque miraculo ad tam incautam eorum lætitiam tot exploratores, & tot ocultos cæcutire.

Lancastro profectus post diem Paschæ ritè diuinis mysteriis cum Catholicis celebratum, sub initium Aprilis Londinum peruenit; auctorum vero quos ipse citasset, repræsentare aduersariis concepta verba, etsi opus non erat, vt quæ ipsismet legisset olim, notatáque haberet ex fontibus, morem tamen gessit Personio, & suis singula auctoribus singulis reddidit, vsus ad hoc Thoma Fitzherberto nobili iuuene, recens vxorato, dein pro fide vincto, exule, Romæ Sacerdote, Societatis nostræ Religioso, Anglicani demum Collegij Rectore, cui securè tunc omnes & honorificè, patebant librariæ. Campianus interea per diem vix à Catholicis se expediebat; sub noctem illuc trahebatur quo multæ ad eum de Deo, & animi rebus audiendum conueniebant familiæ, quod tàm sollicitum habebat Personium vt de illius comprehensione, in horas nuntium expectaret, festinarétque hoc diligentiùs præclarum eius opus prelo subiicere; res oppidò lubrica, & multò quàm ante periculosior, quod in Personij apologetico in Ciarcum, & in *Deprehensa Nicolao*, Calcographiæ Londinensis depre-

hensum fuisset prelum, & acrioribus edictionibus, à furtiuis huiusmodi typis grauibus pœnis absterritum. Verum enim verò plus valuit quà nummus, quà pietas, pœnæ metu; nec artifices ad opus, nec quicquam aliud defuit: locum Stonaria, nobilis matrona cõmodauit, quo nullus potuit vel tutior diligi vel opportunior, paratium suum media in sylua milliaribus Londino viginti Tamisi haud procul imminens, priusquam tamen illuc se abderent, dies agere Londini duodecim expiandis confessione mutua peccatis, votorum instauratione colligendis animi viribus (quas auxêre non parum Aquauiuæ Præpositi suauissimæ literæ) incerta denique nouorum Patrum expectatione, quos sperabant in horas ad fore. Hinc se Campianus in domum Stonariæ subducit cum F. Emerſono & Catholico nobili, qui editioni properandæ cura, & industria præesset, dum iuuandis animis instabat Campianus.

Hæsit Londini Personius ad diem Aprilis vicesimum sextum, bona cum venia scriptoris qui menses duos & dies viginti, réque in iis actas stipauit in vnam hebdomadam, quod elucidandum hic esset fusius, nisi lectorem tæderet vt plurimum Chronologica minuta numerare.

Diebus ex quo Personius Londino excurrerat duobus in villam Catholici vicinam, armata lictorum familia Nortonus, nocte intempesta, longo ambitu locum cingit, cuius illi iudicium fecerat flagitiosus explorator; ipse rectà effractis foribus in cubiculum irrumpit, quod ad Tamisis ripam in ædibus Bibliopolæ hæretici Personius legerat tanquam minus suspectis ad excipiendos qui ad se ventitabant, nihilque propiùs abfuit quam vt à Nortono teneretur, vnis licet illum perueſtigante coniecturis, quem cum sacris ex rebus in cubiculo inuentis eius esse incolam comperisset, bilem scilicet totam, & diras euomuit. Cruces, imagines, icones, precatorias coronas, libros, & fasciculum scriptorum velut corpus delicti, consignandum fisco, conuasauit, suspicatúsque haud temerè latere in vicinia Sacerdotem, ipsúmque fortassis Personium, ædes fortuito proximas ingressus Alexandrum Briantium reperit, Personij penitus conscium, & sanctimoniæ studio; intimóque amore in Societatem intimè amicum. Prodidit Sacerdotem calix, quem dum rimatur omnia Nortonus; deprehendit; eius pecuniam, & supellectilem reliquam velut damnati iam ex calice hominis asportauit, arctéque ferro vinctum custodia clausit quam Counterum vocant. Fuit hic vnus ex duobus quos ad supplicium comites habuit Campianus; (socium prius, & fratrem in carcere, votorum nuncupatione quibus Societati se se cum eo illic adiunxerat) non obscura sanè diuini roboris, & lætitiæ approbatione, dum enim fame, sitíque ad mortem; post fixis sub vngues aculeis, iterato denique sæpius torqueretur, vrgeretúrque equuleo, vt inueniendi Personij iudicium faceret; non facio, inquit, tametsi non ignoro. Vidi hominem, & cum eo vixi; de me hoc solum habetote; ac me quidem vt lubet pessimè laniate, nihil estis vlterius expressuri; stetítque in illo constantiæ gradu tam fortiter,

titer, vt inhorrescerent ad acerbitatem cruciatuum tortores ipsi, præsertim cùm esset annorum duode-triginta, & habitu corporis maximè delicato. Dum seruat Londini Personium Deus; editioni Decem Rationum finem imponit Campianus deproperátque illas celerius spargere vbi norat cupidius expeti. Fuit eius proposito mos commissionum annuarum ad quas Oxonium, ingeniorum flos, nobilitatis & curiosorum sub diem Apostolis Petro, & Paulo sacrum vndique solent confluere, spectaturi, spectandi, suffragaturi certantibus ad gradus, magisteria, laureas, pulpita cœteráque præmia meritorum, vtraque in Academia obtinenda, suo enim vtraque triduo pari maiestate, & regni concursu, sui experimentum præbet, & multitudini tantæ spectacula in templi alicuius capaci parat basilica, pegmatis vndique præcincta. Sub Oxonienſis igitur conflictus initia, Guillelmo Harleo, fido & industrio Sacerdoti Campianus, exemplaria libri sui tradit quadringenta, latè quaquauersum per Collegia sedecim, aulas octo, theatra, sedilia, ipsáſque adeo Prædicantium ædes seminanda, (cuius deindè officij meritum & præmium tulit ærumnosissimum Londini carcerem) ad solennis tridui, dies primus, & adest Harleus quasi vnus è spectatoribus, obseruaturus ad rem nouam, miréque inopinam singulorum iudicia, & vultus; cernítque suo cum incomparabili gaudio vniuersos, missa propemodum, eruditæ ad quam conuenerant pugnæ cura, mussare, quærere, proferre inuentum casu librum, lectitare subinde, & varios post lecta colores vultu dare; foris quoque per vrbem, omnes ferè in laudem auctoris, & operis conspirare.

His lætus nuntiis Harleus Campiannm tùm quidem magnoperè recreauit, sed paucis hinc diebus, venêre ex aula literæ, quæ certo confirmarent, editionem libri, multóque magis promulgationem totius in Angliæ concursu tam celebri factam, siniſtris opinionibus à Regina eiusque consiliariis acceptam, vt quæ rectà spectaret ad reuocandos ab hæresi populos, seu quod ipsi interpretabantur ad eos Reginæ obsequio subductos, Papæ arbitriis, & obedientiæ addicendos. Quòd autem pergerent Campiano liberum negare commeatum vt audiretur publicè de Religione ex rationibus illis decem suis, totus inde illorum incubuit labor in illius comprehensionem, & dici non potest quam iis doleret, quantum illos puderet, domi habere inimicum, nec posse vllis artibus inuenire; quod exprobrare Magistratibus potiùs quàm ipsi Campiano visus est Declamator qui Regina coram, in consessu publici conuentus, *circumuolitantem & liberè vagantem Iesuitam*, vocauit. Tàm porrò fidele conſciorum illius silentium; tanta illum apud se seruantium cautio, cum edictis haud pridem repetitis aduersarentur maiorem in modum, incruduere in illos Reginæ odia, eiusque Ministrorum, & ab hac libri euulgatione, instaurarus est ardor impatientior inuestigandi Campiani, & Catholicorum oppressio. Quò spectat illud ad Præpositum Aquauiuam, breui illo quatuordecim dierum spatio

quod post emissas in vulgus rationes adhuc liber transegit, vbi dolens suas intercidisse ad eum literas, & conditionem temporum pessimam deplorans, quibus non poterant scitu dignissima epistolarum fidei absque periculo consignari; nunquam ait, antehac sæuius debacchata est aduersariorum crudelitas; sed nec res Catholica melius, vel tutius habuit; nec enim aliis premitur argumentis, quàm equuleo compede, fame, opprobriis, quo pugnæ genere multum depressa est, & dedecorata aduersariorum. Dignitas, regníque totius oculi, & fauor in Catholicos deflexere.



LIBER III.

LIBER TERTIVS.

Improbitas Georgij Eliotti qui se daturum in carcerem Campianum spopondit. Campianus Catholicorum pietate nimium expetitus, simplicitate F. Emersoni parum custoditus, illuc subit, vbi ab Eliotto inuenitur. Digressio in artem latebrarum quibus Catholici suos occultabant Sacerdotes. Multas horas in iis frustra quæritur Campianus.

CAPVT PRIMVM.

APPETEBAT iam finis Campiano Apostolici muneris, & anni, cuius illi Deus inducias dederat, cum iniecto primum in Angliam pede statim captus, mox liber euaserat; quanquam eius cita sed generosa mors multò plus valuit ad fidei gloriam, vtilitatésque Catholicorum solidas & constantes, quàm vitæ longioris legitima spatia valuissent. Continuo ille peculiari Dei ope exibat discrimina in quæ tùm nimius erga ipsum Catholicorum amor, & concursus ad eum apertior; tùm suimet pudor inducbant, si videretur in sui custodia, iisque iuuandis timidior, quàm essent in quærenda ope is, cui solum ferendæ illuc aduenerat: indagatorum præterea qui omnes eius seruabant aditus multitudo, & vigilantia toto erat regno tam celebris, vt quasi res acta, quod esset ineuitabilis, eius vndequaque captio scriberetur. Imo ipsemet iam tùm cum illuc appulit, lego, aiebat, literas, quarum est prima frons *Campianus captus* & hoc mihi toties cantari audio, vt metum mihi exemerit assuetudo metuendi] rumor quidem eius intercepti subinde increbescens securiorem faciebat, quærebatúrque tam incuriosè vt in via occurrens, suspicionem sui nullam daret, quòd teneri iam carcere putaretur. Hunc eius prehendendi ardorem qui Reginam eiúsque Ministros diu malè vrebat, sceleroſus apostata expleuit spondens fore intra paucos dies vt iis Campianum tam vana quàm longa quæsitum indagine, traderet.

Erat is Georgius Eliottus ; conditione infra mediocrem ; Guillelmi Peri viduæ famulus ; deinc Thomæ Ropperi, Cancellarij sancti Thomæ Morí nepotis ; Religione, quæcumque in commodum faceret, vita in speciem non mala, verùm in speciem habent huius summam virtutum, acta iudica Ioannis Paynij Sacerdotis quem calumniosis criminibus morti prodidit innocentem. Hæc sua hũic monstro obiiciunt probra vt reiiceretur pro inteſtabili, furta ; latrocinia ; turpitudines impudiciſſimas ; adulteratos contractus, aut periurio deluſos ; inuelatam dominæ olim ſuæ, viduæ Petri pecuniam ; religionem ſæpius commutatam ; & contumaciam capitalem in homicidio viatoris quod illi crimen attribuebatur ; addunt alij puellam nobilem ab eo corruptam, & ex Ropperi domo raptam, cui cùm Paynius reconciliare ipſum nollet, multò minus illi raptæ nuptias procurare, vindicta furentem, impoſuiſſe Paynio ſocietatem coniurationis in Reginæ caput. Silent id quidem Paynij excepta quibus infamem, & inteſtabilem illum probat. Sed torquebat Eliottum horror neceſſitatis imminentis qua cogendus erat purgare inditia homicidij perpetrati ; quæ ſi negare obſtinaſſet, ſubdendus erat tormentis immanibus ; ſi admiſiſſet, laqueo addicendus hic illum pœnæ metus, conſiliarius peſſimus, in crimen impulit multò atrocius quàm cuius fugiebat pœnam. Vt ergo vafritiem hominis in pauca conferam, Valſinganum ſolus ſub ſerum diei conuenit, Catholicis, ſi quis alius inimiciſſimum, & Reginæ Scribam ; ſpondet ſe illi Campianum intra dies non multos certò certius traditurum ; & futuri pignus Sacerdotem Papiſtam, in præſentiarum interea ſe dare, & ipſum proditorem conſcium ſaltem, aut forte artificem coniurationis, quod erat poſtmodum probaturus, (nominauítque illi amicum veterem, ſibíque beneficum Ioannem Paynium virum ſanctum) nec fore hic totum promiſſæ operæ pretium ; tenere ſi quidem ſe in numerato domos omnes quibus Sacerdotes ſoliti eſſent ſe abdere, latebráſque illarum noſſe, quibus omnem fallebant exploratorum ſolertiam, comprehendendos ſimul omnes vna & facili opera præbiturum, nec linguam fefellit ſceleratam mens ſceleratior, Sacerdotes decem qua eius indicio apertè capti, qua perfidè proditi, carcere clauſi ſunt. Huius porrò ſe haudquaquam ſpernendi ad bonum publicum, & Reginæ ſalutem officij præmium aliud non ambire, præter innocentiæ, honoris, & vitæ defenſionem iuſtam à calúmnioſis accuſatoribus à quibus in crimen homicidij vocabatur. Cuius ſceleris vmbram leuem, per quicquid vbique ſanctum ſacrúmque eſt negabat ſibi vnquam in mentem veniſſe. Clandeſtinum hoc apoſtatæ perfidi cum Vvalſingano commercium ad decimum tertium Iulij, ſecutus eſt illa ipſa nocte Ioannis Paynij quem illi prodidit iniuſtus carcer ; accepítque viciſſim ab eo ſecuritatem capitis in præſens, cognitione cædis perpetratæ, tribunalibus omnibus adempta ; in futurum promiſſa, & animos, & Regias literas, quibus delegatam illi poteſtatem indagandi, & comprehendendi Catholicos, ipſúmque nominatim Campianum Ieſuitam, & tutò Londinum traducendi, iubebantur omnes vbique Præfecti, & tribunalia

ſuo

suo imperio, armis, & viribus fulcire. His impietatis sacrilegæ munitus præsidiis Georgius Eliottus, prima luce illuc se proripit vbi malus scelesto genius suggerebat inuentum iri Campianum, vt celeritate prius incautum opprimeret, quàm à Catholicis extra vrbem ex captione Paynij vulgaretur desertor, & proditor. Dum ergo properat, sic Deo placitum, eò appellit Campianus, quo, incertus planè Campiani, currebat Eliottus.

Post lectam Oxonij decem Rationum lucubrationem vsque eò creuêre, quod iam attigimus, indagatorum improbitas quærendo, & perueſtigando, vt consulturus Campiano Personius in Stonariam syluam aduolaret, amouerétque illum procul vbi posset delitescere securus. Multæ illum vrbes, multi poscebant Catholici, quibus pariter eius vita, & animæ suæ cordi erat salus; Prouinciam optauit Horsolciam, peninsularem, à mediterraneis semoram longius, & parum frequentem; prius tamen liceret in Lancastriam recurrere ad supellectilem altaris colligendam, & caras scriptorum sarcinulas, quod ei Personius annuit ea lege quam venienti præscripserat, vt via regia iter conficeret, pernoctaret autem in hospitiis publicis. Inde aliquot diebus, vndecimo Iulij equis sub primam auroram conscensis proficiscuntur è Stonariæ domo, póstque non multum itineris Campianus & Emorsonus Lancastriam versus; Cantuariam, & Londinum Personius diuelluntur, ea teneritudine animi, velut hanc fore diuinarent postremam inter se salutationem. Atque hic rursum Campiano inculcat Personius, ne cuius Catholici precibus moram vllam eundo condonaret, sed receptis è Lancastria quæ volebat, recta in lectam Prouinciam se conferret. Hæc à Personio mandata capessenti, venit in mentem Lyfordij dinasta, ex gente Yates, pro fide carceri mancipatus à quo rogatus enixè fuerat vt matri viduæ ne grauaretur quam posset consolationem adhibere, & octo virginibus Deo sacris, quas illa domi propter Deum alebat. Dilatas ab se dum licuit, & excusatas preces, quantumuis crebras, nunc prætereunti radices Lyfordij, petiuit sibíne fas foret aliquot passibus illuc diuertere, vt Christi confessorem tam nobilem expetito tam diu in matrem officio recrearet. Acerbè sapuit Personio hæc moræ petitio, concessu periculosa, negatu inhumana; tutò tamen negare maluit quàm periculosè annuere, tantillum id enim inquiebat quod petunt Catholici, tantillo nunquam sat clauditur; & quantumcumque protendatur, tantillo breuius reputant, facítque malignitas temporum, vt nimio longiùs parum quoque censeri debeat; in domo potissimum quæ incolarum numero, & sanctimonia, exploratorum oculos vltro aduerteret. Dictis vtrinque multis Campiano assensit tandem Personius Lyfordium sub meridiem adiret, die proximè sequenti sub meridiem exiret; nec tempus, & operam aliis finibus dispensaret, sed hac in re totus ex Emersoni penderet nutu, cui semel & iterum iniunxit, vt quam caram habebat Campiani vitam, tàm esset in huius mandati sui obseruatione accuratus. Promisit Emersonus, & promissi fidem malè custoditam toto vitæ suæ tempore mœrens luxit. Personium quoque pœnituit grauiter,

quod viri tanti caput, tàm imbecillo custodi credidisset. Distat Oxonio milliaribus octo Lyfordium Londino quinquaginta; Ocko fluuio Barkensis comitatus ad latus iacet, in muro cingitur, & fossis quæ subductario iunguntu. ponte; hanc ruri, pro more Anglorum nobilium, munitionem incolebant toparchæ Yatesij. Octo quas dixi Virgines de iis erant quæ S. Brigidæ nomini & instituto sacræ vitam in cœnobio tamdiu egere, dum illas Regina Virgo Elizabeth, Ecclesiæ caput Anglicanæ trans mare in Belgium extrusit; vnde aliquot post annis, armata hæresi grassante reiectæ in Angliam, à Regina cuius tantopere laudata est pietas, & celebrata clementia, monasterij vice exceptæ sunt carcere, creditáque hominibus illarum custodia, quales par est esse Caluinistas, & carcerarios curatores: importunis tandem & diuturnis Catholicorum nobilium precibus earum vitam Regina cùm donasset, alendas de cœtero domi acceperunt, ex quibus octo Lyfordij toparchis pro sua pietate obtigerant, seorsum illic à familia sibi solis, & Deo viuebant, sub cura piorum Sacerdotum Thomæ Fordij pro Christo postmodum necati, & Ioannis Colingtoni eadem pro causa exulis; sub exemplo, & ductu senioris Yates quæ se illis matrem beneuolentia, pietate magistram exhibebat.

Quàm desideratus, tàm improuisus illic Campianus familiam omnem effusis impleuit lætitiis, nisi eas arctasset diei breuitas quam denuntiauit sibi ægrè concessam, paucillum id tamen quod absque periculo dabatur æquo animo admisere. Omnes audiuit confitentes, sacrificio diuino, & augustissimo refecit epulo, idoneis tempori monitis prolixè roborauit, conscensóque mox equo, duabus ante noctem horis ad hospitium peruenit Comite altero ex Sacerdotibus qui Lyfordij degebant. Erat haud procul Oxonio locus, & quo nuncio incertum, perfertur ad virum nobilem, Campianum in vicino esse; ille sibi in aurem creditum, amicis pariter piis, & Catholicis clam credit; laxandi animi specie passim adsunt, vt eius saltem aspectu fruantur súaque illi obsequia deferant, sperabant tamen effecturos vt confitentibus aures daret, & de animi rebus ab eo aliquid audirent: quod ille sibi dum negat licere; instant illi vt precibus impetrent; en adest Lyfordio aui m[illegible] Sacerdos alter, rogationem ferens plurium longè nobilium, & eorum nomine obsecrans ne se inauditos, inuisos etiam præteriret. Turbauit maiorem in modum Campiani comem & obsequiosum animum geminata petitio, cuius concedendæ facultatem sibi negabat Obedientia, negauit tamen principio constanter, sed accumulatis vtrinque precibus denique respondit, se quoad moras itineris, sui iuris non esse, sed in Emersoni socij potestate. Emersonus tametsi Personio, ad præstandam Campiani vitam, sanctissimè obstrictus, impressionem primam sustinuit fortiter, & inflexus, ad secundam in tantum de duritie remisit, vt annueret Campiano exigendum Lyfordij triduum. Nec fuit extra defensionem omnem culpa, vrgebant ij nobiles Campiano fore captioni magis obnoxium dierum sex iter quo egebat scriptis è Lancastria repetendis, quam Lyfordij triduum vbi eius saluti,

& latebris

& latebris magna omnium qui adesse... nuigilaretur sollicitudine. Referret interim Emersonus è Lanclastria sarcinas Campiani, quem esset in Norfolcia reperturus. His incautus frater abduci se passus est ab Religiosæ Obedientiæ præcipuo capite; in rebus præsertim dubiis, plus Deo placere, esséque proinde tutiùs, parendi simplex, cæcumque studium; quàm ratiocinandi prudentiam.

Erant Lyfordij qui confluxerant ex vicinis ferè sexaginta celebraturi diem dominicum à Pentecoste nonum, plaudebántque sibi magnoperè qui Emersonium expugnarant; malè vates futuri, damnaturíque intra paucas horas quod tunc sibi tantoperè gratulabantur, & gaudebant. Dum enim sacris operaturus se parat Campianus, en superuenit Eliottus cum fori ministro quem illi scelerum comitem dederat Vvalsinganus: pronum fuerat proditori coniicere, domum apertè Catholicam, & pietatis cultui singulariter intentam, non carituram diuinis mysteriis eo die, atque vt vnius, qualiscumque is foret, Sacerdotis captura fieret, ab emissariis Reginæ magni faciendam: nec vero si toto quærendus esset regno Campianus maiori vsquam reperiundi coniectura, quam Lyfordis requiri debere. Sorte illic infausta coquum agebat seruus Eliotto quondam perfamiliaris, dum vterque Roppero nauant operam, vir simplex, vtque ferè inter se sunt serui, stolidè confidens, huic se facilè credidit obrepturum, euocat illum foras è ponte ductario, ire se simulat longiùs, sed nolle tàm festo sacrum omittere, qui profestis etiam diebus solitus esset ei interesse; quis porrò dubitet, aiebat, celebrandum illic eo die sacrum? omnino infert coquus, credens illum durare Catholicum, & moribus probum qualem olim norat, in obsequio Ropperi! at enim quid possum tua causa? ne licet quidem iniussu dominorum intro se ducere. Abi ergo ait Eliottus, & hanc mihi gratiam exora, nosti enim me, potésque omnia de me & à me polliceri; pergit coquus ad dominam, remque illi exponit, sed promissa & preces petitioni addit adeo importunas, vt neganti primùm, deinde admonenti nunquam sibi cauendum cautiùs quam cùm domi haberent Campianum; restitanti denique sæpius, fidei, ac vitæ sponsione pro Eliotto se vadem offerens, quem tantumnon pro sancto, vt quondam, laudabat, assensum extorsit, eius in castrum inducendi. Rumor fuit, etiam literis extra Angliam profectus, fuisse coquum proditionis socium, & comprehenso Campiano, ad suspicionem purgandam finxisse desperabundi voces, & rabiem, manus sibi violentas inferentis nisi fuisset inhibitus. Re tamen vera, nullius criminis reus fuit, nisi stolidi stultíque iudicij. Vnde ad suum redit Eliottum, eò accepta pro illo gratia lætior, quò difficilius impetrata. Ingrederetur liberè vt notus & amicus, sacro interesset, ac si per eius negotia liceret, quod insusurrauit submissa voce, ad audiendum etiam Campianum, Campiani audito nomine, Eliotto læuum subsiliit pectus; ipsoque mox in ore, & oculis, micuit; gratulatur sibi diem illum itineri suo supra desiderata omnia fortunatum, profitetúrque amico se fore illius æternum ipsi debitorem, se illum interea qui sibi for-

tuitus in via comes acceſſerat hæreticum, honeſto aiebat, commeatu ab ſe dimittere. Fuit autem commeatus ſumma, vt in oppidum mitteret Lyfordio proximum, imperarétque illius Præfectis, Reginæ mandato centum equites expeditos ad iniiciendas Campiano manus qui diuerſabatur Lyfordij; poſt hoc rei diuinæ cum aliis, & concioni interfuit. Cui argumentum illa ex Euangelio ſolenni verba præbuêre, *Cùm appropinquaret Ieſus Ieruſalem, videns ciuitatem fleuit ſuper illam*; ex iis poſt appoſita ſæuitiæ temporum, & auditoribus monita, orationem vertit ad miſerias Angliæ, ab ſe quondam, nunc tam diſſimilis, & calamitoſæ; cauſámque mali omnis eandem oſtendit, quam Ieroſolymæ Chriſtus exprobrarat, Prophetarum cædem, Dei nomine ſcelerum veniam, vnáque bonorum omnium deferentium copiam; quod idem Angliam in Deum rebellem, & in ſua viſcera furioſam ſacrilegium patrare deplorabat, Sacerdotum ſuorum crudeli ſtrage, & atrocibus tormentis, quæ dum lamentaretur vbertim flens, ita exarſit animo, verborum facibus, & vultu, nemo vt quenquam mortalium; ſed nec ipſe ſe, ita vnquam locutum meminiſſet, qua ſua vltima concione illam anteuertit, quam ſub patibulo ad innumerabilem populum deſtinarat, ſed vix inchoatam vetitus eſt proſequi.

Prandij appetebat hora, Eliottus ficta noui negotij occaſione quadam, nullis teneri vrbanitatibus, nullis amici precibus valuit; haud tamen vero ſimile eſt quod ſparſit quidam rumor fuiſſe adeò ſtupidum, vitæque ſuæ, ac nobilitatis quæ præſens adſtabat immemorem, vt non dubitaret ſolus proferre Reginæ literas quibus Campianum vel ſacrificantem vel dicentem, conſtitueret reum; quod minori ſuo diſcrimine, & damno exequi potuit, certius videtur maiori noluiſſe. Dum ergo abſcedit quo præmiſerat ſocium, inde Lyfordium excurrit nuntius cui tot equitum armatorum ſuſpecta viſa eſt acceleratio. Nec inanis fuit illius aduentus, plerique diſcumbentium, retractata Eliotti ad defugiendum prandium obſtinatione. Maluêre quicquid is moliretur, maturo receptu deuitare, quàm experientia diſcere. Quibus placuit in omnes euentus cum Dominis Yates, & Campiano permanere, detractum altari ſacrum ornatum abdunt; puerum in ſpecula ſtatuunt qui Lyfordium verſus, venientes è Turri obſeruaret; menſis nondum ſublatis, & vna paulo plus, ab Eliotti diſceſſu hora, renuntiat puer cohortem aduentare, iam Lyfordio propinquam. Perculit ea vox extra Campianum cœteros conuiuas, cuius præ cœteris caput petebatur, Imperturbatus animo & ore, ſolus, inquit, & quæror, & poſcor; abſit mecum, aut pro me periclitetur alius, ibátque obuiam indagatoribus; iis ſi Dux eſſet Eliottus, futurum ab eo vt facile agnitus caperetur ſolus, omiſſis qui domi eſſent vniuerſis. Nemini omnium placuit animoſum Campiani conſilium, nec ſibi quiſquam, aut nobiliſſimæ domui ſat honorificum putauit viri tanti, quanquam ſpontaneum diſcrimen. Gerendus mos fuit Yates Dominæ conſultius aliquid repentè ſuadenti.

Religionis odium, & amor in Anglia, hæreticorum ingenia, & Catholicorum

tholicorum inter se commiserat, ad excogitandas artes quibus Catholici suos abderent Sacerdotes, hæretici eos inuenirent, factúmque non raro, vt post scrupulosam, minutámque inquisitionem, elusi abscederent cum vno aut altero passu sibi proximos præteriissent.

Vsitatissimus latendi modus Catholicis fuit, inter duos parietes in vnum geminatos; alius in fabricæ angulis quos cogit obliquitas relinquere vacuos ad quadranda decenter cubicula; sub tecto quidam; nonnulli in subterraneis specubus, neque adeò sepulchris similes quin duobus angustis cubiculis dent locum. Quibus forte detectis, in alia, humo altius defossa indeprehenso aditu & mille vsibus, ac figuris dissimulato descenditur, & hæc quidem domi. Nam habent & alias sub dio latebras, in arborum truncis scitè suo cortice concluſis, vbi delitescunt dum domi quæruntur Sacerdotes.

Erat Lyfordij inter ornatissima cubicula angustum penetrale quod penè implebat lectulus, ægrè duorum capax Sacerdotum qui domi alebantur, compulsus est tamen Campianus arctè se in illo cum iis componere, ne domus illius Domini, eorum interceptionem, libertatis, & bonorum iactura luerent, vix claudendis iis demissa fuerat cataracta, & adest cum suorum cohorte Eliottus. Quorum alij portas inuadere, palatium alij vallare; intro reliqui subire præeunte illos proditore, & interrogare de Campiano, dein responsis lusi ambiguis latentem quæritare, nihilque intactum, intentatum, cauum clausúmve præterire, sedatè primum & placidè, pòst tumultuosè, fremente in eos Eliotto, quòd non inuenirent, quem certo sciret domi esse, vicissim militibus in eum rabidis, quod non potuisset certò diuinare illum domi latere, qui & vbique, & centies indagatus, nusquam erat. Iámque stabat in tuto Campiani salus, cum Eliotto cœpere milites indignari, & exprobrare ministerij odiosi improbam operam qua ipsos in cassum fatigasset. Ad hæc nouis incensus furiis homo sacrilegus; Reginæ literas iis profert, legítque addens de suo quod libuit; tùm minis acribus, cogit abeuntes & viam redire, & indagationem integrare, & volentes, & nolentes mutatis vicibus ad omnem aditum, per totam noctem excubare.

Campianus Londinum in carcerem ducitur. Diris Eliottus procinditur, & fine misero vitam claudit. Protestantes è pulpitis in Campianum declamitant; tentat coram eius fidem Regina, sed cassò conatu. Defectionem eius Londini Optomus, Valsinganus Parisiis falsò vulgant. Eius occasione Catholici aliquot coniiciuntur in vincula, ipse bis equuleo torquetur. Cuiusmodi sit ea machina.

CAPVT II.

NOCTE silentio transacta, (casus enim omitto nulla sat fide nixos) supremam Eliottus inuestigando Campiano industriam exerit, nihilo priori fortunatiorem; tentatis, effractis, apertis omnibus, vbi suspicabatur occultari, abibat cum pudore, indignabundus sibi, & spei delusæ, pergebat tamen fortuitis ictibus obuium quemque pulsare parietem, cum illi, nescio quid cauum, altúmque insonuit, ipse videlicet Campiani recessus, ob hoc scalatum obuersus lateri quod minus esset exscendentibus, moræ suspicionique obnoxius. Bombo illo, & vnius ex familiaribus mutatione vultus repentina exclamat Eliottus, clauam ferream reposcit, parietíque ipsemet incutit, qui cum esset incrustaturæ magis lateritiæ quàm solidi operis paucis ictibus deiectus, tres intus exhibuit Sacerdotes, sublatis in cœlum manibus suam Deo vitam conceptis his vocibus offerentes. *Fiat voluntas tua*, quas illis Campianus, auditis eorum confessionibus, pœnitentiæ loco præscripserat. Tam inopinato ex tristi gaudio amens Eliottus. Magnis clamoribus totam illuc exciuit familiam, dolore, mœsto silentio, lachrimis confusam.

Prodire latebris Sacerdotes, & se proditori ad quæuis ferenda obiicere, in quo Campiani generositas serena, imperturbata mens, sibíque constans & similis oris habitus, & sermo, plurimum valuit ad consolationem doloris domestici, tametsi postea ex viri tanti iactura illum auxit. Eius equidem causa, Colingtoni, & Fordij, erat domus omnis in Eliotti potestate, solos tamen illos, & Eduardum Yates, Reginæ nomine carceri addixit

dicit cum sex nobilibus, qui præuertentibus reliquis Eliotti aduentum, illic substiterant, & accessere iis tristi casu extranei duo, qui tormentorum territi apparatu, & mortis proximæ, horrore eiurauêre nomen Catholicum, maluerúntque hic breui, & miserè, quàm illic æternùm beatè viuere. sua illa præda virorum duodecim tumidus Eliottus, tantisper illam præsidio militum committit, quoad Barcherienſis comitatus Præfectum monuisset, cuius erat iuris Lyfordium; accurrit Præfectus totus comis, & peculiaris erga Campianum reuerentiæ, & amoris ex quo illum Oxonij quondam in Academia nouerat, & audierat postea sanctitatis vbique, & scientiæ nomine prædicari, Iubet omnes ibidem Lyfordij asseruari, & dempta libertate nihil iis negari humanitatis splendidæ, & honorificæ; scribit interea Londinum ad Senatum quid iis fieri placeret? nec responsum accepit nisi post triduum; qua mora vsus Campianus adhortatione tam ignita, & penetrabili custodes suos ad fidem Catholicam; socios ad supremam virtutem, & patientiam incendit, vt se illi odissent implacabiliter, quod ad prehensionem viri sancti, ac nisi Deus auerteret, etiam ad necem fuissent adhibiti; sociis vero cresceret animus, quem esse planè ingentem oportebat, hoc rerum lubrico, inflexum, atque intrepidum, vt Londino tota per mediam populi, & plebeiæ fœcis maledicentiam, sannas, & opprobria durarent læti, & alacres, spreto nobilitatis suæ gradu, & honore. Prius tamen quam eò veniſſent incidere nonnulla Campiano memoratu digna. Mandarat Senatus Præfecto Prouinciæ Londinum omnes tutò perduceret valido septos præsidio, Campianum præsertim, pro cuius salute & vita dubitarent Catholici, vltro propriam deuouere. Ducentis igitur stipati equitibus, inter quos astati quinquaginta, Abingtono iter arripiunt paucis Oxonio milliaribus dissita, inde Londinum dum tenderent, Campiani fama Magistros pariter ingenti numero, & discipulos ad videndum hominem acciuit de quo mira vtrimque iactabantur, à Catholicis, & sapientibus omni laude digna; ab hæreticis, siniſtra. Cur ij veniſſent, & quid expeterent, cum significasset Campiano, Professor quidam nomine Liedcotus, processit ille vrbanus, & hilaris, suum in Oxionensem Academiam affectum veterem, & nominum titulos memorauit, vt quæ sibi tot annos educatrix fuisset, & magistra, nec fuit tot inter oculos in eum curiosius attentos, qui vmbram dolentis animi in eo obseruaret, seu quod ait vulgus, hominis malè fortunati: festiuus potius, totúsque affabilis, post vrbanitates, ex iis quæsiuit, placerétne audire aliqua, eorum saluti minimè obfutura? Hoc vtcumque fortassis desideraretur à plurimis, nemo palam ausus est optare, & Sacerdotis videri discipulus, maximè Iesuitæ. Ibidem contigit vt mensæ accumbens cum sociis carceris, & fori aliquot Ministris præcipuis; lætum se cunctis exhiberet, multúmque amabilem, suum illud oris tranquillum præferens nulla vnquam vel in equuleo, & sub patibulo mœroris nubecula fuscatum; cui vnà discumbens Eliottus, quî fit, inquit Domine Campiane, vt tuas omnibus comitates largiter diuidas, mihi tam auarè, sed

stultè ineptio, qui hoc velut ignorans interrogem. Deteſtaris ſcilicet in me crimen meum; ob hoc tua me cœteris communi, excludis à gratia; cui Campianus, volenti pergere, melleus totus atque affabilis parcat tibi Georgi Deus hoc etiam de me quod tam læuum & falſum tulisti iudicium in me quidem ſi criminis reus es, & peperci, & ſi fidem tibi ſat verbis non facio, vini pateram en cape, amoris inter nos, & fœderis pignus, quod vnum mihi nunc ſupereſt vt donem. Quin ſi ex animo & verè te culpæ pœnitet, audiam confitentem, & ritè abſolu-am, pœna tamen haud adeò leui pro tanto ſcelere iniuncta.

Abingtono profecti, dum Henlei ſubſiſtunt, inter concurrentes ad ſpectaculum victorum inſignium adſtitit Sacerdos Oxonij natus, vitæque inculpatæ Guillelmus Filbeyus, Duacenſis olim Seminarij alumnus, & Doctori Alano cariſſimus, quem teneritas amoris, & reuerentiæ erga Campianum eò perduxerat; aut bona potius ſanctáque fortuna, nihil minus agentem, eò egerat ſenſim, vt ſomnij ſui verum omen euentu probaret. Viſus erat in ſomnis videre carnifices, qui aperto ventre ſpirantia ſibi vitalia crudelem in modum reuellerent, cuius doloris imagine tanquam veri, in clamorem erupit tantum, vt omnes vicinos ſuſcitaret; quod illi prorſus, vt ſomniauerat reipſa euenit; Campiano enim ſe toties familiarius tamdiu, tótque officiis affricuit, & tam euidenti ſignificatione beneuolentiæ, & amoris quem celare non norat, vt obſeruatus, tandémque agnitus, & captus Londinum perductus ſit, ſextóque poſt Campianum menſe, reipſa viſcerum lacerationem quam ſomniauerat, fidei cauſa fortiter exantlarit. Conſideratior alius Perſonij comes, nam Henleum miſſus cum Campiano egit, ſed oculis tantum atque adſpectibus, quibus non pauca innuit & accepit, quæ poſſunt à mutuo intelligentibus ſilentio dici. Quare ad Perſonium reuerſus qui quarta milliaris parte expectabat, dolorem ipſius magna ex parte mitigauit, liberam referens Campiani conſtantiam ad omnes Dei nutus expeditam, & promptam, quam in frontis ſereno cum probè legeret famulus, inſuper Campianus ſignificatione varia confirmauit. Nunquam tamen ſatis Perſonio dum vixit eximi potuit, ſubinde repullulans dolor, ex fidiſſimi ſocij fruſtra præuiſo, ſed malè vitato periculo; dum illud nimia Catholicorum fiducia, illorum amori erga Campianum; & F. Emerſoni parum firmis promiſſis cauendum permittit. Moras traxit in locis Henleo proximis, tamdiù Perſonius dum concluderetur carcere Campianus, potuitque inde facile ſcribere, quæ ſumus de illo deinceps relaturi. Inde quòd multi Eliotro proditionis quæſtuoſæ ſacrilegium inuiderent, & Ieſuitæ alicuius capturam ambientes, vndequaque illic, ſui odorem captarent aliquem, in pagum ſeceſſit, vocabulo Vvinchelſeyum, regionis Suſſexenſis, mari ad Auſtrum impoſitæ.

Decem, vel vt alij tunc ſcripsêre, quindecim Londino millibus, captorum iter inhibuit nuntius redditis ab Regni conſiliariis ad Vicecomitem eorum ductorem literis, quibus illi exinde dictabatur modus quo illos habere

habere inciperet, nominatímque Campianum, cui iam tum promiſſis ſanè liberalibus, ſeu minis atrocibus id cœpit obiici, quod in carcere Londinenſi nec parcè ſenſit, nec infideliter præſtitum. Henleo itaque in illum eiúſque ſocios, cœpta depromi ſceleſta odia, omni genere contumeliarum, quibus poſſent exoſi populo, & exſecrabiles fieri; eodémque itineris reliqui, & infamis ſpectaculi tenore ventum eſt Londinum, horis ante meridiem aliquot Iulij viceſimo ſecundo, & ſabbathi die. Londini vero ſtipabat vicos innumerabilis populus, conſultò accitus ad eos ſpectandos, & vulgato quà eſſent à porta in Turrim traducendi, lectóque die nundinarum hebdomadario, quo illorum aſpectu & ignominia plebs etiam rũ ſtica paſceretur.

Cuiuſmodi porrò Senatus mandatum fuerit, & quàm ſcitè curatum ſcribit Perſonius ad Generalem Aquauiuam, ipſiſmet ex teſtibus, & ſpectatoribus.

[Senatus, inquit, publici literis & mandato, iuſſi ſunt rei per mediam quàm longè tenditur Londinum, hoc eſt milliaria ferè tria, in Caſtellum traduci quod Turrim nominant. Pompæ ordo hic fuit; præibat Berchesienſis Vicecomes, cuius fuerant in ditione deprehenſi, cum iuriſdictionis inſigni baculo candido, ſequebatur in equo maximè procero Campianus pallio nudatus, reuinctis poſt tergum manibus; pedibus ſub equi ventre arctè ſubligatis, duobus vtrinque haſtatis, omnes eius aeceſſu & alloquio arcentibus, ipſúmque ab omnium congreſſu. Illius pileo hæc circum proſtabat grandi charactere voluta, Epigraphe, Edmundus Campianus Ieſuita ſeditioſus.

Poſt hunc alij procedebant, vinculis pariter adſtricti, ſed abſque lemmate,' quo ſolus condecoratus eſt Campianus. Horum (præter haſtatos quinquaginta totius itineris præſidiarios Comites) premebat veſtigia ingens multitudo, equites, pedites, curioſi ad noua, & inuiſa, nec prius abſceſſere quàm caſtello incluſos cernerent. Narrabat mihi ex his vnus de intrepido Campiani & aliorum inter probra hæc animo, & alacritate, vultu ſemper eodem, & placidiſſimo, interdúmque ſubriſu renidente.

Crucem Chepſeſeid, (à mercatorio dictam foro cuius in medio ſita eſt, vnaque ob elegantiam toto regno hæreticorum euaſit manus) dum præteruehuntur capitis proclinatione ſalutauit illam Campianus, & quanquam ligatis ad dorſum manibus illius ſibi, vt potuit, impreſſit ſignum, idéque qui conſequebantur ſocij pariter fecêre, quod obſeruatum à populo, haudquaquam iis riſum vt ſolet, niſi perpaucis dedit, ſed potius admirationem. In Caſtelli ſeu carceris porta Campianus, iis qui ſe fuerant comitati egit humaniſſimè gratias, & mira vrbanitate ſalutem precatus eſt, quo ciuilitatis tam pacificæ officio, non tenuêre lachrimas Catholici quidam, adoleſcentes præcipuè nobiles, ſéque ad laxandos iis liberè oculos, domum ſubduxêre, ac præſtantiſſimi viri memoriam, multorum dierum proſecuti ſunt longo fletu.] Hæc Perſonij literæ, quibus nihil reſtat quod addam, præter eiuſdem Campiani ſalubre monitum quo conſcientiam mi-

litum conuenit qui se Abingtono illuc perduxerant, salutationi enim & gratiis quas illis habuit plurimas, subiunxit, pro suo in illos singulari amore, nihil æquè intimè dolere vt tristem illorum & infelicem statum, qui capti, & tenti peioribus vinculis terribiliori seruarentur, & carceri, & pœnis, quàm quas esset ipse subiturus. In hac tam solenni ostentatione spectari voluit etiam Eliottus, idque fastu quam alij maiore, vt quæ esset eius operæ-pretium, & merces; extabat ergo suo in equo effrons, sibique multum gaudens, & triumphabundus, sed more veteri, quo multo pluribus celebrabatur conuitiis, & sarcasmis quàm laudibus, nam extra Reginæ Ministros, & hæreticorum Prædicantes, deuouebant illum diris fermè reliqui omnes, & discerpebant clam & palam in os contumeliis tam propudiosis, vt si hominis aliquid retineret, mortem earum infamiæ prætulisset. At is flocci habens proditor esse sacrilegus, talis quoque videri voluit. Iudam non tantum Catholici, sed prope omnes vocitabant, quod illi cognomentum visum est sic aptè conuenire vt in proprium nomen transierit, & pro Eliotto, Iscariotes vulgo in posterum dictus sit. Proditoris itaque omisso munere, cùm notus publicè, latere dein posset ac fallere neminem, secutus est fungi lictoris officio & vbique locorum, & ædium, violenter, & impiè inuestigare Sacerdotes Catholicos, quos magno numero tribunalibus capitalium consignauit; nec illos propterea vel à Vvalsingano patrono suo, vel Reginæ Ministris assecutus est aureos quos expectatat montes; & pergens nihilo segnius in detestabilis sacrilegij officio pergere, homo facinorosus eò venit, vt Sacerdotum Dei singula capita, viliori addiceret pretio quàm capita pecudum. Luit quidem, & caro, sacrilegas nundinationes impiissimus desertor; & post actam ferè in cauponis vitam, ibidem vino dum se ingurgitat, excussum est misero cerebrum; vel vt alij scribunt vermibus consumptus interiit, nullo animi pœnitentis post tot enormia scelerum dato indicio.

Prædicantibus interin annum hora conflabat, dum ad suos è pulpitis aduersus captum Campianum fanda infanda euomerent, ac licet inter se pugnantia; sed tamen æqualiter vulgo simplici vera, & credita quod amplificandi causa ne iis tribuere videar; pauca hic obiter velut in specimen interseri placuit ex quibus conficias, cuiusmodi essent ij homines, penes quos nihilominus potestas erat formandi affectus, & iudicia populi. Post mortem Gregorii XIII. typis Londini editum est, quod fide bona, & simplici reddo [magnis hic exceptum est gaudiis de morte Gregorij XIII. sed iis frænum statim iniecit Sixti quinti tam cita & concors electio. Nostris displicuit electum qui frater fuerit, quod nomen odêre vehementer. Magis displicuit quod Quintus dictus sit, & refricata hoc numero Pij quinti memoria, qui Reginam primus anathemate perculit. Sed maximè omnium quod creatus sit Romanus Pontifex; qui qualiscumque sit, in eam euectus dignitatem, & auctoritatem, non potest nobis non esse inimicus. Auditu accepistis, tempore Pij V. Ministros populo

prædicasse,

prædicasse, Reginæ clementia, & singulari factum bonitate, vt sineretur Pius V. senex, & iam decrepitus, miserum illud vitæ residuum Papa exigere; sed mandasse vna prouidisséque in posterum, nemo vnquam vt esset toto in orbe Papa. Passa est tamen Pio V. Gregorium suffici decimum tertium, annos iam tredecim sedentem. Multíque iam dubitant futurum vt etiam cogatur Sixtum Papam probare.] Hæc & similia stultarum inuenta fabularum qui plebi stolidæ ex pulpitis ingerunt, & pro Euangelio prædicant, quid mirum aduersus Campianum si effutierint, quicquid suam poterat, & sectæ famam illustrare;

Paucorum interea dierum spatio, varietatem casuum expertus est miram Campianus. Nec verum est illum à Præfecti Vicario Ouuenio Optono in Turrim acceptum vera, fictáve comitate; ingressum statim Catholici nominis sceleſtissimus inimicus subterraneo cauo sepeliuit, vulgo Liteleas appellato, quòd partem quietis vix vllam præbeat; tàm clauso, & cæco, vt auræ, ac lucis nihil admittat; tam depresso, & arcto, vt erigere se in pedes, aut porrectus iacere non posset; victu vero interim præparco, & vilissimo curaretur. Sed post elapsum quatriduum, clam inde sub noctem educitur, cimbæque impositus, militari armatæ præsidio, prono Tamisi vehitur ad palatium Roberti Dudlei Comitis Leicestrensis, summa apud Reginam gratia pollentis, à quo & Bedfordio Comite, Scribísque status publici duobus expectabatur, ingenuè certóque professurus tùm cur se in Regnum cum Personio immisisset; tùm quibus mandatis Roma instructus aduenisset. Intrantem omnes perhonorificè, & supra quam reum decuit habuerunt. De suo in regnum ingressu, & Romanis mandatis, quæ tota cum aula Reginam & regnum, miris sed vanis suspicionibus fatigabant, à vero alieniſſimis; etsi erat purgatu res maximè lubrica, & ad veri, ac certi faciendam fidem summè difficilis; procul is tamen aptè omni, narratione factorum nuda, & responsionibus ad quæsita cordatis miréque expeditis, tàm credibilem fecit, & cum sui causam in regnum ingressus, sanctè aliam negaret præter fidei propagationem, & quæstum pereuntium animarum, indoluêre qui aderant tàm rectam, & piam mentem in casus exisse tam tristes, & miseros; duo præcipuè Comites, quibus olim erat Oxonij notus, & ob ingenij, ac virtutis præstantiam valdè carus. Quare in discessu, sortem eius miserti, negarunt quicquam in eo damnandum, nisi hoc solum quod esset Papista; Ego vero, subridens retulit, nullo alio tantoperè glorior; quo ab eo modestè animoséque dicto. Tantum abfuit vt offenderentur; è contrario Dudleus Optono mandarit commodiorem illi carcerem assignaret, haberétque illum deinceps humanius. Et his quidem nihil addit consignata cartis memoria illius temporis; sed ipsius ex ore Campiani excepta sunt alia, quæ in eius priuatim ad instruendam litem examine; deinde publicè contigerunt, in aula maiori Vvestminterienſi, ad duodecim virum tribunal, & supremi à quo damnatus est Iudicis. Nempe in palatio Dudlei adstitisse præsentem cum Comitibus, & Scribis Reginam; interrogasse Campianum, an se verè Re-

ginam Angliæ crederet? respondisse vero quod conueniens erat, & esse iure oportebat; omnino, atque ex animo credere; sibíque hoc in promptu responsum fuisse, postquam Gregorius XIII. Pij V. seueritati derogasset. Postremo Reginam summa erga se vsam affabilitate, vitam, libertatem, honores, diuitias obtulisse, sed ab se ideo reiecta omnia, quod forent emenda pretio inæstimabili conscientiæ, & æternitatis, non autem gratuita.

His ad Optonium perlatis ingentem se finxit initurum ab Regina gratiam; ab vniuerso Regno famam præstantis politici, si Campianum euerteret, & tam celebris Iesuitæ arma, quibus paria Papistæ non haberent Caluino addicta, in Catholicos retorqueret. Hoc se vno aut altero congressu confecturum, præmissis vrbanitatibus, & sumptu, quibus præter morem atque ingenium, eius animum captabat. Nam quæ illi deferret eius nomine delaturum, penes quem erat illico præstare; verbis hodie cras factis; nullam promissis moram fore; nempe iisdem ferè quæ paulo ante recusarat; gratia Reginæ intima; prærogatiuo inter aulicos honore, Præfecturis Ecclesiasticis, infula etiam Cantuarienſi. Quorum vel parte dimidia Optonus, vt Puritanorum, & Protestantium putabat neminem quin sectam propriam eiuraret, & profiteretur quamlibet, aut nullam; ita omnibus simul expugnatum iri Campianum sic animo finxerat, vt de eo non aliter nisi de re confecta loqueretur, & cum esset, vt inde scribitur, armaturæ tam leuis, quàm tumidæ eò pollicebatur ardentius, se victurum, quò se propterea audiebat magnis quidem in cœlum efferri laudibus, verum ad hoc opus miraculo esse; nimirum vt priùs Campianus post prouocatam solenni libello decem Rationum Academiam vtramque, resiliret, & palinodiam caneret; hic se Optonus in omnem versabat, & agitabat partem, vt iurans, peierans, quo illi nihil in ore crebrius, persuaderet se victurum; cæcis interdum verbis subindicans aliquid quo vel pacisceretem, vel deditirium, habere se illum innueret. Et vero primariis aulicis suum magis desiderium id persuaserat, quàm Optonij perfida iuramenta, séque huius nuntij tam prodigiosi auctores fecerant. Nullus penè tunc nisi de Campiano sermo, suspensis omnibus expectatione tantæ rei, & causæ tam grauis. Hinc Reginæ Ministris cum excidisset aliquid de Campiano propediem à Catholicis publicè defecturo; rumore inani fines eundo acquirente, Londini Prædicantes diem populo dicunt, quo esset in pulpito Crucis ad cœmeterium S. Pauli solenni spectaculo visurus Campianum, primo librum suum, igni manu propria vrentem, & hoc ipso testantem, comprehensas libro pestilentes doctrinas, flammis pariter dignas esse, hoc est hæreses omnes Papistarum, & Iesuitarum Sophismata; auditurus deinde Religionis Reformatæ dogmata pro concione confirmantem, proin à conuentu abesset nemo, concioni omnes attentam darent, & auidam autem. Huic tam nobili claróque mendacio Europam peruaganti fidem fecit minimè dubiam Vvalsinganus, qui paulo ante Parisios missus, Somero & Colhamo Reginæ legatis, pro matrimonio cum Duce Alenconio

socius,

socius, totam Galliæ aulam ea fabula impleuit, Campianum Iesuitam, conuictum, resipiscentem, errorum pœnitentem, iuridicè illos eiurasse, seque Protestantibus adiunxisse; ob hoc tantam Reginæ adeptum gratiam vt primis ipsius literis, Cantuariensis nominandus esset Archiepiscopus, quod asseuerauit tàm audenter homo eius gradus, & Regni Scriba, vt nullum reliquerit dubitandi locum. Sed enim (quicquid alij scripserint) quantumcumque sibi aduersarij plauderent, Anglis Catholicis venire nunquam in mentem potuit, tantum nefas vel in somnis à Campiano cogitatum, vt qui animi eius robur nossent, & virtutis inuictæ firmamentum, essentque artes Optonij, & iactationum experti fumos: & vero quàm solidè isti; hæretici contra, quàm stolidè de Campiano censuerint breui apparuit. Optonio enim opimitates illas conditionum regiarum prodigè deferenti, si vel induceret animum Protestantium semel in templo conspici; dedignatus parumper silentio responsum, & rei fœditatem, mox tamen acerbè questus est, quod se publica infamia deturpasset, vulgando talem esse qualem quicquid vsquam in mundo est opum & gloriæ; quicquid tormentorum & cruciatuum, nunquam esset Deo propitio, facturum. Quibus indignatus, & furens Optonius illi minatus est quiequid posset illi malorum inferre, hoc est quæcumque oporteret ab infensissimo expectari & metui; qua iræ præcipitantia instinctus, velificari cœpit in partem contrariam, nec deinceps subacto Campiano pedum & insulas, sed obstinato, & refractario, catenas, & equuleos clamitare: qua discussione rumoris improbi Londini vulgata, obticuêre scilicet Prædicantium pulpita, erubuêre præpropera gaudia Regij Administri, Catholici denique religionis veræ tam splendida confirmatione, tacitis sed certis gaudiis gestiêre.

En autem examinis capita dum formantur ad quæ responsiones Campiani vel haberi vltro, vel extorqueri oportebat; haud scio quo exploratore defertur nomen domus Stonariæ, libríque decem Rationum in ea editi, claris inditiis accusatur; missus illuc eques aurei calcaris improuisus, proëlum deprehendit, libro item insudans alteri de religione, abundéque huic fuit, vt quicumque furtiuo operi, oculos, manúmve commodarent, in caballis vinctos, Londinum omnes perduceret. Guillelmum Hartleum, animosum illum Sacerdotem, qui exempla libri decem Rationum Oxonij disseminauerat; loci dynastam Ioannem Stonarium; Stephanum Brinkleum nobilem, & Typographiæ opifices quatuor. Tres ab clauso Turri Campiano, vltraque hebdomadas ibidem egêre, dehinc ærumnoso maceratis fractísque carcere, vitam Regina condonauit, sed extra Regnum in exilium deportandum. Vnum ipso in aditu ex opificibus quatuor, intento in iugulum cultro carnificis specie custos carceris territarat, minatus se gulam secturum, nisi se sponderet Protestantium frequentaturum templa; quo iocoso licet, terriculamento statim victus, etiam iurarat, clausísque carcere cœteris, liber abscesserat, & esse maluerat hæreticus quàm dici proditor, fuit enim suspicio non temeraria fuisse illum

ipsum sui domini proditorem, sed composita illa simulatione latere voluisse, cùm custos nihil eorum posset quæ minitabatur.

Iam cognitionis primæ articuli, de quibus interrogandus erat Campianus, fuêre qui sequuntur. Cuius impulsione, aut mandato, & quamobrem in Regnum venisset? à quibus domi, & tecto exceptus; necessariis ad victum, & quouis alio adiutus subsidio? vbi, cuiúsve opera librum typis mandasset decem Rationum? vbi, & quibus adstantibus sacrificium Missæ peregisset? nominaret quos ipse à Caluino ad Romanam fidem reduxerat; ediceret eorum peccata, quos confitentes audierat. Denique profiteretur palam, quid in partem vtramque de Bulla Pij V. sentiret. Hisce Optonus Vicarius, eiúsque Assessores Hammonius & Nortonus, sisti sibi Campianum iubent, quem cum frustra verbis tentandum sat scirent vt in graue sui, & Catholicorum periculum aliquid efferret; accersunt illum in speluncam vbi solet à reis confessio scelerum tormentis exprimi, & indiciorum purgatio. Porrò necesse est, ingenti sit animo, vel planè stupido, qui non inhorrescat ad limen illius barathri, nihil inferis mitius olentis. Nullum illic præter candelæ lumen, iudicum sedes, triste silentium, trux oris species vel natiua, vel adscititia, adstantes carnifices, omnia formidabilia. Sed terribilius oculos nihil ferit quàm varia, & atrox, & ignota organorum pompa excruciandis reis comparata. Verum ex his nihil nouum Campiano, nihil non animo præceptum; nihil non postea probatum cui non vel simile aliquid, vel eò acerbius expectasset. Vt enim priusquam illum proderet Eliottus, deliberata iam penes se habebat verba, vultum, & affectum quibus esset vincula lictorum; ludibria populi, & maledicta excepturus; quàm recto nunc etiam oculo atque irretorto, intuiturus cruciatuum subire apparatum; quod vt meditatus fuerat, eximiè præstitit. Ingressurus illam torquendorum sæuam, & horrendam domum, genua flexit pro foribus; orauit; pectus signo crucis muniuit, lictores ad detrahenda sibi vestimenta iuuit, pergens nihilo remissius orare; innuentibus ad equuleum accederet paruit, séque in illo decenter composuit, & carnificinam illius immanem sic pertulit, vt præter Iesum, & Mariam, & pia cum Deo colloquia, vox nulla ei excideret. Est porrò in Anglia equulei typus, idem qui veteribus ethnicis. Trabes quatuor humi quadratum efficiunt, parte altera longius (quanquam interdum etiam erectum) extremis quadrati duobus insertus est fusus velut textorius intra loculamenta valida vel ferreos annulos laxè versatilis. Distentus reus in vacuo trabium, ligandas hinc manus ad vnum è fusis, hinc pedes ad alterum porrigit; ligantur autem vel quatuor funibus manuum pollices, & pedes supra malleolos, vel quinque fidiculis, pedum & manuum digiti singuli infra vltimum stringuntur articulum, fusíque hinc atque hinc disiunctæ circumuoluuntur quinque fidiculæ, sic vi iaceat miser diuaricatis cruribus, & manibus. Duóque à capite, à pedibus toridem, agendi signum expectent carnifices; qui fusis ad se magna vtrinque vi versatis, miserum corpus à terra suspendunt, atque hinc torquendi mensura ducitur; nam

si Cognitores iubent seriò rem agi, versandis in aduersa lieiatoriis, tota exerunt carnifices brachia, & afflictissimi corporis omnes luxant ossium commissuras, cum immensis doloribus, defectionibus animi ex conuulsione neruorum continua, viscerúmque interdum laceratione. Nec enim tormentum interpungitur saltem breuibus spatiis; vt respiret miser, sed distractus ad præscriptum modúmque Cognitoris, durat in eo quot horas voluerit, quarum nulla est morte leuior; & vero in illo aliqui vitam ponunt, alij plus palmo supra innatam informes staturam, vitam postea trahunt minimè vitalem. Bis huic machinæ admotus Campianus excruciatus est quidem grauiter, compulsúsque mox ad disputandum; sed longè atrocius bimestri post tortus est; intersteque ad ea quæ sequuntur disputationis illius tempore non falli. Quæsita igitur priorum Examinum duorum fuere, num librum Decem Rationum ad Laurentium Iohnsonum, siue vt nominant alij Riccardsonum misisset; & epitomen illarum manuscriptam ad Thomam Pondo. Ex ore Campiani nihil præterea expressum: hos vero duos consultò nominauit, qui pro causa Catholicæ fidei iam erant in vinculis; nec iis nocere poterat, legisse librum Religionis quâ gloriabantur apologeticum.

Campianus recens tortus, conditionibus iniquis adigitur ad disputandum cum duobus Protestantium Theologis; illius modestia, & scientia; horum confidentia, & dedecus. Quam mortem in his habuerit Rodolphus Sceruuinus. Eius carcer, tormenta, & magnanimitas, nouis artibus vexantur Catholici vt in Campiani contemptum pertrahantur.

CAPVT III.

Dederant quidem strenuam operam Cancellarius & Optonus, vt inflicta Campiano tormenta laterent Catholicos, nam præter alia sectæ probrum non leue videbatur deliberatas pridem in eum disputationes eò distulisse, donec eneruis ex cruciatibus xisset; cùm veri hostes etiam ethnici, vim non adhibeant, nisi postquam rgumentis experti sunt agere. Ob hoc Campiano mitius primùm esse

voluerunt, nec fidiculis digitos, sed funibus pollices vinciri, vnde illi dextra manere potuit ad subscribendum sana, quo deinde chirographo vsos videbimus Ministros vt fucum facerent populo, atque ipsi Reginæ. Quod autem irritis illorum studiis, vrbe esset iam tota vulgatum, bis tortum esse Campianum, haberetúrque ex carcere vbi Catholici mutuo sibi erant solliciti, præfractè negabant Prædicantes, & flocci habebant periuria, dum in sectæ commodum cederent. Quod fuisse illis deinceps solenne visuri sumus magno veritatis & meriti damno quod Sacerdotibus debetur pro Christo necatis. Parentheses aliquot quibus identidem has fraudes aperiam, non censebit lector, superuacaneas. Nec enim Historici defuêre malê res Anglicas edocti, qui Ecclesiæ Anglicanæ annales Catholicos designauerant ex Chronologis hæreticis scribere, nisi esset iis stylus de manibus prudenter ereptus, nitebantúrque illo potissimum effrontis mendacij calumnioso libro, qui præfert *Iustitiæ Britannicæ* titulum. Ex quo erat necesse consequi, vt mortis beatæ decus, & gloria pro fide Catholica occisis negaretur, quàm iis, saluo veri omnis Magistræ sedis Ro. iudicio, iure omni deberi Franciscus Suares asseruit, cuius alibi fiet opportunior mentio.

Bis equuleo fractus, vixque adhuc spirans Campianus, suo è carcere in templum parœciæ repentè traducitur quod eadem in turri seu Castro Londinensi est situm: ingens illic Scena omnis generis spectatorum vt eum audirent suas illas Decem Rationes, disputatione propugnantem; commissionis huius perperam consultæ auspex Decanus S. Pauli, eiúsque de se maior opinio quàm vires: putabat signari se omnium oculis, sibíque tacitè occini pro fama doctrinæ qua clarebat non posse non obstruere os vni Iesuitæ, cuius æterno silentio obmutescerent reliqui quorum omnium doctrina, & lingua loquebatur. Sic fore vt solus par Academiis duabus haberetur, quas præfidentia Campiani superbè prouocarat. Ad hoc item euicit homo vanus, vt pugna hæc fieret in publica luce, daretúrque omnibus indiscriminatim liber aditus ad spectandum, ne si foret tantum priuata victoria, victorem quoque oporteret, esse priuata gloria contentum. Sic ille de se magnificè sentiens, non est tamen ausus æquo marte, paribúsque conditionibus aggredi Campianum instructissimus authoritatibus, & probationibus in Campum descendit cum Dayo Etonensis Collegij Præfecto, quam etiam sibi ad hanc pugnam delegit optionem. Campiano nec libri vllius permissum subsidium; nec disputandæ quæstiones vel generatim indicatæ; nec relicta facultas vulneris inferendi; ab illatis solum tueretur sese, ictúsque depelleret, & exiret; ne telum quidem mitteret in dogma reformatum, ac ne missum quoque, vt vsus est, interrogando retorqueret. Tot licet pedicis, & manicis vinctus, adhuc metuitur Campianus; paulo ante dictam pugnæ horam, equuleo subditur, vt illo membrorum cruciatu, eneruaretur ingenij vigor; datúrque illi certaminis socius, ne forte solus Decani victor euaderet, Rodolphus Sceruuinus, qui Roma Campiano comes Remos deuenerat; illic S. Asaphi Episcopum,

conua

conualescentem ex morbo lentius, dum frustra expectat Sacerdotum postremus Londinum apparuerat, & primus captus est cum viro nobili Roscarcheo illius hospite; Deo illi sortem Apostolici muneris, longa, & forti perpessionum crudelium tolerantia pensante. Ærumnis primum carceris confectus (cuius vocabulum carceris *Eques martialis*) & mensis vnius compedibus; ineunte Decembri, mutato carcere, in Turri bis intra quatriduum equuleo tenditur, ad extorquendas ab eo (quas fortiter tacuit) Campiani, & Personij latebras. Dúmque illum tortores diuulsione ossium & neruorum immaniter frangunt, iussus est non procul Roscarcheus audire gemitus, quibus acerbitatem doloris intolerabilis etiam inuita fateri natura cogebatur; clausus tandem secreto carcere, nonum iam mensem in summis agebat miseriis, sed in delitiis animi tantis, vt sanctus iuuenis, velut mitius haberetur, perpetuis illic vltro se pœnis maceraret; hunc addi voluêre Campiano certaminis socium.

Erant digestæ in templo sedes, theatrum certamini futuro. Priores duæ Alexandro Nouuellio Decano, & Dayo doctori, corámque onusta auctoribus mensa in Campianum præparatis. Sequebantur longa locorum serie Doctores, Prædicantes, & Caluini Theologi; cum libro Campiani omnes. Aduersa ex parte, mensa similiter, & duæ Doctori Guillelmo Vvittachero & Ciarco sedes, positiones, & responsa nostrorum ex officio notaturi. Ea fide qua expectari maior non potuit à pari hominum inimicissimo Religioni Catholicæ, & præoccupato priuatis arbitriis. Vvittacherus enim fidem, honorem, & stylum oppignerauerat contra Rationes Campiani decem, in quas librum postea emisit quem Camdenus (potens nimirum Theologus) *Responsionis solidæ* appellatione celebrauit, vtpote ab vno suarum partium fabricatæ, qua profecto nomenclatione abstinuisset diligenter. Si apud Ioannem Dureum Scotium, soliditatis eius vanitatem, & nebulas præuidisset; vt quæ nihil habeat solidi, præter frontem scriptoris, nihil grauitatis, & ponderis præter conuitia & contumelias. Excipiebat duos notarios sedes Optoni Vicarij, & longus dynastarum, & nobilium Ordo; templi residuum vacuum implebat promiscua, & circumfusa turba, nec deerant honestæ & nobiles feminæ, quarum vnam aduituri sumus, sed loco meliori. Campiano Sceruuino, aliisque ex Turri productis Catholicis scamna posita sunt, ex aduerso Decani & Dayi. Circumscriptum agendi tempus horis tribus ante, post meridiem totidem. Ab hora scilicet octaua manè ad vsque vndecimam; à secunda de meridie ad quintam. Prodit ergo in scamna Campianus hora octaua matutina omniúmque in se aduertit oculos, tum sui apud omnes fama, tum pugnæ tam celebris expectatione, cuius conflictus omnino sex disputationibus totidem comprehensos, ducam ex actis summa fide, ac manuscriptis spectatorum ipsorum qui aderant, paulóque post editis, & ex oculatorum testium literis.

Cœpit Nouuellus ad pompam præfari, quæ diu parauerat; nullius se rei studio in hoc Theologici agonis experimentum descendisse præterquam

nudæ veritatis inuestigandæ, & inueniendæ; quin & illud inueniendæ velle perperam à se dictum, iam enim ab Anglia Dei tandem beneficio inuentam, & Elizabethæ Reginæ cura, vel ob hanc æterna dignæ memoria; sed obiiciendæ Papistis palpandam, cæcísque potissimum eorum ductoribus, qui soli vltro pertinaces occluderent oculos, & magnis vocibus negarent esse, quod nollent aspicere. Quo dicto vultuosus & toruus in Campianum linguam strinxit, exprobrans proiectæ frontem audaciæ & vesanam sui æstimationem qua vnus, & semihomulus, omnes prouocarat Dei exercitus, hoc est mundi Magistras Cantabrigiensem, & Oxoniensem scholam, hunc esse videlicet genium Papistarum, quem satis proderet hic arrogantiæ character, sed enim parum ab eo præuisum, aliud esse in tenebris scribere; subterraneo sepultum cauo, stylum contra omnes glorianter crispare, & foliorum quinque lucubratiuncula infelici, omnes nullo excepto ad pugnam ciêre; aliud coram experiri, & clancularío emersum specu, viua voce, & lingua decernere; haud quidem cum Academiis integris, iusto enim plus fore quemlibet ex iis vnum vt nouum Thrasonem pudore obrueret. Simul aperit librum Decem Rationum, recitátque ex eo disputationis argumentum ad quam probè munitus aduenerat. Non potuit Nouuellus tantùm suis quibusvis Campianum ornare laudibus, quantum suis ornauit illustrauítque conuitiis, & probris. Huius enim tranquillum animi, verecunda modestia, sermo, vultus ipse, oris totius compositio ad Nouuelli tumorem, & minas & præcentiones triumphi præcoces, emicuêre pulchrius & amabilius. Arrogantiæ quidem obiectam notam, haud pluribus aliisve abstergi voluit quam quæ omnes legebant in literis quas *Ego*, aiebat, *si fretus ingenio, literis, arte, lectione, memoria, peritissimum quemque aduersarium prouocaui fui vanissimus, & superbissimus; qui neque me, neque illos inspexerim, sin causam intuitus existimaui satis me valentem esse, qui dicerem hunc solem meridie lucere, debetis mihi feruorem istum concedere, quem honor Iesu Christi Regis mei, & inuicta veritas inperarunt.* Quòd autem Nouuellus expostularet acerbius, fuisse Reginæ Ministros apud exteras nationes crudelitatis sæuæ ac barbaræ à Catholicis infamatos, editis etiam quibus torquerentur cruciatuum figuris, aut falsis aut exageratis supra verum; vt obiectam Catholicis culpam purgaret Campianus, simul & Nouuelli retunderet animos, quod esse clam cunctis crediderat, manifestauit palam; & possunt, inquit, omnes meorum ossium iuncturæ nimis certo probare Catholicos semel & iterum equuleo subdi, vt ad disputandum præparentur. Ad hæc erubuit Optonus vehementer, vulgatum audiens, quod tot periuriis celarat: nec sperans posse fidem detrahi Campiano, eam ficto irrisu, & sanna eludere studuit, & proh! quantum, inquit, delicati doloris, ob leuem impressorum vnguium vulsuram! & iteratam neruorum stupentium tensionem! nec enim his grauior tuus ille fuit equuleus. Cui placidè Campianus; constant hæc mihi certius quàm tibi, qui præter imperium torquendi nihil contulisti, ego cruciatus excepi, & expertus loquor. At longè acriùs, & ardentius

assurrexit

assurrexit denunciari sibi in faciem audiens, inflictos sibi & Catholicis cruciatus, religionis non esse pœnas, sed publici status, proinc illos sibi ne honori, & merito verterent.

Prodeat, inquit Campianus, si quis mortalium suspicionis huius vmbram valet offundere, vel excogitare. Tunc enim me vobis addixero cruciamentis omnibus laniandum: resumptísque seorsum singulis quæ sibi fuerant in equuleo obiecta, ostendit omnia spectare ad Religionem, nihil vero penitùs ad rem publici status. Nec itum verbis vlterius, & obmutescente ad contestationem hanc Optono, conticuêre in illo & cœteri.

Quem ad disputandum legerat Nouuellus articulum, ex prima petiit Rationum decem quas ediderat Campianus, in qua postquam, ait, hæretici reliquorum testium voces & suffragia contempserunt, eò sunt redacti nihilo seciùs vt stare nequeant nisi diuinis ipsis codicibus qui sibi aduersantur vim & manus intulerint, ij se profecto declarant extrema fortuna confligere; quid causæ fuit Ebioniis vt omnes Pauli repudiarent epistolas? desperatio. His enim suam dignitatem retinentibus, antiquata circumcisio est, quam reuocauerant? [quid Luthero vt Epistolam Iacobi, contentiosam, tumulam, aridam, stramineam, excucullatus Sannio nominaret, & indignam spiritu censeret Apostolico? Desperatio; hoc enim scripto confossus miser, atque disruptus est, cùm in sola fide iustitiam constitueret] ita Campianus.

Vociferari ad hæc Nouuellus calumniam, & quam esset indignus omni fide qui auspicaretur librum suum à tam impudenti mendacio. Ecca Deo laus, inquit, & coram Lutheri opera quæ tenebat in promptu, aperuítque mox) & eccum vbi affirmantur verba ea legi. (Citarat autem procœmium ad S. Iacobi epistolam) legatur itaque relegatúrque diligenter, ne syllabam quidem textus allegati reperias; ergo exclamat subrectus in pedes Nouuellus; luculenter mentiris Campiane! repeto disertè rem vti gesta est. Hinc enim plausus aduersariorum, & præcox triumphus; breui autem post pudor, & dedecus, ex veteribus Ienæ in Saxonia typis verba illa Lutheri Campianus, accurata fide exscripserat, fuerat autem Luthero Iena cœteris addictior vrbibus quod eius errorum virulentos status in primis accepisset, Lutherani porrò quà Synodis, quà conuenticulis, quà priuatis cautionibus, & notis, Zuinglianos damnarant, & Caluinistas puros, ipsúmque Caluinum, falsato pro arbitrio Lutheri, emunctis, detortis in sensus auctori contrarios, mutilatísque postremis editionibus, quarum illa erat quam præ oculis habebat Nouellus Caluinista, ex qua erant sublata quæ Campianus produxerat, Nouuuellus aiebat falsè Luthero imputari. Testes oculos suos frustra iurabat Campianus, & interrogatus, vbinam? & qua in editione legisset quæ accusauerat; in Ienensi cùm respondit, & in Germania; explosus est nutibus, & verbis à Nouuello veluti absurdus, & festiuo nempe consilio, conuictum in Anglia falsum testimonio Germaniæ defendens, qua sibi victoria tantùm placuit Nouuellus vt duas intra hebdomadas publicis illam celebrarit typis, habuerítque statim suæ illius glo-

riæ suffragatorem Vvitacherum. At enim paulo post reperto Londini codice Ienensi, intactísque in eo tùm verbis tùm syllabis quæ suæ illi primæ rationi inseruerat Campianus, puduit eos lucis quàm scriptis ambierant, coactíque sunt luculenta plaga, ea corrigere; gratulantibus sibi versa vice, veritatíque Catholicis, quorum diligentia factum erat vt inueniretur Londini Germanus Lutheri codex quem per iocum accire è Saxonia iubebantur. Quod de trium horarum restabat clepsydra insumpsit Campianus, in asserenda maiestate auctoritatis Canonicæ, quam B.Iacobi epistola, in Ecclesia semper tenuerat.

Hora post meridiem altera integratus est campus, in quo tamen Nouellus optimum sibi Dayium substituit. Aggressus hic de Iustitia Christiana, & adoptione in filios Dei disputare, excluſis ab ea prorsus operibus, totam sola in fide statuebat, proferebátque ad hoc locum è sacris paginis falsatum, sibíque proinde percommodum. Negauit Campianus ex Dei ore vnquam prodiisse, aut ex stylo Canonici scriptoris; contendit oppositum Dayius, misítque ad illum Græca quæ coram tenebat Biblia, notato illi quem laudauerat loco; sed is locum omittens, ad eorum statim recurrit frontem ex qua recognouit ea esse Caluinistarum adulteriis deprauata; vtque fileam in præsens Campianum, qui primam orditur ab hac perfidia Rationem, iure illam sibi hæretici mutuo exprobrant. Vocat Lutherus Zuinglianos mente captos, fallaces, quadrupedes, antichristos Theologos, & ingenio belluinos; Lutherum Caluinistæ sacrilegum impium, verbi diuini corruptorem, & neutri eorum à vero aberrant. Cernens igitur Campianus corrupta Biblia, & falsum quem ex iis Dayius promebat locum, librum clausit, secutúsque est contrariis auctoritatibus demonstrare, quæ sibi obiecta fuerat, esse à sancto Spiritu non posse. Atque hinc Dayius, & Nouuellus, vniuersúmque illud Prædicantium, & Theologorum Theatrum, pro confesso interpretati sunt esse Campianum penitus Græcè rudem, eam ob rem nec posse dici Theologum, tametsi foret alter Augustinus qui & ipse fuit leuiter Græcis tinctus; quæ nouatorum est puerilis, & grammaticula simplicitas, ex qua totis Baronij versandis annalibus coniecturas rimati quibus Gregorium, etiam Græcis Magnum, possent Græcè ignarum garrire, nisi sunt pro suo in illum odio, contemptui si possent obiicere: suo ergo Græco tumidi græculi, gestu inter se procul, & oculis, ac tantumnon voce illud occentare, *non legitur, Græcum est*, totámque illam scenam in eius ludibrium aduertere, quod forte ille dissimulasset pergens vt cœperat dicere, ad modestæ patientiæ meritum, si vno illo actu clausissent fabulam, sed aduersarij pudore decus suum volens augere Dayius, iterum prodiit; & Basilij Magni, cuius verba laudarat (parum curans quàm ad rem appositè) Campiano legenda transmisit, clara voce indicens, legeret, si nosset; iámque ad illum dum ferretur, totus ille confessus, & conuentus, plebeiis sannis, & puerilibus incipiebant Campiano, velut in Græcis asino insultare. At is sui, mirificè potens, nec verbis, nec oculis par suis irrisoribus pari reddens, sedatè cursim legit,

vímque

vímque ex iis quæ legerat ſuam argumento dedit. Poſt Anglicè reddidit, diſputabatur enim lingua vulgo nota, clauſo demum libro, ad confeſſum Doctorum lepidè, teſtes, inquit, vos volo poſſe me Græcè vtcumque legere. Demiſſis illi hæſêre oculis; datus eſt Campiano plauſus, quem nihilo excepit lætior, quàm præcedentem contemptum triſtis. Dayius exinde conſideratior, poſitum argumentum rationibus tractauit. Has Rodolphus Sceruuinus quem pugnæ ſocium Campiano Proteſtantes vltro voluerant, cùm ardentius confutaret, defenſionem illam cauſæ bonæ acrem pro debitæ ſibi obſeruantiæ immunitione acceperunt, ac dum fruſtra dicenti vt taceret, vehementius obſtrepunt, etiam alta voce, imperiosè ſilentium nota formula indicunt, linguam tuam penes te retine, quibus ille, & linguam, & fidem retinebo. Quamobrem illum diſputationibus quatuor quæ ſupererant excluſêre, velut naturæ iracundiorem, & ſtrenuitatem tuendæ veritatis bilioſi humoris vitio obſcuratunt. In danda nihilominus iis qui abfuerant diſputationum habitarum ratione, non puduit ſecum turpiter pugnare, palmâmque dicendi Sceruuino tribuere ac perſuadere ſe à Campiano qui eſſet Sceruuino inferior haudquaquam vinci potuiſſe. Qua eadem ex fidelitate acta prodiêre duarum priorum concertationum à Nouuello & Dayo confeſtim edita; ſed tàm eneruibus & infirmis ad propoſita reſponſis, quam toto habere poterant pondere roborata; vtriſque autem actis à verò adeo alienis vt viciſſè vbique viderentur. At ne partium quidem ſuarum ſequacibus, id perſuasêre, Proteſtantes certè ſuis annalibus longè aliter ea tradiderunt, & conuenientius alibi oſtendam, quàm inconſulta eorum vanitas iis credi voluerit.

Conflictum quatridui Campiano Nouuellus, & Dayus indixerant; ſed fuêre ſat vno ſupérque contenti, campúmque aliis, ſi quibus luberet experiri ceſſere; euicit eorum auctoritas quos pati repulſam non decuit vt euocarentur ex Academiis longinquis, ſucidanei Nouuello Theologi, qui poſt diem ferè quintum, & decimum, præſto Londini adfuere. Hos verò dies haudquaquam paſſus eſt Optonus abire ſibi otioſos; vt ingenioſa vafritie, exiſtimationem Campiani apud omnes illuſtrem, Catholicis etiam exſecrabilem faceret: ſocios habuit propudioſi conſilij Reginæ Miniſtros Cæcilium & alios, qui ſuprema eius abuſi potentia impunè omnia in Catholicos audebant. Bis ſe tortum equuleo vulgarat Campianus, quod voluerat Optonus ſecreto premi; conceptam igitur in eum vindictam indidem orditur, ſuadétque paſſim ſe ex Campiano atrocitate equulei domito quæcumque rogauerat diſtinctè reſciſſe, à quibus nimirum exceptus hoſpitio; pecuniis adiutus, ad confeſſionem adhibitus; & quænam eſſent peccata confeſſi, quos Eccleſiæ Romanæ, quos Papæ reconciliaſſet? His aula primùm inſtrepere, deinde tota vrbs, regnum denique vniuerſum, & ſpargebantur ab iis, qui etſi hæc forte pro falſis ducerent, credebantur tamen ob auctoritatem qua pollebant niſi vera, & certa non referre; tandem eò progreſſa eſt fraudis nequitia, vt illa inſontis Campiani equuleo extorta confeſſio firmata iactaretur oculatorum teſtium nomine, & chirographo

ipsius Campiani. Hæc eò spectabant, primùm vt qui essent beneficio eius vsi, aut quibus ipse vsus esset, edictis territi; fuga inditium criminis confirmarent, fieréntque prehensionis rei, aut fisco contumaciam latendi bonorum iactura luerent: deinde vt immitterentur lictorum cateruæ, in omnes quos suspectos fecisset mendacissima illa confessio Campiano perfidè attributa; & quorum captiuitas futura esset fructuosa. Sic Baro vallium captus est, sic equites duo calcaris aurei Thomas Treshamus, & Guillelmus Catesbyus, pietate insignes, & Campiano in paucis intimi, verè quidem delati quòd sacris operanti Osburno adfuissent, falsò autem atque fraudulenter, quod ex confessione Campiani teneri vulgarentur. Diris modis hic rumor Catholicos omnes consternabat, & ægrè animum inducebant, vt Campianum virum fortem, & tantum à tam vili, & tanta infidelitate, sed tam peruagata immunem crederent. Quam eorum mentem vix iam iis dubiam, mirum in modum auxit, ab Optono profecta, Campiani prodigiosa laudatio, qua deprædicabat quicquid erat in venis Angliæ succi boni, doctrinæ, ingenij, probitatis, & elegantiæ si exprimeretur non fore vni par Campiano: quæ tàm repentina Optoni mutatio, & hyperboles tantæ laus, esse non poterat nisi aliquod omen grandis mali; nihil enim boni laudare Optonus valuisset, multo minus in maius attollere. Hanc vero stropham aliquantò prius elaborauerat, fingens modo Campianum habere confitentem reum; modo secreti, & animi tenacem, modo vacillantem, & atrocitate doloris ancipitem ad prodenda quæcumque rogabatur, sed ab se arcanas ob causas iteratam eius cælatam quæstionem, ne tàm apertè tunc quæ is responderat in vulgus ferrentur. Hinc ego plus vltra non gradior, quin prius sanioſum & pestilens vulnus fuero medicatus, quo veritatem tunc Optonus, & famam Campiani, postmodum Holinsedus Anglicorum scriptor annalium iugulare studuerunt, & probroso funere condere. Ac huius quidem Protestantis de Campiano historia, musiuum opus est ex mendaciis tessellatum, digestúmque in monstri speciem quam putauit fore tùm deformiorem, tùm populis odiosissimam. Primùm ergo inducit suis ad Pondum (quas dabimus literis) fatentem, se atrocitate equulei subactum, prodidisse ex Catholicis amicos nominatim, & quorum erat beneficentiæ obstrictus; eius facti dolore torqueri se grauiter, & per eum millies veniam à Catholicis implorare. At quantò aliter mendacissima fabula acta sit habemus in tabulis illorum temporum Baronem scilicet Hunsdonum Campiani dum torqueretur spectatorem, & admiratorem taciturnitatis tot inter quæsita, & adiectiones cruciatuum constantis, iratum siuul & mistrum exisse dixisséque, prius hic sibi è pectore reuelli vitalia patietur quàm ex ore verbum quod vetet efferri charitas, aut animi scrupulus dicere, hæc ille ex veris, & certis. Quæ inuiolabilis secreti tam fortis religio, & tormentorum sæuitiam, animi robore elidens, Reginæ Ministros ad inuenta conuertit nihilo infeliciora, quam iniusta. Transcribo illa vti iacent apud Ludouicum Granatensem, introductione in symbolum quam sub ea tempora scribebat.

scribebat. *Eodem*, inquit de tormentis agens, *in Sacerdotes alios qui capti cum eo fuerant consilio vsi sunt, vt si cuius nomen Catholici nobilis exprimeret dolorum atrocitas, vulgarent illum à Campiano nominatum; vt conflato illi perfidiæ tantæ dedecore, facerent Catholici exosum.* De quo, & aliis quos eius exemplum corroborauit in fide sacri silentij, debetur hic illis viri tanti grauissimum, sanctissimúmque iudicium. De iis, ait ibidem, iure dixerimus, subiisse illos duplex martyrium, fidei alterum, alterum caritatis; illud, abhorrendo ab hæreticis, istud cælando Catholicos quorum vi magna tormentorum vrgebantur nomina edere; in illo fidei erga Deum, in hoc erga proximum tenaces, vtrobique meo iudicio martyres] quod si Baro, & duo quos diximus calcaris aurei Equites, nouem millibus nummorum damnati sunt, non ideirco euenit, quod haberet causa Campiani cum iis aliquid commune, sed quia Osbumi Sacerdotis interfuisse sacro dicerentur, quod etsi nunquam satis probatum sit, rei tamen & sontes, iure iniuria pronuntiati sunt, quod essent Catholici, & insuper diuites, sic enim Reginæ Ministri pro arbitrio atque libidine Catholicorum nobilium nundinabantur opes, & capita. Sequamur nunc, & obseruemus quantam perniciem Campiano consiliarij Reginæ intulerint, ficta illa secreti violatione quam illi tribuebant.

Nocens sit Campianus, ex innocenti eius epistola. Reuocatur ad priuatam disputationem; de inuisibili Caluini Ecclesia; Disputationis materia; alienus Aduersariorum in disputando modus. Campiani virtus, sapientia, & victoria.

CAPVT IV.

NOBILEM Christi Iesu testem Pondum, Senatus Londinensis, ex suburbano mitiori, minúsque seruato carcere in ærumnosius transtulerat barathrum vbi rei insignes (& sunt huiusmodi qui Turri clauduntur, vel generis nobilitate, vel scelerum) singulos singuli suos habent custodes. Resciuit igitur ex suo Pondus, probrosum rumorem qui de Campiano circumferebatur, fiebátque illorum qui hunc adstruebant auctoritate credibilis; & hærebat ipsemet dubius in ancipiti Pondus, tantò magis afflictus, quantò iure maiori videbatur sibi perplexus ambigere: vtque in Dei causa, & Catholicæ studio ardebat totus, ad Campianum scripsit, tàm attemperato inter fiduciam & metum stylo, vt pendere incertus videretur, nec tanti viri constantiæ certius fidere, quàm

iactatis de illo sermonibus aut suspicionem aut, fidem aliquam commodare. Claudebat epistolam rogans, ne hanc sibi afflicto consolationem denegaret certiorémque se ex veris, & certis faceret; maximè vero de retectis hospitum Catholicorum nominibus, & peccatis quæ sibi credita fuissent in sacræ confessionis arcano tribunali. Clausam epistolam custodi, quòd alius deesset, tradit perferendam, reluctanti, & multum rogato, multúmque iurato se Campiano redditurum; quod officium Pondus octo nummis emit, quos angellotti quatuor faciunt. At ratus epistolam perfidus tanto secreti ambitu, & pretio creditam, premere aliquid quo posset ab Optono fieri ditior; huic illam reddidit, qui saluo recluſam sigillo, perlectam, & denuo concinnè clausam reddi mandauit Campiano, sed furtim, ad proditionis fucum, eiúsque ad se responsum ferri, quod non diu moratus Campianus paucis verbis absoluit, sed quæ sufficerent ad eximendum Pondo metum omnem, & anxietatem. Aiebat se Dei gratia qui sibi animos dedisset etiam vires accepturum, ne quid sibi equulei dolor, aut quæstionis cuiusvis immanitas extorqueret, quod esset in damnum Ecclesiæ Dei, quæ dum rescriberet, iis singulariter intendebat quorum dicebatur suspicionem tribuisse; editis scilicet Catholicorum nominibus & pœnitentium confessionibus, quod & ipse Optono in equuleo pendens professus est, & toti Londino, sub patibulo positus. Verum ita Optonus & publici status consiliarij, responsum hoc interpretati sunt, vt peius non posset ad auctoris mentem; commodius, & plausibilius ad suam. Rescitum est enim multorum literis Londini, ex quo tentus est Campianus, decreuisse illos ob publicas Regni rationes, habere illum aut Protestantem aut mortuum; & si quidem mortuum, quolibet potius alio nomine quàm Religionis, damnari enim quemquam hoc nomine Regina non ferebat, seu quod Catholicis glorioſum, seu quod sibi probroſum censeret; integritati enim studebat præ omnibus, vtinam, & eius merito. Fuit ergo solennis Ministrorum ludificatio, sic vultus causarum & speciem vertere, vt quod erat Religionis decus, & cultus, in rebellionis crimen euaderet, vel simile aliquod, maiestatis supplicio plectendum. Quare illud ad Pondum Campiani responsum, non commissurum vi vlla tormentorum, vt sibi quicquam excideret, quod posset Ecclesiæ Dei officere, mirè ad illorum cecidit genium, quod sensus esset ita vasti, vt possent illum ad significanda quæcumque liberet flectere. Nam Dei Ecclesiam Campianus quoque Romanam volebat intelligi: deliberatam vero constantiam tacendi omnia quæ possent illi damno esse, interpretabantur coniurationis alicuius inuiolabile arcanum ad quam essent à Papa in Angliam missi, vt aiebant Sanderum paulo ante ad sollicitandam rebus nouis in Iberniam missum: sic inter Optonum, Cæcilium, Vvalsinganum, & alios tunc quidem statutum, & conuentum; postea obseruatum; nec torquendi tunc prope Campiani, nec post paulum necandi, præiudicatæ opinionis aut probationis colorem alium, prælinere vnquam potuerunt, nisi paucula hæc ad Pondum verba, explicanda omnino ad mentem quærentis, & interrogantis,

gantis, at ea Miniſtri detorſere ad conuincendum ſcriptura propria conſcium coniurationis, & confitentem, in eáque cælanda obfirmatum. Reſtabat vltimo vt iterarentur diſputationes, & promiſſa. ſi forte vtrovis ſic expugnaretur, quo nihil vnquam ardentius mouerant, aut verè hunc ſibi addicerent, aut ſaltem ſimulatè; hæc autem ſi parùm procederent, ad equuleos cruciatus, damnationis ſententiam & ſupplitium vltimum veniretur, cuius ipſemet cauſam ſuis literis inſtruxiſſet.

Die igitur Septembris ſexto, & decimo indicitur illi in diem ſequenti poſterum diſputatio altera, iubetúrque ex ſuo Rationum decem libello certandi materiam legeret quam mallet; librum omnem reſpondit ſe aduerſus omnes & Academias, & mortales propugnaturum; ſi tamen cuipiam adſtringeretur argumento, cùm ante iam eſſet de ſacræ paginæ (qua vna nituntur hæretici) deprauatione, concertatum; viderent an foret iis commodum ſecundam aggredi rationem, de natura, & notis Eccleſiæ propriis, quod vtrum admitterent ignarus, libríſque deſtitutus, quorum grandi numero citarat loca, obiectis quin etiam inſtare vetitus, aut leuiſſimo etiam argumento rectà vel obliquè impugnatores remorari; manè ſub horam diei octauam, nam erant huius eædem horæ quæ prioris diſputationis, in Turrim, & Optoni aulam perducitur quo vnde triginta nec plures conuenerant: Comes vnus, Equites calcaris aurei tres; cœteri aut literati, aut nobiles: ad menſam multis inſtructam codicibus ſedebant Fulkus, & Goadius qui Nouuello, & Dayo ſucceſſerant, è regione in ſcamno Campianus cum ſolis quæ illi ad defenſionem permiſſa fuerant Bibliis. Ad alteram notariorum vice, idem qui nuper Ciarkus, & pro Vvittachero, Fieldus, qui diſputationis acta exciperent. Diſputationem aperuit Fulkus ſolita ad orandum inuitatione, & ſonorum *Oremus* magna grauitate intonuit; reliquis ad eius preces neſcio quas flexis in genua, & reſpondentibus. Campianus ne ſe cum iis miſceret, apud ſe tacitus & ſilens orauit; cunctíſque iam conſidentibus aſſurgens, reuerenter, & clara voce ſe cruce ſignauit, quod ab adſtantibus ſed diſſimulanter, & ſolis nutibus irriſum. Poſt cœpit Fulkus, & data optione Campiano iuſſum expedire libri ſui partem ſecundam propugnaret, vbi de Eccleſia ſcribens viſibili; Caluinus inquit, videri noluit in Eccleſiam pugnare, quam toties Scripturæ nominant, ſed eam retento nomine funditus euertit. Delineauit enim Eccleſiam iis conditionibus, & notis. Quæ tollunt illam prorſus ab oculis, nec ſinunt ſub ſenſus cadere, velut ideam Platonis, ſed interiori ſolum paucorum aſpectui cernendam permittunt, qui peculiari ſpiritus afflatu, illud eius corpus aëreum mente conſpicantur, & pluſquam lyncea perſpicacitate diſcernunt illos ab iis, qui ad eius numerum pertinent. Vbi vero hic ingenuitas, & candor: vbi ſimplicitas? quod paginæ ſacræ oraculum, quæ inuenta, qui Patres, hiſce coloribus deſignauêre Eccleſiam? quibus eius ex libro perlectis. Quæſitum, an vellet ſuum illud aduerſus Caluinum pronuntiatum defendere. Campianus præmiſſo, quod iure animo repoſtum gerebat; meo, inquit, libello petieram, diſpu-

tare publicè vel audiri; ante quindecim dies accitus sum improuisus, atque imparatus, ad tuendam partem libri mei priorem; dicuntur in vulgi manibus conflictus illius acta volitare, haud qualis re vera is fuit, sed qualem vestri Theologi impugnatores mei, fore sibi honori censuerunt, quo pacto vulgantur tanquam mea, quæ mihi nunquam in animum, multo minus in linguam venerunt? hæccine agendi fidelitas? vt persuasis omnibus æquato nos marte confligere, descendatis in campum probè comparati, ego penitus imparatus? vos cum Notariis vestrarum partium; ego nemine Catholicorum teste, qui religiosè mea ex veris responsa annotet? & præsens aderat Ciarcus ex duobus alter in disputatione priori Notarius, quem cogebat famæ & officij ratio fateri vel diuersè ab iis quæ audierat excepta scripsisse; vel ab iis quæ scripserat diuersè, Nouuellum in typos misisse; verum aut pro se quo satisfaceret non habens, aut refugiens Nouuellum accusare, surdum finxit, & mutum, nec verbum ad ea vllum misit. Multo incautior Fulkus Doctor, cui sui honoris præoccupata vindicatione, cùm profiteretur se ad disputandum planè imparatum accedere; suo more placidè Campianus; at hoc ordo librorum præclarus non loquitur quos habes ad mensam, & ad manum vt contra me exeras. Incipe nihilo secius, hoc solum te monitum volo hanc esse Dei causam; certamen nobis esse non de ingenio, & gloria, sed de indaganda quam amplectamur veritate, à quo esse videntur alieni, qui me improuisum ad pugnam vocarunt, quasi eius summa sit, victores iure an secus appareant, præligatis mihi priusquam confligerem manibus, vetitisque in vulnus extendere, sed esse sola depulsione ictuum & defensione contentas; hoc est meas nolle audire rationes ne vincant; velle vestras audiri confidentia irrita, sed tamen aliqua vincendi. Quod ne vnquam fiat causæ bonitas faciet, quæ seipsa est potens ad defensionem sui & triumphum. Hoc interea quod depugnabimus, nec disputatio, nec armis æquatis, & paribus, sed neque publica censeatur.

His tametsi Fulkus ad viuum pungeretur, nihil quod reponeret habuit, sed tria extemplo deprompsit argumenta quibus Caluinum tueretur, inuisibilis conditionem Ecclesiæ hoc est Christianismo vniuerso tribuentem velut geminam, & propriam. Cùm enim se impius ab Ecclesia Romana segregasset; (& ante hunc Lutherus, & ex vtroque Angliæ Protestantes) nouam essent aggressi Ecclesiam cudere, necessario sequebatur vt reprobarent Catholicam veterem, quam dicerent à Deo reprobatam ob cultus superstitiosos & falsos, quos suo à capite Ro. Pontifice duxerat. Anglorum contra Ecclesiam si erant Puritani; acephalam; si Protestantes femineo capite, solam sanctam, legitimam, & quid non? sed cum Ecclesiam Romanam muniret antiquitas ab Apostolorum deducta temporibus, suæ vero auctores Lutherum, & Caluinum, nouitios homines fatererentur, necessariò item fateri cogebantur advsque illorum tempora, mundum Ecclesiâ caruisse, nec fuisse totis quatuordecim seculis, Religionem vllam cuius posset vsu, cultúque salutem consequi. At cùm desperarent futurum

futurum aliquem cui fides fieret sacrilegij tam effrontis, & prouidentiæ diuinæ, fidelitati, pietati vatúmque sanctorum, & Christi prædicationibus tam iniurioſi, excogitarunt aliud vt minus in ſpeciem horrendum, æquè tamen à vero, & credibili alienum. Denunciauêre mortalibus (quod niſi ab ipſis, & eorum ex libris, nuſquam gentium auditum lectúmve fuerat) Chriſtianiſmum à ſuo capite Chriſto Ieſu, communi ruina defeciſſe, ſibíque aliud ab eo diuerſum caput adſciuiſſe. Rebellionis huius principium annos nongentos ſtatuunt retrahunt alij ad mille ducentos, & plures ducentis; nonnulli etiam ad ipſos vſque Apoſtolos, & prima Eccleſiæ ſecula. Haudquaquam tamen hoc, tam vniuerſali Romanæ Eccleſiæ lapſu, corruiſſe puram, ſanctam, veram, hoc eſt eorum Eccleſiam, ſed perpetuatam ab Apoſtolorum temporibus in hoc æuum per continuatas ſucceſſiones fidelium, qui non alia crederent viuerentque, quàm quæ poſtea Caluinus, & Lutherus noſtro ſeculo docuêre. Interrogati vero quam ſibi orbis partem, aut populum in ſedem, ea Eccleſia optaſſet; imo nomen vel vnum, alicuius vnius ex illo populo; negarunt illam, aut locum illius, aut quemquam hominum ad eam ſpectantium, poſſe digito monſtrari: nec enim eſſe viſibilem, & adſpectabilem, ſed occultam, ſoli notam Deo, & quibus viſum illi eſſet, prærogatiui beneficij ſingularitate, illam eiúſque cultores demonſtrare. Qua reſponſione boni viri in illa ſe induunt, quæ ſatagebant præ omnibus vitare, ſacrilegam nempe in Deum calumniam, à quo non eſſet hominum ſaluti ſatis prouide conſultum: nam ſi nuſquam ſalus extra Eccleſiam, & hanc noluit Deus ipſis quoque illius ſequacibus, cognitu eſſe poſſibilem, vbi ſalutem quæret, qui ſcire non poteſt, vbi vel vnde quærenda ſit? iam cur tantopere occultam illam velint, negéntque viſibilem? quia, inquiunt à Papiſtis vexatam, qua reſponſione, ſi credunt idoneam, ſtupere illos ingenio oportet, cùm vexari niſi viſibilis, & euidens non poſſit; pergunt tamen ô ſaxa! & caudices! idcirco negare viſibilem, quod nulla eius in omnibus retro ſeculis mentio, nullum in veteribus ſynodis, chronologis Patribus poſſit veſtigium deſignari. Tantam exigit Proteſtantium fides cæcitatem; & exſculpendi fuêre ſeculis omnibus oculi, ne illorum Eccleſiam cernerent; etſi dicat Giuellus eorum Epiſcopus, ciuitatem eſſe ſupra montem ſitam non poſſe abſcondi.

Quam Fulxus probandam ſuſceperat, inuiſibilitas, contendebátque à Caluino aptè ac propriè, ſuæ Eccleſiæ attributam, ſecum infert quæ hactenus dicta ſunt. Hanc vt aſſereret artem adhibuit quam ſolent, quorum ægra eſt cauſa, & rationibus laborat; nituntur illam clamoribus fulcire; vociferatus eſt Fulxus ad rauim, vociſque ad vltimùm iacturam, ſed prius debitæ moderationis. Sic enim contra Campianum ratiocinatus; credere in Eccleſia, eſt de fide; fides autem eſt *inuiſibilis*; ergo ſimiliter Eccleſia eſt *inuiſibilis*; monitus non rectè colligi, quod in forma, & ſenſu peccaret argumentum, eſſétque negandum quod conſequebatur non modo vt falſum, ſed nec conſequenter, & legitimè concluſum. Nam eſſe Chriſtum, & eius opera de fide apud omnes conſtare; fidémque non videri, an ergo propterea,

& Christus, & eius opera, & miraculorum editio, Inuisibilia? respondeo. Respondeo, inquit vir præclarus, debere te esse modestiæ memorem, putauitque mordaci reprehensione abundè obiecta diluisse; cui placidissimè Campianus; habet, mi domine! suas modestia in perferendis tacitè iniuriis partes; habet & veritas in propugnanda Dei causa; & sub hæc Fulko, nihilo felicior successit Goadius, ambóque vnâ sæpius loquebantur, & inuicem turbabant, dum confessum omnem agendi tranquillitas in Campiano iucundè oblectaret, & acumen solers extircandi verbis duobus sophismata quæ illi sexcentis intricabant. Lapso trium horarum spatio abitur; posita prius quæstione post meridiem agitanda. Possétne in rebus fidei vniuersalis Ecclesia errare? quod illi affirmandum, probandúmque sumpsêre.

Creuit auditorij numerus ad sexaginta; creuit & quæstio, in multas alias diducta, nihilo priori minus difficiles, in iis suos illos valentes Theologos adegit Campianus, ad glutienda tam crassa, & enormia absurda, vt prorumperet interdum exclamans, optarétque adesse Academias Cantabrigiensem & Oxoniensem, spectaturas cuiusmodi capita Theologicis fingeret disciplinis, ex multis paucula ne fim tædio referam. Ac Fulki primum validum Achillem quo esse errori obnoxiam in rebus fidei, totam probabat Ecclesiam, nam errare cùm possent seorsum singuli, posse omnes coniunctim, posse Concilia quantumvis numerosa & œcumenica, vt quæ tota ex singulis constarent, errori obnoxiis: quæ argumentatus in hunc modum, exclamauit, ex forma duplici dialecticè demonstrandi, hanc esse certissimam; nec se multum sudans & agitans à Campiano explicuit, esse falsissimam probante, cum toti cuipiam tribuuntur, quæ singularum per se sunt partium, nisi ex regula inductionis Logicæ id fiat. Iam in re præsenti ad statuenda fidei dogmata, promissam à Christo Ecclesiæ suæ, Spiritus sancti præsentiam, & opem; non autem singulis; in quo ambo aduersarij dum certant, & quæritant, eò extra lineas saltarunt vt dicerent; fidem semel animo infusam amitti non posse; sed neque charitatem; & obiectanti Campiano adulterium, & homicidium quæ peccasse se dolens confessus est Dauid, Nathan reprehendit, Deus castigauit: Scripturas, inquiunt, nec intelligitis, nec ritè accipitis; hæc seruum peccati non faciunt, charitatem non iugulant; electorum peccata sunt, non autem reproborum, ex naturæ profecta fragili, non ex peruerso, & maligno, erátque lepidum audire Theologos sibi ac suis (ad vnum cœlo destinatis) liberaliter indulgere ad sensuum omnium explendos motus belluinos, & cupiditates omni turpitudinum genere incestandas. Sed interceſſit his Optonus, & vetuit à quæstione proposita longius digredi. Illam itaque resumens Fulkus contendebat, fidelium singulis Spiritum sanctum hora quauis perinde adesse, vt Generalibus Synodis adesse dicebamus, eiúsque instinctu singulos, sacras literas dum legunt sensus earum legitimos capere, quam meram Caluini medullam, illa condiebat Christi sententia; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest intrare in regnum Dei.* Sed intelligere nequibat

nequibat Campianus, de Spiritu sancto dictum, expiatis baptismo animis à culpa originis sanctimoniam conferente, quo pacto ad eiusdem docentis magisterium pertineret; atqui retulit Fulkus, in hoc ipso erratis; peccatum enim illud ab ortu congenitum, non tollit baptismus. Fac ergo, ait Campianus, ex te sciam, quo pueri anima recipiatur post baptismum statim morientis? ô sunt, inquit Fulkus hæc diuini arcani inscrutabilia adyta, quæ sibi nec ego nec quisquam mortalium subire arroget. Ne tamen in sicco hæsisse dicatur Fulkus Doctor, & responsione caruisse ad interrogata, etiam superuacanea, nec interroganda; aio infantem, si prædestinatus fuerit saluari; & hoc esto contentus; séque in suo inaccessi arcani receptu tenuit.

Mitto reliqua de adoptione inter iustos, quæ breuius iustificatio dicitur, in qua Campianus, egregiè ab impacto Pelagianismo, Synodum Tridentinam aduersus Goadium vindicauit. Sed digna est planè auditu & sibilis illa, sui adeo secura, exsibilatio, qua par tantum Doctorum excepit Campianum, asserentem, Dei auxilio posse legem diuinam seruari. Ad quæ Goadius, audite qui adestis, & memoria tenete absurdum palmare, quo nihil estis in vita, vt centum annos vixeritis portentosius aduituri, & in eum lusit tanquam ridiculum. Contumeliis huiusmodi hominum assuetus Campianus, quasi minimè aduertisset prosecutus est Dei amorem, & proximi explanare quibus duobus lex tota claudebatur; petiitque cur Deus vtrumque imperasset si norat seruari non posse? imperasse respondit Goadius non vt seruarentur, sed eorum violatione, comperta nobis nostra debilitas fieret, spem omnem salutis in Dei misericordia locaremus. Et hæ vobis, subdit Campianus sycophantiæ videntur Deo conuenire? iubere quæ nec vult, nec possunt fieri, vt infractis iis aliud impleamus quod eum velle, magis fingimus quàm scimus? nam si hoc vltimum volebat, cur non clarè, disertè, apertè id iussit, vt solent qui volunt aliquid fieri? cur veram animo mentem pressit? aliam in ore habuit? hisnè aliquid reposuerit Goadius, aut Fulkus non reperi; sed malis effectis, peiorem illos causam assignasse; nempe omnes peccandi cogitationes, tentamenta, motus, iam reipsa, & verè peccata esse; iis autem carere vt non est situm in nostra potestate; ita neque peccatis abstinere, & quod est consequens Dei legem seruare. Mira res, ait Campianus, scriptura teste beatus vir qui suffert tentationem; vobis testibus, cum peccet maledictus, quod vestra sententia, pro beato, dici à scriptura debuerat. Mira res! subinferunt Doctores, verum Iesuitis; at Dei famulis nec mira nec noua, cúmque his videri causam viciisse voluerunt. Postridie certandi argumentum de diuino sacramento fuit, & incidentibus ex occasione quibusdam aliis obiter. Fulkus sero aduertens stringi se arctius à Campiano appositè vt se inter dicendum dabant aditus captante, denuntiauit Rhetoricæ parceret, volebat scilicet illum abstinere ab retorquendis in ipsos argumentis, sed responderet liquidò negans aut affirmans. Petiit vice versa Campianus, sibi fas esset argumentari saltem semel, aduersarij responderent, veritatem quam inuestigabant

sic facilius emersuram. At æquè ipsi nihil refugiebant, & ambienti Fulco doctrinæ suæ miracula sub typos mittere in aduersarium patrata semicompeditum; impromptu erat sibi tribuere, quicquid ab se optasset dictum; contradicenti autem respondere, salua existimatione viri docti (cuius erat appetentissimus) non erat ita pronum.

Concertationes illius diei ferè abierunt in laudandis Latinorum Patrum, & Græcorum locis, vbi quantò minùs per se propriè valuêre, tantò præstantiores Magistris sunt habiti, adeo illa expeditè audactérque legebant, illustrabántque glossematis accommodatis in rem suam. At in formandis legitimo verborum numero syllogismis ne boni quidem discipuli visi sunt, multo vero peioris, in iis defendendis velut ex solenni regula conceptis; quare Fulco, admirans Campianus negauit se intelligere quo pacto Magister in diuinis Oxonij, & Cantabrigiæ, nesciret ex Logicæ vsu in syllogismum verba colligere, nec sophisticæ fallacias animaduertere, vt in *figura* quam vocant *dictionis* ei contigerat. Dixerat enim Fulcus Christum, quod Catholici sentiunt, postrema in cœna, corpus suum dedisse, sed quale tunc erat, perpessionibus obstrictum; ab iis iam cum sit liberum, immune, beata gloria præditum, nec idem quod ante fuerat; dum illud consecramus nequaquam nos Christi corpus dare. Heri subiicit Campianus emisti carnes crudas, edis hodie quas heri emisti, edis igitur carnes crudas. Satin' tibi videtur legitimè colligi? si non posset panis in substantiam corporis mutari nisi malis ferendis obnoxij; uel pro conditione partæ iam gloriæ, illorum minimè capacis, probasses aliquid in rem tuam; sed nihil horum vides tibi suffragari; dabant sibi mutuas operas hi Magistri, & vnius defectu, non definiebat alter sed æquè plumbeus. Goadius igitur ex his Pauli verbis, *quæ sursum sunt quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens*; ita concludebat, iubet Apostolus Christum quærere in cœlo; non est igitur in sacramento, & in terris; ineptè alioqui mitteremur ad quærendum procul, quem domi, haberemus. Ad hæc Latini iuxta & Græci dum narrant, quæ gessit Christus in vltima cœna, non aliis vtuntur, nisi communibus panis, & vini vocabulis; Christi ergo cœna panis & vinum est, non eius corpus; ac forte quidem illa Doctorem paralogismi prioris admonebat, dominicæ orationis præfacio, *Pater noster qui es in cœlis*, nisi ex ea vidisset consequi, non esse igitur in terris. Ad panem & vinum quod attinet, quibus vocabulis diuinum Sacramentum Patres significant, respondeo, inquit Campianus; quod sitis opinor dicturi quærentibus quo pacto verum esset cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, mortui resurgunt? quo tendam prospicitis, constituantur panis & vini vocabula postquam esse panis, & vinum desiêre, vt cæci, & surdi, nomina post sanationem; & addit aliquid ad statum præsentis intelligentiam, nominatio præcedentis.

Soluta concertatione Campianus quod libro petierat, iterum institit, vt dicens, aut disputans publicè audiretur, ac si agi ex Patribus, & Synodis placeret tam multa se ex iis, tam perspicua pro se adducturum, vt

ipsi

ipsi quoque, ni verum odissent, producta gauderent. Rogauítque Fulxum & Goadium enixè, id sibi à Regina impetrarent. Negarunt penitus se facturos, nec id sibi audere polliceri; timetis igitur, ait Campianus; minimè inquiunt; sed dedecet hominem tui similem audire. Certè infert ille minimè dedecet Augustinum, & dignus saltem est qui audiatur Augustinus, cuius susam mox coram recitauit, & luce omni euidentiorem de veritate Eucharistiæ sententiam, ex psalmi triceſimi tertij depromptam explicatione; at huic animum, cum aures non possent obturarunt, manifestissimæ veritatis à maligna impugnatione. Inde carceri suo redditur Campianus; suam Fulchus edit victoriam, hoc est pertinaciæ obfirmatæ de conscientia triumphantis. Verum se ipse, vtcumque fefellerit, alios certè non potuit; tam raris testibus, aut tam imperitis disputatio cohonestata est, vt dubitatum sit cuinam cessisset victoria. cuius alioqui memoriam non sepelissent Stouus, Holinshedius, Speedius, Camdenus Angli, Protestantes, & Romanæ fidei hostes coniurati. Quod enim scripserant de Catholicis Præsulibus, sub Elizabethæ primordia, coactis in hæreticos decertare, aduersus Campianum multo libentius iteraſſent, si victus è Campo abiisset. Ita quidem de illo Camdenus *equuleo admotus, & postea ad disputandum productus, expectationem concitatam agrè sustinuit.* Sed huius scriptoris artem & genium pro suis, & contra Catholicos qui norit, pluris hanc eius confessionem macram, & aridam fecerit quàm aliorum decuplo ampliorem, & illustriorem. Laïcos certè ad veracitatem, famæ ratio plus mouit, seu loquerentur, seu tacerent, quam conscientiæ Prædicantes; nam si iam ante disputationes debacchabantur ex pulpitis Campianum comburi viuum oportere, quod esset hæreticus pertinax, (& erant intelligendi, quod Catholicus, & Iesuita, & fortiter constans;) multo nunc magis, suo damno experti, quantus in pugnam assurgeret. Sed flocci sint isti, ad testes alios, ex aduersariis, etiam & Protestantibus conditione digniores. Primo inter Nouuellum & Campianum certamini matrona interuenit, Ingenij nomine in aula celebris, etsi alioqui sanguine clarior, quàm vitæ probitate. Hæc audito ad finem attentissimè Campiano, & obseruata ipsius præ aduersariis Theologis singulari doctrina & virtute; summæ, inquit discedens, futurum erat imprudentiæ, si concessum huic foret à Regina, quod eam rogauerat, publicè audiri, & dicere, totam erat secum rapturus Angliam, nosque omnes Papistas effecturus. Fuit & consilij Regij iudicium idem, cùm ne angusto quidem vt antea, in templi theatro audiri voluerunt, ac propè priuatim; rati erant (quod aiunt illorum temporum scriptores) ad priores illas disputationes, imparatam, & debilitatam simul, tormentis & carcere vim ingenij allaturum, & ex eneruato mentis arcu, non missurum nisi cassa ictu, tela imbellia; sed enim qui suis os, & sapientiam promisit, Campiano illa tàm largè tribuit, vt prudentissimos aduersariorum, eius aleæ pœniteret; factique in posterum experimento cautiores, tanquam posita lege decreuerunt, neminem vnquam Iesuitam ad disputandum publicè prouocare, vel prouo-

cantem admittere. Tenebátque illos idem metus etiam tertio post anno, cùm Ioannes Nutterus Sacerdos Remis eò reuersus est, nam Euangelicos ministellos, qui tentaturi quid hominis esset, quantæve doctrinæ, ad eum in carcerem venerant, ea pectoris generositate, & efficacia rationum, sic propemodum siderauit, vt suæ pariter accusatores audaciæ, & ignorantiæ abirent, sed colligerent ex soliditate virtutis, & doctrinæ aut Episcopum esse aut certè Iesuitam, nec disputatione contra illum sed patibulo agendum; quod tandem paulo post factum est.

Cæterum de gestis Campiani sui quotidianis Personius, Romam scribebat in hæc verba; Disputationes eius, quàm sint frugiferæ fingi animo vix potest; ac si propterea, mortem illi contingat inferri, crescet inde illarum vtilitas ingenti fœnore. Nullus hic ferè, nisi de iis sermo, non modo inter Catholicos, sed nec inter aduersarios, & vtrosque summa eius cum laude, tantam illi Deus conciliauit omnium gratiam] ita Personius. Hanc porrò gratiam, virtutis, & sapientiæ merito voluit Deus ab eo parari. Stupebant etiam Protestantes Patrum textus Latinos & Græcos ex improuiso recitantem, prolixos, sinceros, & integros; quos aduersarij ex parte, aut mutilos, aut vtrouis in sensum distortos alienum retulerant. Accedebant conferta ex sacris literis ad probandum loca. Et lepidum illud, quod retortis eorum argumentatis vtebatur pro suis; sua vero tam valida, quod vnum ei licere voluerant, interserebat furtim, & dissimulanter, vt iis inuoluti vel obmutescerent; vel eum impositi monerent silentij; vel arte nimis crassa quæsito absurdo difficultatem eluderent; vt cum argumento strangulari se Fulcus sentiens, interrogauit quam sedem in prædicamentis materia prima obtineret? nihil non mouere Catholici vt disputationes horarum trium sex, magna fide exceptas, & notatas Nouuello eiúsque socio in typis, & luce publica exhiberent, recognituris in earum decursu sapientiæ suæ vestigia; sed calcographorum inuentus est nemo, qui vitæ periculum, quantauis pecunia venderet, adeò omnes etiamtum exempla eorum terrebant qui Rationes decem Campiani typis subiecerant. Hanc scientiæ exquisitæ tam affluentem largámque copiam fulciebat virtus haud paulo illustrior, modestia, patientia, serenum oris, & mentis perpetuum, generosus animi habitus nullis iniuriis offensi quas aduersarij, in causæ subsidium accersebant; pietas denique singularis, celebrata sunt hæc omnium laudibus, & quamuis infenso in illum animo Protestantes, suos illi sed frustra optassent, ministellos esse consimiles.

Tantæ demum virtuti, & sapientiæ attributa est multorum ad Catholicum dogma conuersio, in quibus comes Arundelus, Sureyus, Philippus Hauuardus, Ducis Norfolciæ natu primus, & Angliæ procerum maximus, tunc quidem alia omnia cogitans quàm aut Catholicum, aut saltem Christianum; sed in aula totus, eáque illorum temporum propria. Post spectatum tamen, & auditum Campiani cum aduersariis conflictum, primos viro satus, & desideria infudit Deus, mutationis in religionem, vitámque Catholicam, ad quam illum Patres Hayuuodius, & Vvestonus excoluêre

diuinis

diuinis præsidiis; ipse illam constanter in carcere pretiosa morte coronauit spreta Reginæ gratia, promissis, & opibus, si vel pedem inferre in templa protestantium cogi posset. Claudo solennes has Campiani disputationes, Alani epistola Romam scripta, facit enim ad ea quæ sequentur. Quotquot, inquit, hic sumus, erat autem Remis quo perferebatur ad illum ex Anglia quicquid circa Religionem moueretur, vehementer doluimus, prehensione, & carcere Campiani, certum tamen habemus communi omnium iudicio, & assensu, ad rei Catholicæ propagationem, nihil potuisse felicius aut admirabilius euenire. Euocati sunt Principes doctrinarum ex Academiis, vt committerentur cum eo eiúsque sociis; ex quo ille conflictu, opinione quoque aduersariorum, ac prope confesso semper victor exiuit. Hostibus igitur in illum præter tormenta nihil supereſt] quod nimis certò Alanus diuinauit.

Torquetur iterato, crudeliúsque Campianus. Aduersariorum effrons audacia, qui vulgarunt illum mitissimè habitum. Quis esset P. Iacobus Bosgrauius? eiusdem quis lapsus in frequentandis Protestantium templis; eiusdem pœnitentia, & carcer. Stylus capitalium iudiciorum in Anglia.

CAPVT V.

CAMPIANI deprauatione in verum aut fictum Protestantem à Ministris Regiis desperata, ad præiudicatam venero sententiam qua stabilierant sic eum de medio tollere, ne Religionis causa videretur, sed status publici occisus; cuius rei colorem in, vt censebant, plusquam idoneum, in promptu haberet Optonus, responsum cuius haud pridem meminimus ad literas Pondi; quod ipsi eum vellent de rebellione intelligi, cuius esset vel auctor vel conscius, extorquenda erat cruciamentis grauissimis, noxæ tam atrocis confessio. Igitur Octobris tricesimo primo, tertium equuleo admouetur; & quartùm biduo post, quo de vltimo cruciatu, etsi nihil scriptum reperio, nisi *crudelissima tormenta*, sed quacumque tandem machina tortus sit, defectiones eiusmodi passus est vt se in iis putaret animam acturum, idémque crederent tortores; distulit illi mortem Deus, & magnæ sibi futuram gloriæ, bonóque

animarum in publicum, premi noluit spelunceæ infamis lethalibus tenebris in quibus torquebatur. Quæ interrogatus fuerit de Hiberniæ tumultibus, & Bulla Pij V. commodiùs alias; pauca nunc refero de patientia illius inter dolores sæuissimos inuicta semper, & imperturbata ex iis ipsis qui fuêre illorum spectatores. Illis quantumcumque immanibus, nec generositas excelsi animi concidit, nec robur defluxit pietatis, nec vultus serenitas à quotidiana & natiua desciuit; apertos in cœlum oculos, & linguæ cum Deo colloquia lamentantis vox nulla, extraordinarij gemitus interpunxit. Pendentis in equuleo prolixum cruciatum miseratus quidam ex carnificibus, saxum illi pede sub renes aduoluit vt sidente in eo tantisper pondere corporis, mitius tenderetur; egit humaniter carnifici gratias, & tùm illi, tùm eius sociis, liberaliter & vltrò veniam retulit, piáque salutis monita. Demum ex equuleo dimissus, ob luxatas toto corpore iuncturas, membris omnibus captus, cum inter brachia tortorum reportaretur in carcerem, Ecclesiæ hymnum, solennem cecinit *Te Deum laudamus*, peregitque ad finem ea pietatis dulcedine, vocísque firmitate, vt Nortonus ipse tormentis reorum ex officio adesse solitus, pro miraculo duxerit inauditam illam magnitudinem animi, vndique eminentis. Ex iis vero qui eius colloquium à custode carceris emebant, narrauit quidam Alano Doctori, quod Romam Alanus ad Rectorem collegij Anglici in hæc verba scripsit. Hominem, inquit, mecum hic habeo, qui die sanctorum omnium honoribus sacro, egerat cum P. Campiano. Eius brachia viderat fasciis obuoluta, vt qui pridie illius diei fuisset crudelem in modum torquendo distractus; consolabatur tamen adeuntes. Integrata sunt illi postridie tormenta, præ quàm antea tam diro cruciatu, vt ferè animam in iis efflarit] sic disertè Alanus, addens Ecclesiam, parem viro illi habere neminem. Quærebat ex eo custos post vltimam illam præcedentis diei ferámque barbariem quam sustinuerat, qui manus valerent? non malè, inquit, nam neque si manus habeam sentio; pendebant enim emortuæ, ac velut brachiis assutæ. Vidénsque se illarum, & pedum nullo posse ministerio iuuari, elephantis aiebat esse consimilem, qui semel prolapsi, non valent in pedes sese erigere, quod (inquit vulgus) iuncturis careant. Post vsu manuum redeunte, cum nondum altera cibum ori posset admouere, sine alterius conatu, iocabatur etiam lepidè in suas miserias, aiens se bellè simios, edendo referre. Custos denique carceris diligentissimus eius obseruator, nihil vnquam in eo notauit præter excelsitatem animi dolores suos infra se positos despectantis. Quæ idcirco putarunt minutatim scribenda Catholici quod inconcussæ ad mortem pietatis & tranquillitatis non dubia essent argumenta. Calebat tamen Londini passim rumor, eo mense qui ab eius tormentis ad supplicium vltimum interceßit, cruciatus illi fuisse sæpius iteratos, ignota & varia laniena, nam in schola Optoni (sic vocabant specum torquendorum) retinebatur silentium impenetrabilis secreti, at si verè ad Regem Hispaniæ Philippum cuius erat in Anglia legatus, aliena manu scripsit Bernardinus de Mendoza, visos esse digitos

digitos Campiani, reuulsis vnguibus, nudatos, non facile is rumor, inanis debebit, vel etiam dubius censeri.

Iam si qua in causa iuris Administri, fidei ruinas, & Sacerdotum mortes sacrilegas æmulo ambitu captantes, proiectam frontem vnquam nudauerint, id in Campiano potissimum ausi sunt. Fuêre spectaculo cruciamẽta eius immania; & duodecimo ab hinc die, pro tribunali Iudicum supremo publicè productus, mille oculis testibus, nec manus euoluêre fasciis, nec quod actus illius poscebat forma leuare in altum, brachium valuit, sed oportuit alterius adminiculo attolli velut foret membrum cadaueris; post hæc impudentiæ fuerunt tam inuerecundæ, vt confiderent, Reginæ contraria omnia se persuasuros, illusuros Londino, & excæcaturos totum regnum, totámque Europam, voce libríque conteſtando, cum Campiano Iesuita, iusto humanius actum esse, illum tam tenui affectum tormentorum sensu, vix vt possent tormenta nominari. Verum sub hæc ad Reginæ aures peruenit atrox fama quæ illius damnabat barbariem, & Iezabelem vocabat Anglicanam, vulgabátque libris vniuersa, quæ Cæcilius, Vvalsinganus, Optonus, & alij eandem in fraudem fœderati, omni studio occultabant; quare illos Regina grauiter obiurgatos, quod sua ipsorum feritate, dedecorassent clementiam Regiam, vetuit in posterum, grauioribus tormentis quærere; causas & iudicia maiestatis coniecturis leuibus struere; & ex subtilitatum chimeris ius dicere. Excusarunt ij factum, vulgasséque putatur excusationem Cæcilius, libro cuius est Index, Iustitia Britannica; Sacerdotes nimirum mitius, quàm essent commeriti nunquam non habitos; nunquam accersitos, rogatósve de religione; machinamenta illorum in patriam, & Reginæ caput, violentis inditiis, & probabilibus comperta, iustis fuisse damnata sententiis. Campianum vero, tam apertè nunquam fuisse cruciatum, quin statim post ad incessum pedes, manus ad scribendum haberet expeditas. Est hæc disertè Camdeni narratio, qui planè Cæcilio mancipatus, sed Reginæ historicus, negat purgatione hac fuisse contentam, quod suopte ingenio in clementiam propenderet. Quam tunc rebus ipsis euidentissimè commendauit cum Sacerdotibus septuaginta Catholicis mortem exilio mutauit; de quo nos suo loco; illorum itaque sex & centum, quos regnante illa necatos recolo, mortes sacrilegas & acerbas, Ministrorum eius, indoli barbaræ, & crudeli tribui oportebit, cum illa famam clementis Reginæ tantopere ambiret. Verum integro ab hinc solum triennio cum illos iusserit sæuire mitius, quæ ante mandauerat eadem qua prius feritate in opus collata sunt, vt verè omnino in Campiano grauis historicus aduerterit, quæstiones Hispanæ inquisitionis, ob quas Protestantes tanto strepitu tumultuati sunt, videri flores, & rosas posse; Si conferantur cum carnificina quam exercuêre in Sacerdotes Catholicos.

Campiano quidem post tot supplicia, præter vitam nihil superarat, & fixum erat Ministris Regiis hanc illi ademere, occidendi causas quam multas potuêre inter se commenti sunt, támque in speciem supra omnem modum capitales, vt quantulumcumque iis colorem allinerent persuasuros se

populo crederent Campianum nec Religionis reum, nec insontem mori, sed eius portenti cuius inditia, quæstionum atrocitas, constanti, iustóque silentio tolerata, non purgasset. Collectis capitibus accusationis quibus adorirentur innocentem, meditatíque fucum probabilitatis quem iis aspergerent, diem dicunt solenni iudicio Nouembris quartum, & decimum. Verum quia illic iudiciorum forma longè est ab nostratibus diuersa, explicanda est hic prius saltem leuidensè, ac simul quis ille fuerit de Societate qui cum Campiano protrahi iussus est tribunal.

Iacobus Bosgrauius Godmastone Dorcestriæ claris natalibus, puer extra Regnum, & Romæ plurimum educatus est ritu Catholico, vbi etiam Rhetoricis & Philosophicis literis excultus Societati nostræ se adiunxit anno sexagesimo quarto post sesquimillesimum Nouembris decimo septimo, eíque diu suam operam probauit in Morauia Olmuzij, in Polonia multis locis; Vilnæ in Lituania; Rhetoricam docuit annos duodecim; Hebræa, Græca, Matheſim, & Philosophiam professus est, insuper quæstiones inter nos & hæreticos controuersas, vbique fructuosus, laudatus, & apud Regem Stephanum gratiosus. In hac laborum perseuerantia, valetudine tentus pertinaci reuocatus est in patrium cœlum, ad eam expugnandam auræ natalis præsidio, illic idem fuit portum legere, & capi; tenetur illico, ducitur, Londini consiliariis Regiis sistitur anno 1580. Septembri ineunte, Campiani & Personij penitus ignarus, qui bimestri prius illuc appulerant; ignarus & fraudis qua Catholicos circumueniebant Protestantes, vt templorum suorum simplici aditu viderentur sectam eandem profiteri; & interrogatus à consiliariis quis? vnde? cur? ingenuè respondet, Sacerdotem se esse Catholicum, Societatis IESV Religiosum; illuc à maioribus remissum ad recuperandam haustu cœli natiui sanitatem, quod apertè monstrabat oris squalor, & expeditus in linguam Polonicam sermo; in maternam lentus, & hæsitans vt quam desueuisset à puero. Inde admodum vrbanè & comiter, ex eo quæsitum, num esset libenter cum Anglis cœteris, viris probis, & Reginæ fidelibus frequentaturus templa? suspicaretur an non fraudem, simpliciter magis quàm consultè respondit, se facturum, & fecit aliquoties, adiítque nihil subueritus, securus quidem, offensioni se futurum nemini, cum in Germania, & in Polonia ad audiendas conciones, & spectanda sacra passim id fieret, nec Lutherani propterea censerentur aut Catholicum profiteri, aut Catholici Lutheranum; ipséque inde in animum nihil sibi priuatim damni metueret, sed linguæ interea patriæ prædicantibus audiendis memoriam vellet vsúmque refricare, & ceremonias illorum spectando discere. Qua defensione postea, facti culpam tam inexpectati, fategit ab se amoliri, & offensionis publicæ sedare piaculum. Triumphabant enim Protestantes, à Iesuita, eóque Theologo, & controuersarum Magistro quæstionum, definitum, ipsóque confirmatum facto licere Catholicis, Reformati ritus templa, cœtúsque liberè adire, eiúsque publicam meditari approbationem. Catholici ad hæc portento primum attoniti, post grauissimè offensi dolere facinus, cui fidem negari non sinebat Bostgrauij

libertas

libertas inter hæreticos promiscua, dum Campianus, Personius, alij Sacerdotes vestigiis omnibus, ad vincula, carcerem, & supplicia quærerentur; Catholici cœteri grandi pecunia emebant quot mensibus, ne sibi liceret, quod sibi Bosgrauius licere religioni non ducebat. Occurrentem ergo partim velut profanum declinare, partim efferatis figere oculis, abominari partim tanquam apostatam. Qua ille rei nouitate aliquamdiu stupens, nec valens causam diuinare, tandem questus est cum fratre non modo se frigidè, sed proj è inimicè passim à Catholicis accipi: non poterant melius, & fructuosius hæ querimoniæ, quàm apud hominem deponi, vitæ quidem vt minus castigatæ, ita fidei sinceræ, serióque, ac verè Catholicum, quare ab eo magna libertate, verbísque grauissimis edoctus, iure commeritum, non modo vt omnes Catholici ab eo refugerent, sed abhorrerent quoque velut ab exsecrabili, simul didicit, quid piaculi fuisset in adeundis Protestantium sacris, & cœtibus, ac stupore perculsus vehementi suam cœpit videre, & incusare stultitiam, eadémque opera emendare, scripsit enim ad Regni consiliarios, contestatò illis denuncians mera se Regni, & rerum ignoratione, ab iis deceptum errasse, erratúmque damnare; adiecit mox alteram, (quæ post edita est) ad Catholicos omnes epistolam, cum eadem contestatione, & doli quo sibi os sublitum fuerat rationibus explicatis abundè pro se satisfecit. Sed multo plenius, cùm captus, tractúsque in carcerem, quem martialem equitem vocitant, in partem subiit ærumnarum quibus illic Sceruuinus, & Hartus Sacerdotes Catholici conficiebantur, & à mense Decembri, occasione disputationis de qua narrauimus, in Turrim translatus est.

Iam stylus in Anglia fori capitalis, idem est qui fuit à veteribus Nortmannis institutus, cui meo iudicio ad perfectionem addi nihil potest, nisi vt eius integritas cum omni permiscuè personarum genere teneatur. Mihinè id optabile sit patebit ex gestis Ministrorum qui Elizabethæ à consiliis fuerunt. In primis itaque tota iudicij & intima ratio omnium auribus, & iudiciis palam est quibuscumque lubitum fuerit adesse; nec de fama, & capite vnius hominis, quatuor aut trium hominum secretis arbitriis luditur, quorum præter se testem, & iudicem habeant neminem; illic iudex, eiúsque iudicium, multitudini prostat vniuersæ, quæ maiorem aulam palatij complet Vvestminsterienſis, quæ sedes est summæ iurisdictionis, quam scamnum Regium appellant, damnátque reos majestatis. Quales fuêre sub Elizabetha, quorumcumque nomen Religionis causa deferretur. Priuatim quidem & confusè omnia colliguntur quæ inueniri contra reum possunt, testimonia, suspiciones, iudicia, coniecturæ, accusationes, calumniæ, vera, falsa, incredibilia, quandoque nec possibilia, sed ea omnia reus leui flatu negando discutit, nec tamen abs re, vt clarum post fiet proponuntur. Dicto ad causam die, adest in purpura, supremus iuris in Anglia Præfectus, grauitate, cui nulla vsquam par, intrantem quatuor iudices illo vno minores, accipiunt medium; iis considentibus, sedent alij notæ inferioris forenses Ministri. Stat reus in pedes inter septa, quæ ordinarios iudices à maioribus

discludunt, nisi hanc illi facultatem, tormentorum vis recens abstulerit, aut prærogatiua sanguinis concedat; à tergo custodia satellitij forensis; aulæ cœteram partem, spectator aut frequens aut rarior, pro conditione causarum & reorum. Reus voce præconis, quanquam præsens citatur de nomine, causáque illius summatim proponitur, simulque à Præfecto iuris ad eam cognoscendam Iudices viginti quatuor, ex quibus duodecim legit postea nominatim, quærítque ex reo, num quem ex iis exceptum velit; si quos excluserit substituuntur eorum loco alij quos probet, & quibus contentus sit; nec obest illi Præfecti delectus, dum penes ipsum est quos voluerit probare. Iuratorum nomen ferunt ij Duodecimviri, quod iurati promittant se ex vero, & recto in præsenti causa pronuntiaturos, eorúmque iudicium cognominatur veridicum; & hi quidem referunt populum, Regem inter, & reos medium, rationes vtrinque aut legitimas defensuri, aut secus damnaturi: quare ex populo ferè deliguntur, quanquam inualuit vt indulgeantur iudices accusato, qui ad eius conditionem propius accedant. Nec est eorum muneris cognoscere *quid iuris?* ad amussim legum ab Aduocatis oportuit diligentissimè peractum; sed de facto solo ferre iudicium, ex probationibus vtramque in partem, quas à reo, & actore ductas, Aduocati coram detulerint; nec item de facto seorsum singuli, sententiam proferunt, sed examine perfecto, recipiunt sese in conclaue, à quo custodiis acribus arcentur vniuersi, qui eorum de reo interpellare arbitria, verbo aliquo possent. Soli ergo inter se consulunt; sit, necnè satis cumulatè probatum. Seruatúrque sanctè lege perpetua, inde ne exeant, nisi omnium assensu in vtrumvis firmato; cui vel vnius si desit suffragium (vt est quorumdam pertinax genius) coguntur inedia inter se conuenire, nec ad eos prius cibi quicquam aut potus infertur, quàm omnes conuenerint. Post hoc redeunt ad tribunal, & quem ex suo consessu, legerint clara voce denuntiat *Gilti*, quod lingua illorum reum sonat; vel non Gilti, hoc est minimè reum; & in hanc sententiam, supremo iudici omnino pronuntiandum est. Datis ergo vt dixi duodecimviris, fas est cuilibet in reum, vel pro reo testimonium dicere, completúrque hoc actu tragœdiæ prima pars; continet altera iudicationem, seiungitúrque diebus aliquot à priori, quibus fisci patronus, & alij qui causan Regis acturi sunt, suas parant in reum accusationes, eam ob rem præfixo ad vltimam, & solennem sententiam die intra cancellos etiam ipsi sedent, cum multis quorum tunc vsui opera Ministris.

Sedente cum suis minoribus quatuor Collegiis summo iuris Præfecto & Duodecimviris, reum præco iterum citat nominatim, extra cancellos stantem, è regione tribunalis, qui vt possit distinctè à suis iudicibus agnosci, brachium attollit, audítque mox coram sibi recitari confusam illam congeriem verarum falsarum, etiam nec probabilium nec possibilium cuiusvis generis accusationum quas duximus ex stylo forensi solere colligi; has simul & omnes & verbo vno si neget, pro indictis habentur, & nullis, nec est propterea inanis, vt videtur hic ludus, agitur enim cum reo interea velut innocente,

innocente, quamdiu potest si vult non censeri reus, verum hoc velit grandi suo periculo suscipit; resumens enim quæ illi obiecta sunt. Præfectus iuris, cuinam ergo vis, inquit, causæ tuæ iudicium credi? ad hoc reus quem tenet iustificatio omnium patriis legibus concessa, verbis suis obstrictum, ex duobus alterum respondet, vel se Deum causæ arbitrum poscere; vel se illam Deo, & patriæ credere. Ac illo quidem responso priori exhausta censetur causa, sed nocens vel insons, omnino moritur, & hanc sibi vltro, & sciens mortem legit, cum optet Deo vni suam causam committi; morte tamen hac vitat infamiam, familiæ probrum, fisci exactores, mendicitatem filiorum, supplicium publicum, & reis commune, cum reus non fuerit damnatus. Verum enim vero paucorum est, tam crudum & ferox magni animi robur vt velint hæc omnia extra se posita, sua ipsorum morte lenta crudeli, & horrenda redimere. Humi enim supini sternuntur, saxo tantum renibus subiecto; tabula onerantur, quæ saxis paulatim grandibus premitur ad hoc destinatis, ne festinato pondere rumpantur, sed longam trahant & terribilem vociferando, gemendo, mugiendo mortem, & gratiæ loco aggerari lapides flagitando, quibus ægrè tandem obtriti disrumpuntur, quare vulgo alij respondent, optare se iudicem Deum, & Patriam. Ad hæc vero Iudex; & Deus, & Patria, cuius agimus partes vicarias, cum his duodecim, de te iudicio statuent; quibus dictis, *Suggestor* quem vocant, euidentiam recitat, hoc est rei causam tormentis, & quæstionibus examinati in carcere, illic si crimen negauerit; vel confessus, nunc ratum non habeat; fisci pro Rege patroni tunc prodeunt, dicendi artifices maximi, & loquendi, declamántque in reum vehementer; prodeunt & testes publicè; palámque obiecta, palam reus vt potest refelli, quibus tandem vtrinque dicendo saturis, summatim Iudex quæcumque sunt dicta retexit, & ad sua capita reuocat, vt sit animo præsens Duodecimviris compendiaria omnium ratio; cum hac secedant deliberaturi, vnde si *Gilti* referunt, id est Reum qui accusabatur, surgit fisci patronus & Regis nomine Prætorem rogat seu iuris Præfectum, vt ex iudicatis ferat sententiam; conuersus ad reum Præfectus, ex eo quærit num quid illi in mentem veniat, quo probet differri opportere? si nihil succurrerit, postremùm de illo pronuntiat. Commendatúmque diuinæ misericordiæ, Vicecomiti tradit Londinensi, vel Sceriffiis, qui gradum aliquem honoris inter Ministros tenent, & conferendis in opus præsunt iudiciorum sententiis.

Antiquum hoc apud Anglos iudiciorum archetypum, ex multis vt potui expressi authoribus, qui leuibus solum inter se differunt, & forte arbitrariis, nec iure vllo fixis.

Iam quid possit ex prauo illius vsu iniuriæ sequi, nec meum debeo interponere iudicium, sed neque posteros cælare quid Angli scriptores in eo doluerint, & reprehenderint; & quadrat illud quammaximè in Elizabethæ Regnum, causásque Sacerdotum, & Religionis Catholicæ diiudicatas iniquis lancibus ab eius Ministris, & infensissimis Catholico nomini, quanquam ipsa, (vt iuuat credere) minimè conscia.

Delectus primum duodecim iudicum ex opificibus interdum, planéque rudibus, & necessario acumine destitutis ad discernendum verum à veri specie; & rabularum loquacium mendaces rationes, à rei semi iam mortui, & ægrè spirantis defensionibus timidis, & perplexis. Deinde vt probè ista discernerent, non datur iis libertas censendi quod iure sentiunt, sed pecuniis mulctantur, & carcere, nisi ad mentem responderint Prætoris, quam redigenda in epilogum causa subindicat, nec satis dissimulat velle se reum ex merito damnari, aut absolui Tertium in more antiquitus fuerat vt referentibus ex suo consessu Duodecimviris, non Gilti, lætis clamoribus adplauderet populus; reus abiret absolutus; cœpti sunt postea compelli ad consultandum denuo, integrandúmque inter se iudicium, velut minimè obscurè iubeantur sententiam ferre priori suæ oppositam. Quartum vitia illorum, quos infamia, aut ætas, aut aliæ maculæ à testimonio dicendo arcebant, cuiusmodi fuerint aduersus Campianum admissa, ex eius constabit iudicio. Quintum, antiquitùs maiestatis violatæ quocumque gradu, reos nefas erat patroni vllius, aut amici defensione, voce, vel officio iuuari; soli pro se agebant nec meditati nec parati, sed cogebantur causidicis, & fisci patronis improuisi, imparatique respondere, pridem paratis, & in omni agendi vafritie, & fori cauillatione diu tritis; qui vias verè Philippicas sic data opera digerunt, vt verum, & falsum, accusationes, inditia, rationes in corpus vnum actionis nullo ordine congerant, qui possit à reo distinguí, aut memoria teneri tamen fanda infanda, probrosissima, & atrocissima in reum despumant, stylo fori Ro. veteris, & Athenienſis, & magna opus est misero liberi animi firmitate, vt appositè aliquid iis valeat referre. Hæc vt demus optimè concepta ad ingenerandum horrorem criminum quibus Regum maiestas læditur; at sanè perperam in causas traducta Catholicorum Sacerdotum, velut essent hoc ipso maiestatis rei, subeundíque iudicij ritibus iisdem obnoxij.

Accusationes

Accusationes Campiani, & depulsiones. Commune omnium de illius innocentia iudicium. Damnatio eiusdem tanquam rei violatæ maiestatis: sed veram populo aperit damnationis suæ causam.

CAPVT VI.

BIs de Campiano, iure quæsitum est; prius in aula, vt moris est, Vvestminsterienſi decumana; examine quidem minus solenni, & publico, sed in apparatum alterius inito. Illic Nouembris quarto & decimo sistitur Campianus; producuntur cum eo Rodulphus Sceruuinus, Iacobus Bosgrauius; Eduardus Risthonus; Lucas Kerbyus; Thomas Cottamus; Robertus Iohnsonus, Sacerdotes Catholici septem; & Henricus Hortonus, iurisperitus, sed laïcus. Prioris huius vadimonij elapsum est tempus colluuie accusationum atrocium iis recitanda, ob quas accersebantur læsæ majestatis; quibus silentio auditis, erant à singulis pro innocentia, vel simpliciter negandæ, vel confessione propria admittendæ. Innocentiam sigillatim responsione sua professi sunt, vt erant omnes penitus innocentes. Rogati quem causæ optarent iudicem? respondit Campianus, optare se Deum & Sacerdotes Catholicos; iuratus ipsum Deum, & quicquid vbique sanctum sacrúmque est, nec se capitalium in Reginam noxarum, quæ sibi obiiciebantur, nec maiestatis reum, sed neque conscium. Et erunt, inquit, vel Londini vel toto vsquam regno, tam proiectæ conscientiæ viri duodecim, quibus tantum sit frontis, vt ausint damnare coniurationis octo, quàm multi adstamus homines quos nunquam contigit simul esse; ferè omnes nusquam, nisi hoc loco inuicem videre? qua ille exclamatione, eorum quibusdam ad hoc iudicium delectis, tantùm iniecit vel pudoris, vel Religionis, vt Ministerium illud iudicandi, quod post dicemus refugerint. Sceruuinus prehenso ambabus manibus, cui pectus appressérat, cancellorum repagulo; Ego vero, ait, diuino iudicio causam meam committo', iisque non solum duodecim quos nominaturi estis in iudices; sed vniuersæ omnino patriæ; nam si ex veris instituatur lis; nihil est quod refelli à me oporteat; cœlum, & tertam voco innocentiæ meæ testes, & arbitros. Quod magno pro se animi ardore, & excelsitate dictum, excepit pro se ac sociis hoc apophtegmate, nos vera Religio, non ficta rebellio condemnat. His in Turrim Londinum remissis citantur in diem posterum Alexander Briantus, (tunc vt videbimus, iam

noſter) Scertus; Ricadſonus; Filbyus; Colingtonus; & Ioannes Hartus Sacerdotes, iis cauſa quod eſſet cum octo prioribus communis, Catholica inquam Religio, in coniurationis transfuſa fucum; relectæ ſunt eorum accuſationes, ad quas ſuam ſeorſum ſinguli, innocentiam conteſtati, cùm aliud non poſſent, tantum de ſe iudicium Deo, & patriæ permiſerunt.

Die Lunæ proximè ſequenti, Nouembris viceſimo habitum eſt examen alterum cuius maior fuit, quam ex omni retro memoria fuiſſet celebritas, etiam Principum capitalibus in cauſis. Stipabat aulæ vaſtitatem conferta hominum ex omni genere, & conditione multitudo, quos cauſæ atrocitas eò pertraxerat, deſtinata videlicet (quod accuſatores garriebant) rebellio, Reginæ cædes, & ſtrages populi; ægrè admodum probatu veriſimilia, creditu longè difficiliora; ſed cum ea Miniſtri Reginæ pertinaciter in longum ducerent, tenebat complures curioſitas obſeruandi quibus eſſent ambagibus, artibus, & modis, accuſationes ad propoſitum ſcopum perducturi, multos præterea vocarat deſiderium videndi Campiani, talis videlicet, ac tanti, qui erat primas partes in ea tragœdia acturus; cognoſcendíque certò, quod Catholici affirmabant, negabant aduerſarij; nunquam factum Optonus peierabat, an fuiſſet cruciatibus tam diris, atque immanibus diſtentus. Ad hæc omnes optabant audire, num pro fide, pro vita, pro innocentia perorantis, facundum ingenium, & generoſitas modeſta, expectationi hominum reſponderet, & famæ, ergo ſeptem eius appulſis ſociis opperiebantur illum ad iudicum ſepta, cum Tamiſi vectus in palatium appulit Vveſtminſterienſe tota qua tenditur Londino diſtans, ex quo exſcendit confertum vbique inuenit populum; accedénſque ad aulam omnium in ſe aduertit oculos; hinc breuis quædam admurmuratio quæ ſtatim concidit, omnibus in illum attentè defixis, & Catholicis partim illachrymantibus ad eius inceſſum ægrè fractum equuleo corpus, trahentis; partim vero ſuſpicientibus alacritatem coloris in ore viuido modeſtiam & magnitudinem animi quæ vt poſtea memorabant, ſereno in vultu maior ſolito ſegebatur. Talarem indutus craſſiori ex panno viliſſimam, & nudo capite, ſed capillato procedebat, conduplicatis intra manicas ad pectus manibus, plurimorum quidem poterat, nutu amico, & flebili ſignatus, & tacitè, teneritérque ſalutatus; niſi tantum perpaucis aſpectu aliquo hilariori non reſpondit. Præſentem ſocij inter ſe medium proclinatione corporis reuerenti exceperant, moxque tota in aulam prodiit forenſium turba, Iudices, Iurati, Oratores, Patroni fiſcalium, & quorum pars erat aliqua in tam graui, & publico conſeſſu; tres tamen deerant numero iuratorum, nobilitate & prudentia inſignes, quibus animo ſaltem, ſi minus Catholico, at Chriſtiano, & nobili refugientibus de iis cognoſcere quorum viderant ſcriptam, ſtabilitámque condemnationem, ſubſtituti ſunt tres alij. Citantur ex formula nominatim rei, reſpondéntque tollendo brachio ſe adeſſe; id Campianus vtrumque brachium geſtans ex equuleo enerue, & velut penſile cùm minimè poſſet, Sceruuinus, ſiue quis ex ſociis alius;

brachium

brachium eius dextrum, post libatam osculo reuerenti manum, in altum extulit, móxque suo loco reposuit. Sic composita lis inter decertantes an fuisset tam dirè Campianus, támque horrendum in modum tormentis fractus; & qui aderat Optonus execrationibus omnium deuotus. Sub hæc cæpit agere accusator Ioannes Poppamus causidicus, (volunt alij Procurator,) cui Andersonius, & Egertonius Collegæ, palmam linguæ audacis, & maledicæ facile concedebant; etsi erat magis verbosè disertus, quàm mediocriter orator, quod actione hac ita patefecit, vt post longissima & molestissima tædia quibus obruerat auditores, causæ adhuc ex eo proprium argumentum, & cardinem suspensi expectarent; nec ante desineret, iussus licet semel & iterum de causa dicere, quàm euomuisset quicquid sorbuerat, rebelliones nimirum Northumbriæ, & Vvestmorlandiæ, ab annis duodecim repetitas, & idcirco, quod prouinciarum illarum Comites, vtriusque auctores, fuissent Catholici. Ast vbi occœpit in Hiberniæ tumultibus insanire, à Stucleo, & Sandero ante biennium concitatis, itaque illos artificiosè, ac perfidiosè maligna obscuritate describere, vt qui adstabant Rei octo, viderentur illorum fuisse conscij, architecti, & actores; non tulit rabulam Campianus, & abrupto dicentis erratico filo, quid, hic inquit, aliena cum nostris, aut nostra in causa cur tam extranea producuntur, tantísque locorum, & temporum, & argumentorum disiuncta spatiis? de nobis, & ex nobis quærito; ad hoc sistimur, & adstamus, nulla de re alia responsuri. Reus es, dicito, maiestatis ob tuum illud à te dictum, aut factum; ac si tantum vales, vt verbum inuenias, quod ore, aut stylo mihi exciderit; cedo testes qui à me vel dictum audierint, vel manum meam probare potuerint; & de cogitatis tantumdem dicerem si sub alicuius testimonium caderent. Cœtera quæ nobis imputas, si ad nos non attinent, vt quid frustra in iis recoquendis & agitandis sudas? si partem in iis habemus aut vmbram, hoc vero age sis, explica, & proba. At enim scio, non facies nec tantum audebis, ne cogaris à limine regredi, & dicendorum inopia, in aliena euagari.

Hæc ille; in quibus historicus inter Anglicanos maximè celebris calamitosum suum relatis in chronicum, pro sua libidine lepide arguit, quod nunquam facere omittit, quoties Campiani, aut rei Catholicæ incidit mentio: iuratus enim nullius delectu omnium laudator quæcumque à Regina, Ministris Regiis, & tota Protestantium colluuie fierent in ruinam Catholici nominis, de iis ita scribit, vt videatur fuisse indubitanter persuasus, mente captos fore, cæcósque posteros quicumque se legerent, toties ille vbi nulla se prodit probabilitatis suspicio, sexcentis licet oculis quæsita, euidentiam exclamat, irascitur, spumat, conuitiatur, Sacerdotes potissimum Catholicos, idcirco ait impudentissimè mendaces, quod proiectè inficiarentur se in caput Reginæ, & ruinam Angliæ coniurasse, non quòd ea res vnquam somnio aliquo probabilitatis prætexi potuerit, sed quia Regni Administris decretum est, vera falsáve sit, eam Catholicis tribuere, velut confessione propria receptam pro vera, vt à Ministris, iu-

dicij perfidi, & iniqui auerterent maculam quo patibulo damnarent aliorum tantum testimonio quodam reos, sua tamen constanti, atque perpetua confessione innocentes. Hic ergo historicus, aliúsque haud multo melior, de quo inferius; illam memorans Campiani virilem fiduciam, qua loquacitatem abrupit Popami; hæc subdit (& Deo laus veritatíque laus, quæ styli adeo infensi coacto obsequio testimonium illustre pro Campiano dixit) his, inquit, placidè ab eo prolatis, & ore quidem specie aliqua indignantis serenum suum retinente, mireque ad tempus composito, cunctis qui aderant patefecit, quantus esset naturæ indole, quantus ingenio Campianus; catus vmbra fucare veritatem; opinionem sibi prudentiæ & scientiæ confirmare; norat enim priusquam pro tribunali sisteretur, quanta ipse clareret apud omnes vitæ, ac morum fama, & prærogatiui cuiusliber quod possit hominem ornare; negabántque palam illius amici, & fautores, nobis quem possemus cum eo committere, quemquam suppetere, adeò omnibus supereminebat. Repetitísque aliquot versibus Latinis de Catholicorum vena in laudem Campiani promptis, hinc certo conficit homo imaginosus, quod ne sanus quidem nisi malitiosè in exilem proferret coniecturam. Eo inquit, perductus Campianus vbi specimen sui publicum ederet, sustinere omnino debuit existimationem sui illustrem, & nobilem quam sibi apud omnes partam minimè ignorabat. Agere itaque eloquentia narrandi, elegantia dictionis, captionibus sophismorum, & plausibilibus inuentis, vt quod aliàs bellè apud alios ei processerat, fucum iudicibus faceret, iisque hac ingenuitate & dicendi præstantia deceptis, proditiones suas horribiles purgaret. Cum vero pondus accusationis totius à sociis tanquam insontibus, in se vnum auerteret; monitus est suum cuique onus sufficere, ipsíque adeò, qui se omnium iactabat maximè innocentem. Ergo (attendat qui hæc legit ad probationem immanium, & horribilium coniurationum, quibus Campianus eiúsque socij premebantur.) Ergo, inquit, lectæ sunt scripturæ, Sanderi, & Bristoui, proditionibus saturæ, in defensionem Bullæ Pij V. aduersus Reginam. Hactenus quod nunc est, quàm verax historicus, tam iuris consultus, & mirabiliter peritus, qui ad conuincendas Campiani, & sociorum coniurationes libros profert à Catholicis Sandero & Bristoo Doctoribus editos pro diplomate Pij V. non quod ij libri ad Campianum aut socios vllo modo, stylo, consilio, opera spectarent, sed quod crederentur cùm essent Catholici, à Catholicis scriptos approbare, tametsi nec vidissent vnquam, multo minus legissent, nam approbatio quam ait, sub sensum non cadit; & si eos probassent, nisi ex eorum confessionibus resciri non posset, quæ ad hoc nunquam fuêre adhibitæ. Sed de Pij V. diplomate fusiùs in alio eorum examine. De criminibus alienis non sine cachinnis auditorum Campiano affictis descendit ad ea denique Popamus, ex quibus probatis aut secus, formanda erat sententia. Contraxit illa Stouus, eius item æui Chronographus; diffudit Holinshedius, ingenium suum puerilibus ineptiis recreans quæ Campiano iocanti attribuit, totus cum coæuis historicis in eblandienda

dienda mœcenatis Cæcilij gratia. De obiectis igitur Campiano eiúsque sociis Stouus, (& meminerit lector Proteſtantium ſuorum lingua eum loqui) Nouembris inquit, viceſimo, in aulam perducti Vveſtminſterienſem Campianus Ieſuita & alij, ſeorſum finguli, & omnes pariter, accuſati ſunt maieſtatis, quod ſpreto patriæ amore, maluiſſent Romæ, Remis, & alibi extra illam ſub Papæ arbitrio viuere; cui cùm eſſent ad omnia ex voto obnoxij, polliciti ſunt opem omnem ad nefariam coniurationem cum Principibus cœteris in Reginæ caput, & regni exitium promouendam, & propagationem religionis ſuæ execrandæ. Ad hoc in Angliam remiſſi deſtinatò venerunt, die prius condicto ad ſolennem regni totius ſtragem, demptis qui ſecum arma coniungerent. Hæc ſibi obiecta, effrontes licet pernegarent, rei tamen à duodecim iuratis pronuntiati ſunt. Hæc Stouus, tam audax ſcribendo, quàm illi iudicando; velut ad ſtabiliendum iure aliquid tactum, nihil præterea ſit neceſſe niſi vt factum fuiſſe narretur; nihil ad conuincendam accuſationem, niſi vt ſcribatur, at enim nec tantum iudicij retinet turbatus animus; nec tantum conſilij fraudulentus, quin ſemet inuoluat, capiatúrque dum nititur capere; nuda ſolum eſt opus ſcriptoris huius explanatione, vt euidens fiat quid veri & recti ſuis inuolucris ſignificari voluerit. Particulatim ea euoluamus.

Ille imprimis ingens, & formidabilis Gregorij XIII. & Ducis Etruriæ apparatus millium quadraginta ad inuadendum Angliam præcinctus, ne vnius quidem gregarij peditis, aut æruginoſi ſtlopeti fuit. Iuuit tamen publici Miniſtros imbuere populum rumore ſuis conſiliis vtili, quem ſaltem in præſens (quod abundè iis erat) non ſinebat longinquitas examinari, aut diſcuti. Iam deſtinatio Campiani ad dimittendos ſcilicet fideles Anglos ab imperio Reginæ; quo tandem ſpectauit, niſi vt omnes illi ad omnia redderet obſequentes, quæ naturæ ac iuris inſtinctu debentur, & reſtitueret ei Catholicos Pij V. cenſura grauiſſima ab eius imperio exemptos; qua illos cenſura denuntiauêre abſolutos, Campianus, & Perſonius qui eam gratiam eorum nomine à Greg. XIII. impetrarant, neque id latebat Reginæ Miniſtros qui cum Campiano Pontificij reſcripti interceperant autographum homines Cæcilij, verbatim in ſua chronica retuliſſe, eoſdémque vulgaſſe Campianum à Gregorio illuc miſſum, vt à Reginæ obſequio Anglos auerteret; quò prorſus non poterant ſecum impudentius pugnare. Licet autem Reſcriptum Gregorij vetet, Bulla pij V. vllo modo obligari Catholicos *rebus ſic ſtantibus, ſed tùm demum quando publica eiuſdem Bullæ executio fieri poterit*; quis non videt eam facultatem, Bullæ in opus, quandocumque tandem, conferendæ, non pertinuiſſe ad præſens tempus, damnatus eſt tamen Campianus ex præſenti, non ex poſſibili aut fruſtra metuendo, cuius metus futuri, nulla inditia, nullæ vmbræ tunc eſſent. Somnium fuit (figmentum veriùs) Roberti Abottij qui ſe nobis prodeſt alibi clarius, ſuas illas de Campiano chimeras gratuitas, pro conceſſis & notis ponere, fuiſſe illum conſiliorum participem, conſcium arcanorum, coniurationum adminiſtrum, & executorem, quibus Reges externi & po-

puli (quales, quanti, quammulti nesciuit, cum scire non posset quod non erat) conspirabant, ad magnam Britanniam, credo, funditus remulcandam, assuendámque regno extraneo. Ad hoc tam sollicitè curatum, vt cum extraneis sociarentur indigenæ; Reformati Catholicis; membra feminei capitis; cum Ecclesiæ capite, Christi Vicario. *Hic*, inquit, *Campiani labor, & cæterorum fuit; huc omnes conatus applicuit, vt nomine religionis, quoscumque posset, ad factionem Pontificiam adiungeret; quos ille non ignorauit, mox vbi opportunum foret, cum exterorum copiis ad Regnum Elizabethæ debellandum coalituros.*

Demus testibus locum, pars licet infamibus, pars prope puetis, atque inauditis; admissis nihilominus ad hoc status publici tribunal, creditísque probare euidenter coniurationem Papæ cum fœderatis Principibus, in Reginæ caput, & Regnum Angliæ. Dixit pro testimonio Ioannes Crodoxius mercator, menses Romæ viginti detentus, audisse sibi gratulantes id infortunium, quod clausus carcere, non esset suis oculis hausturus instantem Angliæ toti cladem. Dixit Carolus Sledius, pauper, venalis apostata, Romæ olim Mortoni Doctoris famulus, dixit inquam iuratus ab se sæpenumero auditum, de *magno die* hoc est supremi iudicij simili; quo tota Anglia, ad certum quem ignorabat diem, ferro, & flammis deleretur; hæc, præterea nihil, ad causam attinens dixêre, nec qui eos producit historicus, quicquam quod adderet inuenit. Fuêre tamen hæ vt cuilibet palam est, meræ nuces, recepta passim argumenta coniurationis euidenter probatæ. Nam quæ proditor Campiani dixerat Eliottus, à Paino sibi fuisse prodita, (Sacerdote sancto, & morte glorioſa, pro fide Catholica defuncto) non magis spectabant accusatos quàm è Catholicis quemlibet; in quibus quicquid damnaretur, accusatis quoque nempe Catholicis, proinde consciis vulgus stolidum tribuebat, & iure damnari non tam colligebat, quàm pro certo probatum statuebat. Coniuratione ergo Papæ, tam indubitato videlicet duorum testimonio stabilita; Campianum & cum illo reos, illius esse administros altera deinceps hac euidentia sic conficiebat, vouent Sacerdotes seminarij Anglicani, absolutam Pontifici maximo obedientiam, quacumque in re voluerit; atqui mortem Reginæ regníque excidium, demonstratum est eum velle; huius itaque voluntatis & operis administri & curatores estis; ex hac tam noua, tam lepida, & solidè certa colligendi forma, quæ in dialectico puero rideretur, tam augustum tribunal non puduit agere, & in octo insontes victimas infamis supplicij ferre sententiam! erant falsæ seorsum singulæ propositiones; falsum Pontifici ad quæcumque vellet obedientiæ promissum; falsa coniuratio Romana; falsum istorum cuiuslibet ex alio consequens, & nullum; fuit tamen voluntas Senatus grauissimi voluntas, inquam, vt pro euidenti hæc demonstratio vulgaretur. Defendit contrarium Campianus plus hora integra, luculentius (sic inde scribitur) meridiano sole, tulítque defensionis necessariæ, & iustæ fructum vt agerentur in rabiem Iudices, quod fixum iis esset illum occidere, sed in speciem reum, quam sibi speciem cernebant adimi,

adimi, seque omni sublato colore probabilium accusationum, celeberrimo in theatro spectaculum fieri iuris perperam, est iniquè dicti. Perorauerat pro se ac sociis Campianus tam efficaciter, vt ab eo dicta malè concoquerent, & Protestantium deinde historici, quorum vnus à vero scripsit adeo aliena, vt obliuioni ea videatur non memoriæ mandasse; suam nimirum Campianus tum priuatam, tum sociorum innocentiam, manifestis defensionibus sic asseruerat, & offensas illi à Popamo eiúsque collegis sic depulerat nebulas, vt nullum iustæ damnationis fucum iis relinqueret. Questus fuerat in hac causa nihil ex probatis, omnia decerni ex falso concessis, falsóque positis; inde omnia quæ consequerentur, imaginaria esse, & somnia. Tantos videlicet belli externi apparatus, quantis opus erat, ad obsidendam primùm, deinc ad oppugnandam, subiugandámque Angliam, hactenus latuisse; Reginæ perspicacissimæ fugisse prudentiam, sagacitatem suspicacissimam consilij Regij; oculos mille in bonum publicum vigiles, & fœderatorum publica monita; tot inquam & tantos apparatus nec ante vulgatos, sed nec leui prius rumore auditos, quàm capti essemus? nec mente alia, finevè rescitos, & receptos nisi vt ex iis damnaremur? nam si Italia, Hispania, omnia, in Angliam mouent, vbi par Anglorum, qui eis resistat apparatus? at enim faciunt sapienter Angli, qui aduersus fictos exercitus arma non parant sumptuosa, & vera. Seditioni vero intestinæ, tumultui, & ruinæ quæ in magnum diem instruuntur; quænam potest veri vmbra obduci, præterquam nostri gratuitum odium, iuuat hæc credere, vt eorum nos damnent administros; iuuat non credere, ne malo cogantur occurrere? mihi dicite oro! tantæ rei moles, regni euersio, regnantis mutatio; noua legum; noua religionum iura (nihil enim leuius complectitur crimen quod nobis impingitis) possent hæc secluſa consciorum turba, fœderatorum sequacibus studiis; sollicitantium perfidia, machinatione, mandatis confici? cur non ergo vbique delegatorum, quæsitorum, & iudicum turba? exploratorum indagines, regni totius excubiæ, in omnes cuiusvis Catholici, motus, nutus, ipsáque adeò cogitata? estnè hactenus vel conspecta imago, vel afflata aura coniurationis? tam certò ponitur nulla esse, vt ne quæratur quidē; tam certo ponitur certa esse vt *Euidentia* nūcuparetur, deerit alioqui iudicibus color, quo me morti addicant tanquam caput coniurationis; istos tanquam illius administros. Si foret ex integro mera calumnia instruenda in causam, mortem innocentis, an posset aliis niti principiis, alióve progressu circumduci? affingitur nobis intentata Reginæ mors; Regno pernities; nationi vniuersæ strages; domi latemus annum iam solidum mouemúsque, aiunt tanti machinamenti opus, mandamus, digerimus, promouemus; nugæ! ne verbum quidem contra nos profertur siniſtræ capax explicationis aut suspicionis. Quam multos hactenus Sacerdotes Roma, Duaco, Remis, è seminariis in regnum reduces torsistis, excarnificastis, equuleo, Scauingeride, insertis sub vngues muricibus, compede pensili, inuerso suspendio, fame, siti,

subterraneis specubus, aut absimilibus tartareo barathro? quid autem ex quopiam illorum vno tantum extortum à vobis est aliquid, non dico confessionis perspicuæ sed vocis aut syllabæ ex qua posset conuinci reus; cæteri ob culpæ similitudinem in suspicionem trahi. De Sacerdotibus quid loquor? Intimi quondam nostri, versis nunc armis, & religione, vestri sequacibus nobisque infensi, nec tantum sciuerint, nec tantum audiant, vt fictum etiam contra nos singulare aliquid testentur. Testem se iactat Eliottus coniurationis, quæ fœderatos inuoluit saltem quinquaginta; adest is præsens, in medium prodeat, ex iis vel vnum de nomine appellet. Dicebam Lyfordij ex sacro pulpito rumpi mihi pectus culparum dolore quibus patriam meam tantis, & tam latè diffusis cernebam laborantem; illius potissimum quæ esset omnium maximè capitalis, segregatæ nimirum à Catholica fidei, & subductæ vero suo parenti, & summo Pastori, Romano Pontifici obedientiæ. Deplorabam cæcos, à cæcis duci, & in eandem pernitiem ex concionibus, & pulpitis trahi: vtrósque die illo vniuersalium rationum formidabili & horrendo, apertis sed sero coram iudice omnium oculis accusatores fore sui mali, desperati hunc, & insanabilis. Audiuit dicentem Eliottus, & dicta retulit. Vos diem supremi iudicij, in supremam transuertitis, transformatísque Angliæ ruinam à summo Pontifice designatam, & ab Anglis Sacerdotibus ducentis susceptam, qui Cardoxio præsente, sed solo, & iurato sua Romam misêre nomina vt adscriberentur inter coniuratos: sic enim nostra solummodo causa, mutarunt naturam coniurationes, & vbi nihil solet iis esse sanctius silentij arcano; nostra hæc de capite potentissimæ Reginæ, Regníque exidio custodiis vigilantissimis muniti, palam, & promiscuo in foro, digesta est, & contesserata, tam libera in luce vt mercatori agenti licuerit sua illam honestare præsentia, non velut socio, & Ministro, sed de illa vt coram pro testimonio hic vobis diceret, profiteretúrque se testem auritum coniurationis; oculatum vero nominum ducentorum, quæ in eam dedissent totidem Secerdotes. Per me quidem illi adhibeatur fides; sed hac saltem lege vt de tot illis in regnum regressis vel vnum designet, & in os præsenti exprobret; tu ex illis ducentis vnus es; nos eorum censemur in numero ex temerè creditis falsóque positis, inde conficitur Anglorum milliones fuisse à nobis Reginæ imperio subductos, & pro Euidenti statuitur, & Euidentiæ nomine vocatur. Ah! tangat vos oro aliqua tribunalis vestri, & honoris fama; date vnum tantum, & victus do manus, ex illo vno, reos esse fatebor sexcentos. Sonat maior Romanis, Remensibus, & longinquis de rebus strepitus, quas præiudicata fide pro veris credere in rem vestram facit, nobis frustra sit negare. Papa in armis est aduersus Angliam; quos educat in seminariis Angli, voto illi tenentur, obedientiæ ad quæcumque iusserit expeditæ. Vultis à me hic vobis, apprimè omnium conscíis, Europam omnem in contrarium produci? hoc tamen si negamus, effrontes dicimur. Nobis enim constanter negantibus; vobis nulla probatione id asserentibus, iam omnis & coniuratio, & rebellio, & proditio

euanescit,

euaneſcit, nec vobis ſupereſt vel nocturni ſomnij imago ex qua poſſimus à vobis damnari. At ſi vobis tantopere cordi eſt habere nos reos majeſtatis, cur non inquirimur de miniſteriis Sacerdotum, quæ ex noua legum ſeueritate nuper inſtaurata, apud vos capitalia ſunt, & rea violatæ maieſtatis? nemo vnus ex nobis inficiabitur, cunctabitur nemo ſe reum proclamare; in Tibornum, & furcas, & ignes excurremus læti. Nullus ergo nos agit mortis metus, ad negandum quod reipſa eſt falſum, & ne in ſomnis quidem à nobis cogitatum; quando illa vltro profitemur, quæ non ambigimus proditorum ſupplicio plecti.

Dicenti Campiano (dixit autem multis, ſed interceptis horis) adplauſum eſt ſummo auditorij omnis ſilentio, expectatione, admiratione efficaciæ, & ardoris, cum prudenti vbique modeſtia; ipſíſque adeò à Proteſtantibus, mira commendatio acceſſit. Is quidem haud palam & apertè innocens vocabatur. Sed tacito omnium aſſenſu, & diuinabant ita confidenter quicquid ſociis fieret, illum omnino abſoluendum, vt de eo etiam aliqui ſponſione certarent. De ſociis nulla ſuberat ratio dubitandi, niſi obſtitiſſet Caddeus quidam annorum iuuenis viginti duorum, & paulo adultior, ſed multo malitioſior, Mondeus; vterque breui ſeminarij alumnus, deſertor nunc fidei, promptúſque pane periuria vendere, & innocentum ſanguine victitare. Teſtati fuerant priuatim (contra quàm debuit) vt erant à Miniſtris iuſſi, Romæ, ac Remis vltimo Martij ſuperioris anni actum eſſe in ſeminariis Anglorum de tollenda è medio Regina, regno Angliæ ſubuertendo, tradendóque in poſſeſſionem alterius Principis: cuinam vero? planè ignorabant. Hinc qui aderant Sacerdotes Catholici; & ſeptem poſtridie, pronuntiati ſunt rei delatæ ad coniurationem propoſitam operæ, Briantus; Fordius; Colingtonus; Scertus; Filbeus; Ricardſonus; tàmetſi argumenta probandæ vnius coniurationis, probabilitatem adimerent alteri. Sed vbi cum aliis depulſionibus hæc quoque audita eſt Campianum per id tempus ſexcenta milliaria emenſum nunquam pedem Romam intuliſſe; Fordium nec Remos, nec Romam vidiſſe; Briantum & Ricardſonum egiſſe palam in Anglia octo ante Martium menſibus; Scertum & Colingtonum incoluiſſe illam multis retro ab annis; Boſgrauium è Lituania, valetudinis cauſa eò vectum; partem eorum maximam, ſimul nunquam fuiſſe, quo tandem igitur nouo prodigio viſos, Romæ ac Remis, & auditos inuicem coniurare? Fuit hæc falſi probatio ſtolidis etiam tam clara, vt eam exceperit populi ob murmuratio. Sed adeſſe mox caſuræ accuſationi cum collegis Pompanus, exclamare, ac vociferari atrocitatem ſceleris, proditionem patriæ, regni ſtragem, externi tyrannidem, & quod flebilius augebant Reginæ necem, & propudioſa dehoneſtamenta, quorum ſe horrore mendaciſſimus Holinshedius ait ſe cohorruiſſe animo & manu, & ab iis ſcribendis coactum obſiſtere; velle tamen hæc Papam; Papæ hos eſſe adminiſtros cum Ieſuitis aliis, & plantis ſeminariorum virulentis; omnes præter Ortonum Sacerdotes Papiſtas, omnes facinoris conſcios, coniuratos & reos; nihilque intereſſe, Romæ ſimul, & Remis, aut locis diſiun-

cti variis eam perfidiam struxissent. Hac arte, vis causæ à præsentium testium falsitate, retracta est ad præoccupatas, & longinquas opiniones imaginarij criminis, quibus ita inualuit falsitas, vt reluctante licet Euidentia, innocentes pro reis haberentur.

Profligata causa miseræ coniurationis, neque tunc tamen aut deinceps à populo creditæ, quantumuis ad eam confirmandam Popami furor insaniret, subtilioris malitiæ inuentum damnosius excogitatum est. Quæsita sex iis proposita sunt, quibus nec paratos, neque meditatos absque vlla mora satisfacere oportebat; pronuntiandos alioqui rebelles Catholicos, & regni proditores, haud vllo quidem suo dicto, factóve, sed ex voluntatum, & animi sensibus coniecturæ alicuius indicio proditis. Porro illa sex interrogata, Pij V. Bulla pepererat, cuius in iis crebra fiebat mentio, eam ob rem initio, totam integrè prælegi placuit, post hoc fisci patronus, interrogat primò ex singulis, eius Bullæ fulmen in Reginam intortum, an censerent esse iuris legitimi, tenerentúrque religione Angli, ad obtemperandum illi diplomati. Secundò, an Elizabetham censerent verè ac legitimè regnare, teneríque subiectos religione præstandæ illi obedientiæ nulla eius Bullæ habita ratione, aut sententiæ cuiusvis vel in eam latæ vel in posterum ferendæ. Tertiò, an esset penes Papam id iuris vt posset subiectos Reginæ populos, ad arma in illam ciere & ditiones illius inuadere; híque morem gerendo extra culpam aut forent, aut criminis rei. Quartò, essétne in Papæ potestate quantauis ex causa fidelitatis sacramento vel Reginæ Christiano cuiuis Principi debitæ, ritè absoluere. Quintò, Doctores Nicolaus Sanderus suo *de visibili Ecclesiæ Monarchia* libello; & Ricardus Bristous, *de rationibus ad fidem Catholicam amplectendam mouentibus*, Pij V. diploma confirmantes verum aut falsum defenderent. Sextò, si quando eueniret, vt Papæ seu iudicio siue diplomate, Regina denuntiaretur, & regno pariter, & regni iure excidisse, & subiecti ab eius obedientia immunes; regnúmque aut externus Princeps, aut Papa ipsemet aggrederetur occupare; vtri se partium adiungerent, vtra esset probis, & fidelibus Anglis propugnanda? Hæc à me ad verbum reddita ex iis quærebantur. Ad hæc loco responsi silentium & taciturnitas, quid aliud erat, nisi confessio infensi aduersus Reginam animi? multo vero magis, & lubrica & periculosa responsio, quæsitorum versutia nouis subrepente interrogandi cuniculis, quibus se implicuit arctiùs, cui libitum fuit pluribus respondere; non tunc modo inter octo illos, qui pro tribunali constiterant, sed multis post annis inter quamplurimos. Estque illic visi cuiusdam memoria Sacerdotem nostrum, Religionis causa cæsum, Monacho S Benedicti amicissimo suo, moxque iudicibus sistendo, spectabilem, auctorem fuisse, vt paucis loqueretur, vt pressim ad interrogata, vt quàm parcissimè, ac ne quem illius imperitum fori, moretur tam abstrusa in Sacerdotibus Catholicis cautio, vt quò doctiores, eò essent verborum in respondendo parciores, & subterfugerent, quid iuris decidere? volebant nimirum pro suo & pio & sanctissimo iure Religionis Catholicæ nomine mortem oppetere, nec eius

inferendæ

inferendæ alium reuera titulum aduersarij fouebant. Nolebant autem huius tituli honorem, opinionis alicuius probabilis improbatione, aut damnatione maculari, Academiis præsertim famæ præcipuæ Pij V. diploma sic explanantibus, vt ea qualiscumque esset expositione, Sacerdotes Catholicos Ministri Regij validissimè impugnarent, culparéntque illos quod seditionis, & rebellionis meræ ambitu agerentur ad sentiendum iis contraria, quæ Academiæ celeberrimæ sentirent, in quas possent priuatum conscientiæ scrupulum securè deponere. Sed existimantes Catholicorum maximè cordati, nec sibi fas esse in omnibus inhærere sensui alieno; nec inuoluere se ductis ex alio in aliud quæsitis, nihil attinentibus ad religionem pro qua vincti certabant; silendo quidem respondebant; subiecta tamen silentij causa. Quod fecisse legitur Campianus, cum eadem illa interrogaretur. Non sunt hæc inquit, huius tribunalis. Huius est de factis non de cogitatis cognoscere; & ex testibus, & tormentis in iure dicundo procedere. Sunt hæc ad Academias referenda, & inter Magistros, ipsis à Magistris theologicè disputanda. Lustratis dehin breui oculi circumiectu, Iuratis duodecim; & inter hos, ait, responsionum mearum Iudices Theologum video neminem, aut professione literarum, cúmque vrgeretur, apertius & explicatius effari, esset necne Elizabeth vera, sola, & legitima Angliæ Regina? respondit se illi super eo quæsito respondisse cùm esset ab ea in domum Comitis Leicestrensis coram accersitus, hoc est Roberti Dudleyi, cuius alloquij, facta est superius mentio. Non fuit adeò ad sex illa quæsita consultus Bosgrauius, & Ortonus. De hoc nihil ad me attinet scribere, nisi aliquanto inferius amorem & reuerentiam erga Campianum, adeo insignem vt legi non possit sine commotione eiusdem affectus. Bostgrauium licet in viam reducere tentaret Campianus, quin & à dicendo abstrahere, interpretando ab eo dicta sermone Anglicano elegantiori, sed vltra lineas iam transilierat, quod sedato mox animo reperens, doluit vehementer petiitque eodem illo, & postero die, cartam, in qua emendatas ad Regni consiliarios responsiones suas transmitteret, testaretúrque se illas reuocare, quod & præstitit postea vt ab se conscientiæ angorem, offensionem à Catholicis amoueret; vocans suum illum respondendo lapsum improuidum debilitatem animi, timiditatem, deceptionem, illusionem iudicij, ac demum stultitiam. Quanquam in Bullam Pij V. nihil eorum illi exciderat, quæ fuêre ab eo dicta, typis vulgarunt Protestantes; huius enim rei, certiorem fecit Alanum Doctorem nouus è carcere Londinensi Remos aduectus Catholicus. Ex iis tamen quæ consecuta sunt, credi posse opinor, volentem medium inter partes oppositas tenere, apud alteram offendisse, alteri non satisfeciisse quod ferè iis euenit, qui quod adherere alterutri nolint, gaudent neutri appellari; quare morti addictus est, nec liber dimissus, sed reiectus in primum carcerem, vitam illic diu longas inter miserias acturus minimè vitalem, etsi enim illum ab Elizabetha, Rex Poloniæ Stephanus, magnæ gratiæ loco petierit, ex ea nihil retulit præter comitates, & amica verba, quoad illo communi ex Catholicorum Sacerdotum exi-

lio, post quadriennium Rex eum recepit, eiúsque ingenio, & virtute vsus est annis deinceps octo & triginta, donec tandem Caliski labores cum vita clauderet Octobris vicesimo septimo, anno æui huius vicesimo tertio.

Cognitione causæ absoluta, Iurati duodecim secedunt soli, vt statuant, num iustis probationibus confirmatæ sint accusationes; Iudices interim cum forensibus Ministris prandij nomine dum cibo aliquo corpus curant, potum reis mittunt extra Cancellos tribunalis, pendente populo vniuerso in expectationem sententiæ. Habeat hic locum leue quoddam, sed Christianæ pietatis nec leue nec vulgare factum; stanti Campiano assidebat haud procul vir nobilis de Ropperiana familia, qui Campianum conspicatus ex equuleis eneruem, non posse ori manus admouere, ex loco prodiit, sibíque honori præcipuo duxit suis illi manibus siphum, porrigere, labrisque illius applicitum dum ebibisset sustinere, qui amoris index & reuerentiæ; laudatores quoque nactus est Protestantes. Dum aut deliberant Iurati, aut deliberatione simulata moras trahunt, ne damnatione pridem stabilita, cognitionem causæ viderentur, & rationes præuertisse; deliberabant simul ex confertissimo populo singuli, diuinabántque quodnam esset illorum de reis futurum iudicium; Aderat illic inter Catholicos nobiles Henricus Vvalpolius tunc nauans literis operam; adscriptus deinde in Societatem, & quartodecimo post anno in Anglia, pro fide Catholica, perduellionum supplicio necatus; hic ad omnia quæ tunc agebantur, & audiebantur diligentissimè ac minutim attentus, eorum reliquit autographum, ex quo certius quam vsquam aliunde constet quis esset omnium de Campiano sensus. [Assidebam, ait, Campiano, cum lata est in eum mortis sententia. Stetit ad tribunal horas octo; ante meridiem quatuor; sex ad septimam vespertinam quod tempus horarum vndecim densè occuparunt Aduocati, Procuratores, testes; præiudiciis opinionum in illum, & socios odiosis, & testimoniis criminum; quibus ipse vnus aliorum rogatu omnibus respondit, & quidem, ni fallor D. Cottami; qui, mittamus, oro, loquatur P. Campianus, & satisfaciat pro nobis solus. Fuêre autem hæ responsiones, nec paratæ, nec à meditato in iudicium allatæ; calumniæ autem ab aduersariis diu magnum per otium concinnatæ; iis nihilominus ita satisfecit, vt curiosorum perstringeret aciem, qui partis aduersæ criminationes scripto exceperant, & exaggerare satis in eo non poterant, instructam præsidiis omnibus mentis libertatem, in articulo rerum tam arduo, & in lapsum prono; respondendi acumen velox & facile, ad rationes promptas ex legibus, quarum peritiam non profitebatur, modestiam denique persona dignissimam quam agebat, & causæ merito quam susceperat defendendam. Quare illum Iudex Christophorus Vvrayius & cœpit obseruare, & appellare honorabilius Dominum Campianum; volénsque alium corrigi qui respondendo nec modum tenebat nec ordinem; vellem inquit, imitarêre Dominum Campianum, & ex eius exemplo te fingeres: Actioni quoque intererat Heroëus Doctor hæreticus iussu Domini sui Comitis

Comitis Vvaruuicensis, vt quicquid in ea dictum, agitatúmve foret, scripto ad se minutim notatum deferret, cuius mihi quidem apographum, sed hac lege daturum promiserat, si Comes illud vulgari sineret. Perlegit attentè oblatum Comes, & suspexit admirans, institítque nihilo secius, an quæ illo in scripto legerentur, integrè omnia respondisset, sigillatímque Campianus? quin & meliora & plura, infit Doctor, multa enim haud satis complecti, potui, & perceptorum dum ea notarem tam plenè haud memini. Comes vero hic magnum iurans, magnus planè vir, exclamat, Campianus! sed hanc mihi peculiariter scripturam asseruatam volo nec communicari cum aliis. Prætentaram & Strixlandum Iurisconsultum mihique notissimum quò ituros censeret Iuratos duodecim in hoc iudicio; & singulariter Campiani? qui etsi palam hæreticus, non potest inquit, ex æquo & iure pilus vnus torqueri Campiano, adeo ad purum purgauit omnia, quæcumque illi obiecta sunt; sed neque cœteris, nisi forte vnum aut alterum anticipata suspicio reos efficiat. De me vel vno eadem in causa quid Catholici sentirent coniicio; qui mihi dicendo sic satisfecerit, mortalium audiui neminem, & scio eius præsentia, & dictis non esse modo corroboratos Catholicos; sed multos iis accessisse, quos perturbati animi, non excæcabat penitus falsum iudicium.] His à Vvalpolio consignatis possum, si iuuet prolixius agere, testes magnos, tametsi aduersarios, versatissimos in omni foro, & iuris peritia, pro innocentia Campiani; certè vnus ex iis postridie, quamquam hæresis suæ pertinacissimus, Thomæ Fitzherberto, nobili viro asseruit probationes aduersus Campianum fuisse tam flaccidas; depulsiones, & defensiones adeò ineluctabiles, & claras, vt contra suam omnem expectationem affirmaret eius sibi damnationem accidisse.

Breui post spatio (nam decreta iam res longa non egebat consultatione, repetunt iudices tribunal; sedes suas Iurati duodecim cum damnationis sententia, quam intorsit in reos Leo quidam, vocis *Gilri* lethali vulnere quo omnes æqualiter confecit. Stupens ad hanc vocem fori totius silentium, & horror, attonitis omnibus, contra omnium expectationem, post innocentiam Campiani tam liquido, & perspicuè stabilitam, edi potuisse; sed rogatis diu passim postea seorsum iuratis, sanguinolenta vox, & inexpectata, quo pacto iis excidisset; pro se collegísque responderunt, non potuisse aliter fieri, nisi si quibus sufficeret animus, ad amicitiam cum iis nihilominus tenendam, qui possent eos alioqui inimicè vexare, & perdere. Restabat de more iudici ex reis quærendum, esset iuri eorum necne abundè satisfactum? & iis aliquid supereset, quo vellent comperendinari? Cuí pro se Campianus; hoc vnum superest quod dicam precari me vobis, accusatoribus, & aduersariis omnibus, à Præpotenti Deo benigniorem sententiam, *In die illa tremenda.* Solus ex productis die proximè sequenti Colingtonus Sacerdos, cum Campiano Lyfordij captus, pro se testem accepit fide dignissimum Thomam Lancastrium nobilem, quem si contigerit audire inquit de hac mei damnatione periniqua, iurare poterit per quicquid est, nos vnà Londini fuisse, simulque collocutos, eo ipso

die, quo accusatores mei affirmant se Remis me vidisse, coniurantem in Reginam, & regnum; designauitque iudici, ædes, & locum vbi fuerant collocuti, subdens inde illi futurum perspectius quàm sinceræ fuissent accusationes, & quàm rectè administratum de cœteris iudicium. Erat Deo volente media in turba Lancastrius, qui citati se testem audiens iureiurando quod à se poscebatur sanctè fidelitérque confirmauit, & quicquid fuerat à Colingtono dictum, eúmque morti eripuit; conniuente ad testes tam manifestè falsos optimo iudice, quos oportuisset talione crudelem perfidiam luere. Nec deerant alij, quibus erat communis cum Calingtono vitæ defensio, sed noluêre viri Dei, (quod notat breuiarium carceris Londinensis) martyrium à se auertere, ipsíque Colingtono futurum erat glorioſius tunc mori quàm viuere. Supremum iudicem Christophorum Vvrayum, tradit Alanus mente fuisse Catholicum; vita politicum; atque vt suus Campiano Iudas Eliottus; ita hunc eidem fuisse Pilatum; dignata est, sed frustra, diuina bonitas scelestum signo terribili, quo illum à sacrilegio immani dimoueret; manum enim forte chirotheca educens, vt Tarrazonensis narrat Episcopus, miratus est sanguine aspersam suo cum annulo, quem cum nulla satis posset diligentia elui & abstergi, proximorum quibusdam ostendit, intérque alios Roppero, calcaris tunc aurei Equiti, postea Baroni (à quo P. Gerardus id accepit) stupens & anxiè ex eo requiritans, num & ipsi cruentæ essent manus. Pronuntiauit nihil timidius infelix aduersus innocentem, mortis sententiam, quare destinato cœlitus tempore ictus est tàm crudeli morbo vt rabiosus perierit. Fuit autem sententiæ forma qualis à prisca rei memoria, in summos parricidas esse consuerat, quorum mors deberet atrocitate supplicij, publico exemplo, & terrori esse; & eò denique ventum erat vltimæ cæcitatis, vt inter scelerum portenta probrosissimis, & crudelissimis perduellium luenda supplicijs, conferetur diuini cultus, reparatio, & conseruatio auitæ pietatis, tot illic seculis prodigiorum cœlestium perpetuo testimonio sancitæ. Damnauit igitur Campianum, & socios Iudex qua solent rebelles, & proditores pœna, raptandi primum è carcere ad furcas cratitia traha; inserta inde in capistrum gula suspendendi; recisóque mox laqueo distendendi cadentes in tabula, vbi amputantur quæ ventri subiacent; spirantibus adhuc interdum semiuiuis intestina ventre aperto educuntur, tortoribus interim manus, pedésque stringentibus; tum fisso è pectore cor extractum sublimè tollitur, ostentatúrque populo voce carnificis, proclamantis, en proditoris cor. Quod cum visceribus postea, & primum resectis, igni parato comburitur. Præfixum hastæ caput ad portam statuitur qua patet ad Tamisim via; membra secti quadratim corporis semilixa destinatis compitis depanguntur monumentum sceleris & exempli populis futura.

Tam iniqua & sæua damnatus sententia Campianus, pie oculos in Cœlum tulit, & ore alacri *te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, gaudens incinuit. Sceruuinus, *hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Tertius, *Iudica me Deus, & discerne causam meam.* Quid à cœteris

ris dictum sit scriptum non reperi; sed de Edmundo Campiano, damnationem illam ter beatam, fuisse illi eo ipso die de cœlo missam, qui erat Edmundo Martyri, Regi Angliæ Sacer, quem propterea Surius nuncupauit *Duorum nunc Edmundorum natalitiis consecratum*, mouit autem populum vehementer illa eorum sedati animi tam generosa fortitudo, in feralis sententiæ auditu, multisque probatam argumentis innnocentiam illorum plurimum confirmauit. Ipse quin etiam proditor Eliottus, vel conscientiæ adactus verbere, vel communi affectu miserationis, Campiano accedens gemebundus, si putassem, inquit, causam tuam tàm funesto exitu claudendam, nullis vnquam meis aut damnis aut præmiis structas in me accusationes, tui accusatione redemissem. Sed præter carcerem ad summum, nihil secus quam velles inde tibi futurum credidi. Oblitus sui Campianus totúsque seruandæ illius animæ intentus, amica & leni adhortatione suasit misero, ad fidem Catholicam rediret, & pœnitentia scelerum, Deum, & conscientiam placaret. Verum homo proiectæ salutis, præ hac vita, nihil pensi habens immortalem; cum Caïno suspirans, heu! quo me inquit tueri potero, ne à Catholicis occidar? non est retulit Campianus, hic religionis Catholicæ spiritus; & potes facile meminisse, si non illam vt factis, sic mente penitus exuisti. Obtulitque illi commendatitias in Germaniam ardentes, ad principem, cuius domi esset securè, & commodè acturus. Hanc de proditore vindictam exegit Campianus. Post hæc surgens tribunali Iudex Londinensibus Sceriffiis damnatos tradidit, quos dum pone sequitur Campianus, conuersus ad populum, magna tùm animi, tùm vocis libertate, sic illum affatus est, auditúsque ingenti silentio, ex iis, ait, quæ audistis, quorum adestis spectatores pronuntiati sumus rei violatæ majestatis, volúntque de nobis ita credi, sed causam iudicij huius, veram ex me obiter audite. Si reus forem illorum scelerum, quibus à me læsa majestas dicitur, nunquam per se Regina ipsamet, nunquam totus Senatus, vitam mihi, honores, libertatem, opesque commodas obtulissent, vellem modo per paucis in rebus morem iis gerere. Imo & lateri qui adstat Dominus Ouuenius Optonus turris Præfectus, illa eadem mihi obtulit quæ Regina, & quæ detulerat Senatus, inflecti tantum ad hoc me sinerem, vt in Protestantium templis apparerem: nunquam tantis conductus fuissem, conditionibus, & promissis, si me iudicassent illorum conscium & reum criminum, quorum me supplitio damnarunt. Nostrum est, viri Optimi, totum scelus, fides Catholica, non rebellio, neque Proditio. Quæ verba paulò post morituri, quaquauersum transcripta, Holinshedium euincunt mendacem fuisse nec satis memorem, neque fidelem historicum, Campianus, ait adduci non potuit, eorum cuiquam vt assentiretur quorum fuerat accusatus; populum delusit perpetuo, ad integritatem conscientiæ suæ in omnibus prouocans. Asserensque nec se, nec alios eo fine in regnum venisse, (coniurationis videlisset, ac Rebellionis) quod adeò falsum est (subdit impiè Holinshedius) quàm verum est Deum in Cœlo viuere. Quibus ante folium vnum

scriptis; oblitus quæ scripserat, scribit planè iis contraria; repræsentans illos confitentes reos, ore proprio manúque conuictos coniurationis, & rebellionis. Hoc, inquit, in eos probatum est euidentissimè, atque amplissimè, testimoniis fide dignis, ipsismet eorum confessionibus & scripturis.

Londinum appellit Franciscus Dux Alenconij, ad Elizabetham sibi despondendam. Frustra se spebus meliorum Catholici solantur; imo Ducis causa Cæcilius Sacerdotum necem properari iubet. Eorum ex numero Campianus, Sceruuinus, & Briantus ad supplicium deliguntur; mors illorum, & virtus, & quæ vtrobique singularia.

CAPVT VII.

REVECTVS ad suum in Turri carcerem prono Tamisi Campianus non est ingressus decumana porta; est enim eorum prærogatiuum ius qui ex iudicio, absoluta & prope triumphante innocentia redeunt; sed funestis arctisque foribus, vsu veteri damnatos recipientibus; quæ reliquos item Sacerdotes Colingtono dempto, pari sententia damnatos postridie receperunt; nihil ergo supererat nisi vt postremo laniarentur supplicio. Nonnulla tamen videbatur habenda ratio Ducis Catholici præsentis qui posset morte ignominiosa Catholicorum Sacerdotum grauiter offendi; at hæc ipsa ratio, contra quam timebatur accelerauit mortem Campiano. Agitabatur in aula feruidè, de nuptiis Elizabethæ cum Duce Alenconio Francisco Henrici III. Regis Galliæ fratre, censebatúrque res prope confecta, stabilitis vtrinque conditionibus, & pactis, solúmque deerat, quod expectabatur propediem Henrici suffragium.

Inter Ministros tanti negotij Ioannes Bodinus in Angliam venerat, publicæ gubernationis vir peritissimus, & Regi ab Secretis; ratus hunc esse Personius qui reuera non erat, infimis precibus rogauit, ne grauaretur pro communi causa rei Catholicæ, eiúsque Sacerdotum deprecatorem se Reginæ præbere, quæ nihil non illi esset delatura; ipse vero insigne apud Catholicos Angliæ, sed Deum præsertim ingentis meriti decus initurus, & Regi denique Christianissimo summè gratum, negauit Bodinus, se ab Rege missum ad agendum de Religione, aut de Presbyteris; sed ad conciliandum matrimonium

matrimonium, quæ tam ſicca & dura reſponſio Catholicos optimos acerbè pupugit, auguratíque ſunt vulgo, quod breui contigit affectatam illam pro Catholicis taciturnitatem, & pro coniugio verborum copiam, eodem exitu vento nempe ac nihilo eludendam. Rato enim prope coniugio interuenêre difficultates eiuſmodi, vt iis ſuperandis neceſſe fuerit Ducem ex Belgio in Angliam traiicere, quæ ipſum Londini nunquam prius audita magnificentia accepit. Rediit hoc eius auduentu, afflictis Catholicis, ſcintilla ſpei fore vt ab illo, propitium aliquod apud Reginam verbum impetrarent, in quo tamen Bodino liberalior non fuit, quamuis ſtatim adeò omnia apud illam poſſet, vt coram die quodam, confabulantem ſecum videns, & audiens, iuuenis Principis; ingenio, gratia, & vrbanitatis capta maieſtate, in præſentiarum hunc ſibi deſponderit, exempto ſibi annulo, & in eius digitum incerto, extincto iam ambitu, clari virginis cognomenti, quod in comitiis Parlamenti teſtata fuerat velle ſe ſuo incidi ſepulchro. Hoc Nouembri geſtum populo prius quàm damnaretur Campianus, vt primum ad aures peruenit Vvalſingani, Reginæ ab commentariis; Hattoni cubicularij; & his animo Reginæ altius defixi Comitis Dudleyi; mirum quis fremitus, ſtrepitus, & tota aula non taciţus nec diſſimulatus furor; Dudleyi potiſſimum qui deſperandus, vel cœpit moliri res nouas, vel eas minari. Vvalſinganum angebant publici ſtatus rationes. Hattonum, & Dudleyum riualis, coronæ amor & ambitus. Prætexebat omnia boni publici ardens fucus. Reginæ, Regni, Religionis periculum, & ruina, occinebatur vndique, nihil præterea. Verum ad religionem quod ſpectabat iam compromiſſo inter ſe conuenerant connubij huius conciliatores, futurum vt illam Dux non attingeret, ſed qualem profiterentur Angli, talem ſe illis relicturum. Hos vbi tumultus, & aulæ totius fragorem audiuit Regina, Ducis ab ſe mox amorem pellere, datam mutuo fidem reſcindere; nox vna interfuit inter ſponſalia, & hoc qualecumque diuortium quid illi ſub hæc euenerit, quàm ſpretus ab aula fuerit, quàm plenus promiſſis inanibus poſt Campiani mortem diſceſſerit, & argumenti eiuſdem varia, nihil ad me.

Sed coacto publicis de rebus conſilio, fuit qui moneret magnum Duci futurum dedecus, ſi præſente illo pœnæ ſumerentur de Sacerdotibus eiuſdem cum illo fidei, quorum haud paulò firmiores & validiores acculatione defenſiones extitiſſent, maximè vero Campiani, cuius eximia indoles, nimiſque iam notam, cogitationibus illis turbulentis coniurationum, & ſtragis publicæ, nemini videretur tentari potuiſſe. Ad hæc quicquid alij ſenſiſſent Cæcilius ad ſe retorſit vniuerſos; ſedandum eſſe in deliberatis; non eſſe profligatam cauſam ſub calculos iudicum denuo reponendam; debere latas ſententias mandari executioni non diiudicari, niſi vellent ſeipſos iniqui iudicij confeſſione tacita damnare, ſummíque in Regno tribunalis iniuſtitia propalam incuſata, denuntiare iudices reos; & reos innocentes. Ducis præſentiæ deferri omnia oportere, & ſentire quidem optimè qui hoc volunt; verum præter vitam Sacerdotum, & dilationem

mortis post eius discessum; imo nisi Dux adesset præsens expectandum fuisse, quo eius in oculis rei mactarentur, vt intelligerent vniuersi, ipséque adeò, ne Regiæ quidem obseruantia maiestatis (si tamen Rex nobis futurus est) fas esse quicquam de concepto ex Parlamenti legibus decreto remittere, in causa religionis, & pœna Sacerdotum, hæc ille nec solus, eadem enim Reginæ animo impresserat, quanquam id præcipuè cauentis, ne suspicaretur populus eo has cum Duce Catholico nuptias tendere, vt in obsequium religionis Catholicæ, totam restitueret Angliam; iussu itaque illius aut assensu itum est in mortem Sacerdotum; datum aliquid tamen teneritati plebis erga illos, & cautum ne omnes die vno interficerentur. Nam erant numero tredecim, quodque fore volebat factum, crudelitatis damnaretur, & tota sonaret Europa Diocletianum in Anglia contra Catholicos sæuire. Trium fit ex iis delectus qui primi ad supplicium raperentur Campiani, quem vnum pro sexcentis ducebant; Sceruvini; & Brianti, nec fuit delectus à mysterio quod post videbimus vacuus.

Ex die vicesimo Nouembris, & proximè sequenti, quibus lata erat mortis in illos sententia, omnes in ferro, & compede, primo suo carcere tenebantur, duriùs etiam quam prius habiti, nec miseriis corporis marcebant animi voluptates; narrabátque Campiani custos, illum post acceptam damnationis sententiam, tam serena amabilitate, affabilitate, ac suauitate sermonis tanta, omníque agendi conformatione, tam comi, & grata fuisse, vt frui iam Cœlo videretur, seque illum exinde solitum spectare veluti Angelum; quod deprædicare passim non abstitit, quantumvis Optonus minaretur se linguam ei, nisi taceret reuulsurum. Omnes porrò ardenter Catholicorum exposcebant preces, & de missitatis ad se munusculis inuicem tribuebant; argumenta fraterni amoris, & reportatæ victoriæ triumphíque proximi gratulatoria. Vt autem trium promulgatus est delectus, omnes in eos reliquorum cogitationes; Catholicorum omnia versa sunt studia. Et erat quidem eorum supplicio dictus dies Nouembris vndetricesimus, in Mercurij cadens, & hebdomadarias, nundinas quo mors illorum esset celebrior; sed cum inciderent in vigiliam Apostoli Andreæ, verita cum suis consiliariis Regina, ne suum patibulum morituri, procul alacres salutarent, iisdémque cum Apostolo vocibus; distulère in diem Veneris ad Dec. Calendas illorum supplicium; ne opportunitas earumdem vocum, conditioni eorum apta, quanto erat futura conditioni damnatorum illustrior, tanto in illorum vituperium verteret à quibus fuerant reorum supplicio damnati.

Visit inter hæc Campianum soror, an ad eum postremo salutandum, an ad subuertendum illius animum nihil certi reperio. Erat certè potentior ad illam in rectum si errarat duobus verbis reducendam; quam illa omnibus tum blanditiis, tum ploratu ad concutiendum illum in Protestantium assensum, & planè stolidè cogitauit, si cui spes fuit, deiiciendi tam imbelli telo, quem nec tortorum equulei, nec promissa Reginæ magnificæ, nec mors præsens, & atrox, pulsatum mouissent; iámque se Deo in testem

testem veritatis Catholicæ oblato vir sanctus, appulsúsque ad portum Apostolicæ nauigationis quàm illi Christi Vicarius imperarat, nec rei vllius, nec sui adeò sensu tangebatur; sed in cœlo totus quò cursum exhantlarat cruciatibus & opprobriis felicem, haud plus sibi ab eo restare itineris gestiebat, quàm quantum aberat Tibornum à Turri.

Feriæ sextæ hora prima post mediam noctem, eductus è suo carcere, in eum transfertur cui Colharbar nomen vbi pridem Sceruuinus & Briantus, quibus dulci amplexu salutatis; mox cum iis agere, de breui paucas intra horas in patriam aditu, proh! quantum diuersam, & quantum beatam! de æternitate, felicitate, & fortuna diei illius, Dei munere tam opima, vt breue ipsorum & vile meritum iunctura esset, cum infinitis meritis Christi morientis, & die illo in crucem suffixi, quæ paulo longiùs produxit mira dicendi suauitate, & ardore. Hunc vero ad mortem, processum lentiorem, Optoni fecit improbitas; volebat illum maiori ludibrio repræsentare populo, quali fuerat cultu & habitu, cum tentus est à satellitibus, sed diuina factum voluntate; vt nusquam è corio thorax, qualem tunc gestarat, inueniri potuerit, coactúsque sit Optonus ingratiis, sua illum in paupere talari tunica, sed Sacerdotem decenti producere.

Stabant iis ad patibulum trahendis cratitiæ tabulæ duæ, caballis duobus alligatæ; populus circum infinitus, quem præter plebeiam spectaculorum talium curiositatem, vulgatus quoque à Protestantibus tanquam certus rumor, & indubitatus, maiori concursu auxerat; scelerum suorum, & supplicij horrore victum Campianum desperasse, cultróque in vitalia adacto, ad inferos animam trusisse præcipitem; crates nunc duas cùm cernerent, cogitabant eiusmodi fide ab aduersariis illius, talia iactarentur; verum vt præsens comparuit, cum inexpectato, serenioris, & imperturbati animi tranquillo, auditúsque est ac visus occurrentes, voce, & oculis comiter salutare. Bona illis precari, optare omnes à Deo Catholicos, fuêre perpauci quibus non excusserit lacrymas. Inde ad Orientem conuersa facie, cum Patris manibus spiritum commendasset; in crate se supinus extendit, equi caudam in prospectu habens, arctéque illic à carnificibus est ligatus, vt ambo alij in altera crate. Prærogatiuum fuit Campiani decus, quod in vna solus, & ante alios conuitiorum mensuram duplicem præ aliis tulerit

A Turri ad Tiburnum, feralem suppliciis locum milliaria intersunt aliquot, saxosa, & hyeme, vt tunc erat, alto ceromate impedita, quod disiectum hinc inde raptati caput & faciem fœdabat, sed longè fœdius contumeliæ, & Sarcasmi qui à ministellis, & eorum sectariis misero ingruebant, insultantibus maximè, in frequentia compitorum; pensi enim haud quicquam iis erat, quod immisericordes existimarentur, & barbari, dum eo loco, & tempore vindictæ rabiem exsaturarent in misero, cui etiam reo, sol & communis humanitas parcere, viles tantum animæ insultare. Magnum de se ille præbebat spectaculum (scribit vnus è spectatoribus Bernardinus de Mendoza in ea tunc aula Regis Catholici orator) toto illo

tractu, decussatis semper, vt poterat, ad pectus brachiis; defixo in cœlum prospectu, quod mente libera peruadebat; conuitiorum veniam aliis, aliis gratias referens; Prædicantium tamen cuidam, nomen sibi ex audacia captandi, momentíque vt satageret piè mori; rependit monitum, piè ipse satageret viuere, & à rectè credendo inciperet quod vnum erat benè viuendi principium; sed Catholicorum in eum amori, & reuerentiæ par nihil habuit aduersariorum contra illum, efferata licet, maledicentia sequi ergo raptatum, ad aures iacenti procumbere; longius colloqui; consilium quærere, sanctam eius rogare apprecationem, & memoriam opémque apud Deum, crescebátque progressu numerus, nemine aut amouente aut vetante, quamuis satellitio, quàm mos esset duplo maiori stiparetur. Quod perspicuo fuit argumento, & testimonio ad eius approbationem quod plærique omnes sentiebant Religionem Catholicam; Sacerdotium; Societatem IESV; Romanam Ecclesiam, totum esse Campiani crimen, totum mortis illius titulum.

Nullius vnquam, ex omni retro memoria famosum supplicium, innumerabilitas populi tanta expectauit; qui erant in equis vt commodius spectarent, tertij ferè milliaris spatium pertingebant; aderant Comes Arondellus; Vvaruicensis; & Hertfordiensis; Barones, & equites aurei calcaris numerosi; aulæ, statúsque administri, quos inter Knellius (de quo post.) Soluto cratitia tabula Campiano, & in pedes erecto non venit oculis, aut menti nouus, & improuisus furcarum aspectus; iam inde ab suo in regnum ingressu, sæpenumero illac iter ei erat, vt Sacrificio diuino, & Christi doctrina, corroboraret matronæ familiam, Catholicæ fidei haud pridem redditæ, quæ primas Harro Vvillei in oppido tenebat. Patibulum ergo cùm adhuc longiùs cerneret, (quod constat ex trabium suspenso in altum triangulo) salutabat illud humili proclinatione; præteruehens autem deflectebat à via tantisper, subsistebátque sub illo, aliquamdiu, capite aperto, & cernuus, simul animo versans, quod requirenti post significauit Personio, locum illum, & mortis ferale instrumentum fuisse Henrico octauo, & Elizabetha regnantibus multorum cruore Sacerdotum, & Catholicorum nece consecratum. Se vero eandem sibi sortem beatam à Deo sperare, futurúmque vt suum cum iis misceret sanguinem, qui magis quam ij sollicite, & ardenter, nec diuersa ex causa, ad mortem quæreretur, quàm esset in Dei gloriam obiturus; addo ego in eius honorem, & ornamentum loci, tantum enim illi apud exteros etiam, & longinquos conciliauit venerationis vt P. Guillelmum Vvrightium in Angliam ex Germania redeuntem, Baro Mansuanderus Campiani olim discipulus, imperialium nummorum stipem duodecim donarit, rogans suo nomine veneraretur solum illud, quod sanctus suus magister Campianus suo Christi pro fide martyrio decorasset.

Solent in Anglia non eo quo alibi suspendi modo scalis videlicet concensis ex quibus illos præcipitet carnifex; sed iussis in plaustrum conscendere, à colligatísque ad furcas faucibus, postquam ferè quamdiu libuerit, dixerint, potissimum vero, quod nunquam omittitur, confessione

propria, ſuum crimen profeſſi denuo fuerint, veniamque ab Rege poſtularint, plauſtrum equo abacto ſubducitur, cadúntque penſiles, & mole corporis, caſúque, compreſſus laqueus, ſemianimos humi ſternit. Conſcenſo igitur Campianus plauſtro, dum ponit ſtrepitus qui tam immenſo in populo ortus eius aſpectu, & dicendi procinctu fuerat; oris, & animi conſpectus, & dignitas, illáque inuicti pectoris imago haudquaquam ſimulata, adſtantes propiùs viros primarios rapuit, gratúmque in populo murmur iterum exciuit, quo demum ſilente, Campianus alta, & ſecura voce velut in pulpito pro aliis, non ſub patibulo pro ſeipſo dicturus, incœpit ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus, iis Apoſtoli verbis magnificè in rem ſuam præſentem vertentibus, exhibiturus triplex theatrum, cum illum Franciſcus Knellius conſiliarius Regius, ſiue vt alij ſcripſere, qui executioni cum poteſtate præerat Londinenſis Vicecomes, niſi forſitan vterque iuſſit omiſſa concione ad confeſſionem ſuarum proditionum tranſire, veniámque illarum à Regina rogare; at is tam prærupto imperio minimè turbatus; ſi proditio eſt, inquit, eſſe Catholicum, fateor eſſe me proditorem; ſin autem; Deum cui nuda ſunt omnia cuius à tribunali vix paſſu iam abſum appello teſtem, nullius eſſe me in Reginam, aut patriam, aut alium quemlibet offenſæ reum, ob quam mihi poſſit proditoris nomen & pœna infligi. Quod dixit ita confidenter, vt in eo loqui eius innocentia videretur, ad rerum duarum formidoloſam præſentiam minimè trepida, mortis imminentis, & iudicij ſempiterni; mouere omnibus etiam hoſtibus miſerationem, verba generoſa, quibuſdam non lacrymas, ſcribit proiectè Holinshedius, quas tametſi paucas, tam acerbo animo is tulit, vt quas illi eſſe honorificas videbat, in vituperationis argumentum detorſerit, quemadmodum lingua Cæcilius aduerſus Campianum, ſic ipſe ſtylo nunquam non crudelis. Scribens ergo pergit, Campianum famæ appetentem, nec planè indoctum, quicumque illum petiiſſet caſus, exire ſolitum, cum quadam aſpectus maieſtate, laruatam oris hypocryſi vanitatem ſcitè diſſimulans, fallénſque hac ſpecie tàm multos vt vulgo diceretur Papa, parem ei habere neminem] ſic in Campiani reſponſionem Holinshedius, ad quam nihil habuit Knollius quod referret, niſi eius noxas fuiſſe iuridicè probatas. Atqui nullam earum, refert Campianus, ad me arbitror pertinere, huiúſque omni exceptione maiores, habeo, illos ipſos, à quibus contra me pronuntiatum eſt. Tenent illi apud ſe, quanti fuerint accuſationes vt me reum damnarent; depulſiones quanti vt me abſoluerent; nec negauerint opinor, ſi abſit, quæ nunc vetat fateri, vtilis & periculi ratio. Ego tamen Iuratis, Iudicibus, & modo quocumque in partem meæ mortis vel adſcitis, vel vltro ingreſſis, libenter ignoſco. Hic ſe quidam in medium tulit huic miniſterio deſignatus, qui grandi folio diffuſam narrationem ſcelerum recitauit, quæ illi & ſociis obiecta fuerant, ea ſpecie probabilitatis quam fore volebant populo credibiliorem. Perſuaſa enim cum Miniſtris Regina tres illos Sacerdotes, purgatæ ad purum, tormentis & examinibus accuſationis, aſſertæque palam

innocentiæ, non fore tàm stultos, & perditos vt conscientiam proderent, séque in vitæ residuæ extremo reos faterentur, id excogitarunt, vt laborantem iustitiæ famam hoc qualicumque remedio leuarent, secus perperam acceptum iri, nisi saltem reis denuntiaretur in faciem tanquam legitimè probatum, quod probatum negabant, & verum. Nec indultum fuit Campiano vt quæ recitata fuerant purgaret; sed hoc solum, vt causarum summam ob quas morti fuerat addictus, & ipse populo recitaret. Professus ergo palam, Societatis Iesu se religiosum & Sacerdotem esse; promptúmque ad Catholicam veritatem, suo sanguine obsignandam; extra quam nihil esset ad æternam salutem præsidij, breuiter quidem (nec fas erat prolixè) sed efficacissimè absoluit. Ac ne mendacia Optoni, & Prædicantium de se in populum iactata in exitium cederent animorum, suas ad Pondum redditas exposuit literas; nulla se vnquam multitudine pœnarum vel atrocitate adductum iri, vt sibi quicquam excideret, quod posset Catholicæ Ecclesiæ nocere, illa, inquam, verba, non significare quod falso quidam animo finxerant pressurum se alto silentio, arcana coniurationum quæ sibi Papa Romæ credidisset; neque id ab se quæsisse Pondum; sed de illorum culpis quos ritè sacra confessione expiasset; sub hæc doluit sua causa, insontes Catholicos fuisse carceri mancipatos, velut ipse illos detulisset; pœnam sibi æternæ damnationis imprecatur, si vel in medio tormentorum æstu, Catholicorum quenquam nominasset. De Pondo & Ricardsono, quorum alteri librum decem Rationum, partem alteri misisset, Senatores rogauit iurati promissi, nihil se propterea facturos illis negotij. Postremò sanctè contestatus Ricardsonum iniustè damnari, quòd eum librum euulgasset, cum esset omnino alterius opera id factum; ad orandum sese composuit. Sed nec illam ipsi quietis vltimæ partem exiguam, permisit vacuam Hermis Caluinista; ex eo requiritans de Bulla Pij V. quid esse crederet sentiendum, & interrogati silentio, quo verecundari debuisset, factus audacior, non erubuit ex eo petere, vt deuotam Papæ renuntiaret obedientiam, qua impudentia perstrictus Campianus, vt verbis duobus interpellatorem odiosum à se amoueret; sum, inquit, Catholicus; quibus solis Caluinistarum dialectissimi argumentati sunt, proditionum omnium, & rebellionum: quæ tùm essent iam motæ, tùm in futurum possibiles, confessionem tacitam inuolui. Vnà ergo, oremus, institit Hernius, & mecum saltem hoc dicito, *Christe miserere mei*, patienti planè, sedatóque animo est opus ad tam importunas, & friuolas nænias. Sedatè Campianus; per me quidem oret, cuicumque placuerit, tecum vero vt orem vetat religio, quam probè nosti non esse nobis ambobus communem, subiecit, quisquis fuerit, alius, solus saltem seorsum pro Regina precare. Omnino respondit Campianus, & libentissimè; toties ante hac pro eius salute preces ad Deum fudi, quas & nunc etiam repeto, conformauítque se in habitum precantis, cum Carolus Hauuardus summus maris in Anglia Præfectus, & summè hæreticus, sed prudens, & valdè cordatus, cum quibusdam aulæ proceribus Campiano vicinus, nec

valens

valens inducere animum vt eum crederet verè sontem ; aut pro illa orare cuius imperio necabatur insons , interrogauit pro qua esset Regina oraturus ? ille, pro maiestate, inquit, Elizabethæ tuæ, ac nostræ Reginæ , quæ vox Hauuardum , vt mox notatum est , teneriter pupugit. Denique negata etiam Ministris hæreticis assensionis leui vmbra , quæ videbatur inesse precibus Anglicè , vt solent, recitandis , *Pater* , & *Aue* Latinè recitauit , & monumentum vitæ pro fide Catholica positæ , rogauit Catholicos, vt cũ postremos efflaret spiritus, Apostolorum symbolum recitarent,quod præstitêre omnes aperto capite ; statímque illius pedibus plaustrum subductum est, ortíque ingentes populi gemitus , & miserantium exclamationes, mouerat enim illorum animos , tam prona illius pro Regina orandi pietas, suámque Reginam nominandi, manifesto quo semper fuerat in eam affectu obsequentissimi, & addictissimi non rebellis neque maleuoli. Cadenti, adhuc tamen spiranti , superastitit carnifex capistrum recisurus , & defixurus ferrum in viscera , peracturúsque reliqua ex iudiciariæ sententiæ formula; sed obiurgauit iratus Hauuardus properantem , mortem stricto gladio comminatus , si perstringeret illum prius , quam planè expirasset , & fauere Hauuardo qui circum adstabant , viri auctoritatis primariæ , qui & Hauuardo , & commiserationibus populi , & innocentiæ morientis iam nimis exploratæ , hoc pietatis residuum donari voluerunt.

Dissecto quadratim Campiano, cruentis eius sanguine brachiis inuadit carnifex , correptóque , accede sis , ait , tu quoque Sceruvine vt tuas partes agas ; quem complexus vir sanctus , pulchro hæreticis veræ fidei ostento , eius manus Campiani sanguine stillantes , reuerenti osculo libauit , magnísque animis , ad palmam eandem , via eadem festinauit. Huic Vicecomes rogatu populi , ægrè ferentis Campiano allocutionem fuisse abruptam, loqui concessit,quamdiu vellet Feruida igitur adhortatione suasit omnibus Religionem Catholicam , mille gratias Deo egit quod se tanto honore dignaretur vt pro illius obsequio sanguinem funderet ; bona & fausta omnibus adprecatus. Datáque ex animo aduersariis venia , tanquam de se optimè meritis, collum renidens & gestiens capistro præbuit. Quare piè in illum commotus populus eius pedibus plaustrum subtrahitur , comitatus est suis precibus cadentem , pacémque illi , & quietem à Deo optauit , bone Sceruvine ! bonam animam tuam propitius clementer excipiat Deus : annos agebat vnum , & triginta ; doctrina , ingenio pietatis feruore , egregie præditus , quibus tunc miserabilis Anglia diu frui non meruit , tento enim paucis ab eius ingressu mensibus , non licuit dare rei Catholicæ operam nisi in solitudine carceris. Assidua illius , & ieiunia , & preces , & noctes peruigiles , susceptáque vltro cœteræ corporis macerationes, quarum ex ore exsucco, & squallido præferebat notas, sic eius custodem perculerant , vt eum perpetuo , hominem Dei nuncuparet ; optimum religiosissimum Sacerdotem , & cui similem non vidisset. His Catholici nominis sanctitatem concionibus mutis , nostri Sacerdotes ita commendabant , vt suos quoque custodes hæreticos eius facerent lau-

datores, quod longè secus de Protestantibus contingebat quorum sibi erat commissa custodia. Olim quidem Campiani custos, cum deinde Nortonum (qui Campiano torquendo præfuerat) seruare cogeretur, carcerem suum dictitabat, de paradiso tartarum euasisse, adeò erant immania quæ de Nortoni vita & peruersitate referebat; Angelo Campino, successisse Nortonum diabolum.

Sed ne tam properè à Sceruvino abeamus qui Seminarij Romani Anglis exemplo illustri, & ornamento est singulare de illo scribit Personius, virtutis heroïcæ cuius est apex summus, aduersis gaudere; [vt primum subiit in atrium carceris, impactas illi tam crassas compedes, vt ægrè se illo sub pondere moueret, digressis vero ad legendum illi carcerem aut specum arbitris, vbi se solum circumspexit, ore sursum erecto, maximas Deo egisse gratias; tum deiectis in pedes oculis, gressuque iterum tentato, vt catenæ audiuit strepitum, & arisisse suis malis, & illacrymatum præ gaudio & sublatis in Cœlum brachiis significasse quàm sibi volupe illa obtingerent. Obseruabant ista è vicinis suis carceris fenestris hæretici duo, quos *familiam amoris* vocitabant, & hac lætitiæ nouitate multum attoniti, sæpiùs illam deinde narrarunt. Idem biduo quàm prehenderetur, ægrè se medium inter nos intrusit, vt foco tenui quem obsidebamus iam sæui tunc frigoris leniret; allusit ad hoc sextiduo postquam carcere, clausus, conceptis ad me ita scribens. Stipem, ait, accepi, quam heri misisti; retribuat Dominus; paucillum aliud, prius fuerat ad me missum, id vbi consumpsero, in specum descendam cum fratribus meis latronibus, vt stipe communi de sportula victitem, iturúsque sum profecto haud paulò auidius quàm ad conuiuium, mihi enim melle, cibóque omni propter Christum sapiet dulciùs eius sportulæ panis. Ad crura & pedes tintinnabula nescio quæ apta gero, ludit in compedum sonitu quorum me crepitus qui sim, & cuius sim admonet. Nulla mihi harmonia sonuit vnquam suauius; & si forem nunc vestro illi vicinus foco, daretis opinor, capacem accedenti locum. Orate vt fortiter, & feliciter, cursum meum absoluam. Secutus est Sceruvinum Alexander Briantus, annorum iuuenis duodetriginta, ore & animo Angelus. Hic se Deo vocanti, cum ad omnia promptum expeditúmque obtulisset, huius sui obsequij principium duxit à mutatione Oxoniensis Academiæ in Seminarium Remense. Ibi quantum sat erat doctrina, sed multo vberius Apostolico spiritu imbutus in Angliam rediit anno 1579. ad hoc enim Alanus iuuenes illos egregios educabat vt suis sudoribus, Anglicæ missionis excolerent vineam, & suis cruoribus fœcundarent. Illuc Briantus se contulit, præter dotes virtutum eximias ignita secum ferens, non alios modo ad Deum perducendi vota, sed suimet ipsius cum eo arctissimè iungendi, abdicatísque omnibus sese illi æternum in Societate IESV consecrandi, suspendebat tamen ipsius animum, an foret Deo acceptius hac iniuria temporum, libertas iuuandi proximos ex se vno apta; vel ex nutibus Obedientiæ mobilis, & agenda: verum enim vero vtriusque, fecit illum Deus abundè compotem; vt &

viueret

viueret suus, & noster moreretur. Captus, vt diximus, secreto statim carcere traditur, *Counter* appellant, & longa multorum dierum siti, & fame cruciatur ne concessa quidem panis micâ, vel aquæ stillâ, vsque adeò vt vitalia coquente depascentéque ardoris æstu, exsudantem è saxis carceris humorem lamberet, ad eum potiùs fallendum quàm demitigandum. Ad extrema itáque redacto, cibi aliquid datum est, sed tàm tenuis & malus, vt sufficeret dumtaxat ad differendam mortem, ne per se mortuus vitaret cruciatus, quibus statuerant occidendo illo rabiem explere. Traductus ex eo carcere in turrim, defixis altè in digitos sub vngues acubus, primo aditu interrogatus est, & responsi vice quod satagebant exculpere, cùm Psalmum *Miserere* recitaret, suísque à Deo veniam carnificibus rogaret, furens Optonus suíque immemor, insontis faciem crebris & pugnis, & colaphis onerauit, tortoris magis officio quàm irati nobilis perfunctus: haud tamen propterea Sacerdos optimus abstitit à precatione, aut conturbatior visus est. Quamobrem in prius remissus ergastulum tamdiu illic fame, sitíque discruciatus, & deuoratus est, quoad nequiret in pedes consistere. Fuítque tunc illa in vsu maligna barbaries vt longa inedia Sacerdotes penitus eneruarent, quo atrocitatem equulei, & religiosæ taciturnitatis perseuerantiam lentius, & debilius sustinerent. Ob hanc diris modis distractus est diuulsúsque Briantus, non minore illorum animi angore, quam eius corporis dolore, exprimi enim ex eo nec flatus potuit quo vel olfacerent de iis aliquid quæ interrogabant. Vbi Personius? vbi eius & prælum & typi, & libri? vbi rem sacram tum ipsi fecissent? tum & Campianus. Personium, inquit, & noui intimè, & intimus illi sum; vbi nunc sit vel ante fuerit, non dicam; & hoc à me idem ad alia omnia responsum habetote, nec aliud præter hoc ab eo extortum.

Tormentorum igitur suorum, & torquentium triumphator postridie accitur è carcere, in quem fuerat reportatus, ac mortuo licet in venis sanguine, quo nullum tristius post equuleum omen, distenditur iterum, præter solitum vi tanta, vt traditum se carnificibus putaret membratim discerpendum. Inter hæc neque ingemuit, nec dolentis speciem prætulit; nec oris habitum mutauit, refouente vt patefiet vires & corpus Deo; totus in Deo, & totus Deo plenus. Cognitoribus cum esset respondendum, obibat hoc in hunc ferè modum, & hoc vnum nihil præterea potestis, torquere videlicet; nec vobis quid me faciatis, post equuleum supereſt. Et sperabatis hoc pœnæ tantulo me vincendum, & subigendum infidelitatis? quibus dictis in cœlum oculos, mentem in Deum referebat. Adstabant torquentibus Nortonus & Hammonius. Ille inhorrescebat stupens, narránsque postmodum, citra mortem, aiebat, non potui excruciare illum immaniùs; feci ex equuleo vt eximeretur, natiua statura sesquipede longior. Insaniebat Hammonius, & humum pede pulsans, planè, inquiebat, miraculum hoc est apertum, & patens, sed refractariæ Papistarum Sacerdotum pertinaciæ. Aliter hunc nobis dolorum immensitas subegisset fateri, non modo commissa, & scita, sed & cogitata. Tum,

nollem, intulit discedens, interfuisset huic spectaculo aliquis, minus solidè firmus in Religionis nostræ fide; innuebat, scilicet transitorum fuisse ad Catholicos, fortissimorum Sacerdotum, fidelitate indomita, & patientia domitum. Peracta etiam supra cumulum mensura quærendi, & torquendi, Cognitores dum abeunt, fingunt se illum totam noctem relicturos in equuleo pensilem; at is, ita sit ait; sed eum illico soluere tortores, non vt pœnam laxarent, sed cum alia mutarent. Subterranea specu illum condunt, cæca & humida cuiusmodi dicunt Valesboras quæ sunt ea in Turri multæ, & horridæ) Proiectum, & qualem ex equuleo portarant, in situ & luto per duas hebdomadas relinquunt, tantis intimæ voluptatis, pacísque argumentis, vt maleficio dæmonis, eius custos, homo bestia id attribueret. Hoc porro Brianto extraordinariæ gratiæ fauore visus est Deus ratam habuisse promissionẽ voti quo se obstrinxerat vt illi & viueret & moreretur in Societate. Sic ille de se ad Personium, Campianum, Bostgrauium, & alios si qui tunc erant in Anglia Patres. Recensitis enim nominibus, quibus infinitis apud Deum tenemur, vt eius toti simus, quem quisquis inuenisset, inuenire vitam, nec posse id securius alibi quàm in cœtu eorum reperiri quos Deus in sui obsequium collegisset, ad legis suæ & consiliorum obseruationem, proferendósque regni sui fines; in iis vniuersa, pondere fieri numero, & mensura, nempe iis præsentem adesse, imperaréque sapientiam veram perpetuo, cuius motus omnes decenter, ordinatéque procederent. Eam ob rem sibi ante biennium, fixum animo hærere, huic se vitæ proposito in Societate Iesu mancipandi; distulisse tantisper quod speraret suas eo in regno curas, & labores non fore prorsus inutiles; pridie vero quam applicaretur quæstioni, dum oraret, & suauitatis diuinæ instinctu animaretur ad omnia constanti animo perferenda. Succurrisse vetus illud propositum, eiúsque tunc voto constabiliendi opportunum adesse articulum: rem Deo efflictim commendasse, maturéque versatam, perpensam, tandémque probatam, sacra voti nuncupatione concluisse, videríque sibi habere cœlitus voti eius à Deo non dubiam approbationem, præsentem scilicet, ac peculiarem meis omnibus in ærumnis & tormentis opem, & leuamen. Quibus fusius enarratis; si quod, ait, vobis nunc referam, sit inter miracula reponendum, equidem nescio, Deus scit, sed facti sum certus, eiúsque profero conscientiam meam coram Deo testem, dum postremùm ab aduersariis torquerer, & sæuirent in me atrocius solitò, pendénsque manuum ac pedum digitis in equuleo corpus diuellerent; sensi me repentè, omni pænè leuatum dolore, neque illo tantum, sed ex iis etiam quibus exhausta iam cruciamenta corpus fractum tenebant, sit refoeillatum vt sensu viuaci, & mente tranquilla, Christi patientis pœnas innumerabiles meditarer. Nunc si fieri potest vt quamuis absens, admittar in Societatem, id supplex & intimis precibus flagito; id si creditis futurum ad Dei gloriam, & animæ meæ sempiternam salutem; iam inde promitto coram Deo, omnibus qui præsunt, & præfuturi sunt Obedientiam, Constitutionum præterea illius, & legum accuratam quoad in me fuerit.

fuerit obseruationem; testis mihi sit voti huius hic dies in die supremi iudicij. Hæc passim ille in sua epistola, nec difficile in terris id assecutus est, quod se illi è cœlo donasse, Deus miraculo significauerat. Productus ad tribunal Duodecimvirum, die primo post damnationem Campiani ante sex alios Sacerdotes, confidentiam animi generosi, & sancti ad illud attulit, qualem nunquam spectarant ij Iudices. Sacri tonsus coronam ferebat capite quam recens ipsemet in carcere raserat; proin etiam longè spectabilem; crucem vero manus suæ quoque opera concinnatam ex lignis duobus in quibus effigiem Christi morientis delineauerat, carbone vsus pro penicillo, & colore. Incessus, & oris habitus, & castigatæ decor modestiæ, & magnanimæ pro fide Catholica speciei pietatis, spectatores adeò affecerunt vt illam eorum erga illum miseratione indignatus sit Optonus, vultúsque in eum per biduum catenis, & compede; alius etiam nescio quis increpuerit Briantum iratus, crucémque iusserit quam manu tenebat proiicere: ille; Christi miles, sub crucis labaro, Imperatoris signum à se abiiciat? ante moriar quàm illud deseram, id si violenter extorquebitur manibus, sed cordi nequaquam, illic hæret impressum penitus, ex illo inde viros, & animos haurio, ad fundendum pro eo sanguinem, qui pro me illum in cruce, cum vita profudit. Ita ille disertis, haud liberalior promissis quàm præsentis. Post lanienam duorum sociorum, euulgatámque mentis voluptatem quòd cum Campiano moreretur, in plaustrum conscendit, contestatúsque Deo, & hominibus fidem Catholicam, & innocentiam, vltimo reiectis Caluinistæ cuiusdam quæstionibus importunis, orientem versus placiditate mira & hilaritate, vt si expanso sibi accerseretur cœlo, spiritum Deo commemendauit: subtracto mox plaustro, beneficio caruit, quod illi vt socio Haualdus indulserat, ne ferro prius eorum corpora, quam planè animam efflassent violarentur; imperitia vel malignitate ita collo capistrum aptarat carnifex vt cadens, gulam non stringeret; hæsit ergo tamdiù in illo angore, vt crudum spectaculum refugiens populus, in carnificis manibus eum reliquerit à quo spirans adhuc, illico est exenteratus.

De Campiano Residua; fama, merita, veneratio, laudatores, Edictum Reginæ, iubens vt iustè occisus censeretur Sacerdotum Anglorum charitas crudelitate torquentium superior. Appendicibus duabus stabilitur afflictio Angliæ esse propriè in fidem Catholicam; & Kalendarium Foxij triste opus, & calamitosum.

CAPVT VIII.

POST erecta in hastis supra Turrim pontis Sacerdotum trium sacrata capita; variisque vulgi terrorem appensa compitis eorum membra; seu magis ad piam Catholicorum venetationem, cœpere hi furtim, per se & alios, ambire puluerem trium illorum sanguine imbutum, quibus ægrè totidem vnâ reperirent felicitate vnius sortis, & conditionum diuersitate pares. Seu enim Reginæ, Cæcilij, aliorumvè arte ministrotum; seu magis diuino factum consilio, vt hi tres legerentur ex trium cœtuum vnoquoque, mancipatorum vltro ad Catholicam fidem in Anglia vita & morte propugnandam; quilibet horum trium, eosdem animos, eandémque attulit generositatem; Briantum Rhemi, & Duacum dederunt; Sceruvinum, & Campianum Roma. Ad hæc horum cuique suus fuit caracter proprius. Brianto tranquilla indoles; Sceruvino vehemens; Campiano ex vtraque mixta, tam ambiguo inter se discrimine vt ex Protestantibus etiam à Camdeno, scribatur fuisse *Vir suauis, & politissimus.* Quare omnes sibi quibuscum ageret addicebat, verum haud alia quam sanctæ consuetudinis natiuâ amabilitate, & qui comitem illum in itineribus, vel in Collegiis sodalem habuerant viri graues & sancti, aiebant diu post eius se verborum & operum iucunda memoria piè recreari, quòd ea mirabilis conditet saporis religiosi suauitas; hæc autem cognata pudori virgineo modestia corporis; ob quam olim Dublini vrbe Hiberniæ adhuc in seculo, cognomentum illi Virginis partum est; imo & opinio famáque non inanis, erat enim talis, & mente, & corpore; quod produnt qui eius animi arcanis præfuere, ac singulariter Ioannes Paulus Campianus, quem vsque ab tyrocinio magistrum habuit in diuinis, & quo cum annos octo egit; ait enim se cum ad excoquendam iuuenis virtutem pro Rectoris officio eum exercerer; tantas opes virtutum in eo offendisse, vt puderet magistrum,

gistrum, tanto discipulo stare à pedibus; potissimum vero, quam primo loco ponit, virginitatis illibatæ, sic ille audita Campiani morte dum Prouinciam Poloniæ regeret ad præpositum Aquauiuam de illo scripsit. Nec erat hæc naturæ frigus lentum & stupens, alioqui viuacis & vegetæ; sed generosæ pietatis obsistentem sibi vim omnem contrariam non ferentis, & ex alta impressione sensuum diuinorum primo aditu dedignantis quicquid belluinum, aut turpiculum, suboleret. Cæterorum vero animi motuum tam erat Dominus, & potens vt (quod erat solitus dicere qui confitenti operam dederat) nisi vocati, iussique non prodirent; nec furtim vnquam eius libertatem, nec apertè à recto deflecterent, quod quam rarum, & quanti sit nemo non, & sentit, & animaduertit in cœtibus sanctorum hominum etiam numerosis. Subdebat illi fateor seipsum, quam erat fortitus bona mens ne quando sibi, refractarius, & rebellis à se dissideret, sed ille animi habitus, naturæ beneficio temperatus, & Dei munere ab ortu congenitus, longè abest vt omnes in casus sufficiat, contineátque hominem vbique sibi ipsi concordem; aliis machinis natura domanda est, ipsa validioribus natura, & religiosæ coërcitionis malleo crebráque sui victoria, hanc sibi à primo statim Campianus, tyrocinio ambiuit, eadem ab se grandíque opera rescindens, quicquid in commoditates corporis, honorem, & plausum, vitámque adeò, vergebat propensiùs. Sic Rhetor Collegij, post & Philosophus, & concionator, & sodalitio iuuenum Præfectus, eodem tempore, Excitatorem agebat matutinum, & quicquid domi visum esset maximè seruile, ambiebat vt pulchrum & nobile, gnarus solam Dei approbationem, iussum rebus pretium ponere, citra illam etiam aurea instar luti cùm essent; contra si Deo placuissent, fore Cœlo ac Deo emendo paria. Prærogatiui ergo concionatoris, doctoris perspicacissimi, aut alterius cuiusvis decoris quo clarebat, tam nullus ei adhærebat fumus, vt è pulpitis delapsus, videretur oblitus se illic fuisse. Romam accitus à Mercuriano, vtebatur veste adeò detrita, vt interpolata vestis alterius ei fuerit aptanda. Solus domi vices multorum sustinens, & nocturnæ quieti detrahens, quod diurno labori adderet; si quid noui fuisset ab iis qui præerant iniunctum; solum ex iis quærebat, nùm se illi oneri censerent pietate, atque ingenio sat esse. Annuentibus, non addebat plura; sed demandatum perinde curabat, vt si vltro illud delegisset, nec haberet aliud satagendum. Dabo, inquit operam, ne quam ad me V. Paternitas, frustra, & in cassum syllabam scripserit, & respondebat tunc Generali ex Anglia, vbi tanto quàm in Bohemia, ostendit certiùs seipso exutum, iam suum non esse, quanto sibi commissum negotium, erat per continua, & extrema, probrosæ mortis, & crudelissimæ administrandum pericula. Sagacissimis toto regno exploratorum venatibus feruebant omnia, & prius vbique audiebatur captus, quàm ab iis caperetur, nunquam tamen abstinuit publico, & Prouinciis peragrandis quas excolendas susceperat. Quod profecto non erat audaciæ præfidentioris, vel minùs attentæ ad malorum extremam grauitatem, in quorum discrimen

induebat sese. Sed enim vocatus à summo Pontifice in obsequium rei Catholicæ, & saluti Anglorum à Generali Præposito donatus ; non sum ergo, aiebat, deinceps meus, sed eorum totus ; quorum bono, à Deo, & mihi Præpositis sum addictus ; nec me possum negare poscentibus ad animæ opem ; nec parcere interdiu itineribus apertis ; noctu secretis laboribus ; vbique periculis carceris, aut proditionis. Erant hæ partes Campiano, ex officio implendæ. Cœtera diuinæ permittebat curæ, quoad prudentia, & Obedientia sinebant cautus ; sed peræque cautus, ne sibi subreperet vitæ amor, subtilissimus rationum ad eam seruandam sophista, & artifex, quàm Apostolicæ mentis excelsitas pro nihilo ducit quibusvis periculis obiectare. Hinc illud Dauidis ad Generalem scribens merito vsurpauit *Anima mea in manibus meis semper.* Non minùs ad eam laxandâ expeditis, & promptis, quam aperiendum in volam pugnum. Quod ipse dum scriberet. Non licet, inquit, vlterius; prêmit vestigia explorator & fugere opus est.

Tam actuosa, laborum, & periculorum continuatio, cum tanto ardore, ac libertate pietatis ; etsi anni vnius spatium haud multum excesserit, honorificam illi confirmarunt hæreticorum gratulationem qua sibi mutuo plauserant capto Iesuita Campiano, truncatam vnâ Papæ manum dextram, at enim ! quæ Dei est bonitas, non desunt aliæ omnes dextræ, & pares virtute, numero plurimæ ; huic interea dum truncatur, palma inseritur, in Bohemia non semel prædicta ; quam vt vaticinium divinum non memoro, sed ex perspicua qua splendebat doctum luce meritorum & cognitione ; hinc non nemo absenti, vbi erat studere solitus palmam & lilium adpinxit, illam martirij ; hoc virginitatis symbolum & mutum elogium ; ac de martyrio, quod vocemus licet emendatiùs, mortem Catholico fidei odio illatam, nefas puto silere, quod Regis Catholici legatus in Anglia, Bernardinus de Medoza, Londino scribebat ad sororem Annam, triduo post necem Campiani ; quando, inquit, non decet hinc de martyribus tibi à me perscribi ; præstabit hoc meo nomine Serranus cuius epistolæ, rogo apographum vt mittas ad Patres Societatis Iesv, vt prælegatur publicè in cunctis illorum domibus ; & addas quicumque hic sumus, meque peculiariter, posse dem facere Campianum, inter summos Ecclesiæ censendum martyres si quo passus est modus attenditur, talémque posse ab sui Ordinis sociis haberi, & mei huius historici numeri pretium ab iis petere, vt suis precibus mei sint memores, hæc ille ex Celtiberico reddita. Cuius etiam viri tanti testificationi oculatæ debebit æternum Societas, quod constet à morte Campiani cœpisse illam suorum sanguinem in Anglia spargere, iis non indecorem qui ab temporibus Henrici VIII. tanto numero illic pro fide, & iure sparserant filiis præsertim Patriarcharum trium Benedicti, Brunonis, & Assisinatis Francisci.

Supereſt de rebus Campiani, quod quantò, interiùs, tantò minùs potest in lucem efferri, haud tamen sic valuit ab eo premi, quin emicuerit, & foras eruperit. Coniuctionem intelligo animi cum Deo & illuminatæ mentis perspicientiam, ex qua ille de æternis sermo ad veri similitudinem tam

expressus,

expreſſus, vt ſi ea oculis cerneret; ad interiores motus tam efficax, vt ſi ea prægustaret. In concionibus ad Catholicos, tam sanctè eloquens, vt plures illi ex oculis lacrymæ, quàm verba ex ore fluerent, cogerentúrque interdum affectuum, & fletus vbertate, dicendo subsistere, quòd esset eius in diuinis eloquentia, non artis beneficium aut naturæ, sed illuminati cœlitùs, & inflammati cordis. Erant perpetua eius itinera, diuinorum perpetuæ meditationes, quibus sibi abundans, refundebat in Catholicos ad quos diuerterat, fructu prorsus minimè dubio, etiam in Protestantibus, qui nobilitatis fiducia, nullo proditionis metu admittebantur ad eum audiendum, vel redimebant domum Catholici; vel nauseabundi, Prædicantes suos vocabant, verbi Dei sordidos tractatores, intelligentia Veri summi cassos, rationum piarum enerues, insipidos, ignaros, nec ab se præterea vnquam audiendos. Ipsæ quoque illius epistolæ, vnam animi loquuntur salutem, ea propter ad eos scribebat tantum qui forent ad Dei amorem acrius exarsuri, & desiderium perfectæ virtutis; certè quas vulgo residuas legimus, dum ignem aliis inspirant; spirant eius animi celsitatem tantò sublimiorem caducis omnibus, quantò necesse est illam esse, cui excellentia æternorum, stabilitásque probè perspecta sit. Atque his breuiter de vita Campiani, subdendi sunt vltimo mortis eius fructus; ac primum in Catholicæ fidei multiplicia incrementa tam vberes, quàm in detrimenta hæreseos, quorum tamen sibi pollicebatur contrarium malè meditata Ministrorum, & Senatorum prudentia; professus fuerat vir Princeps Reginæ intimus, si Campiano ius aut miseratio libertatem vitámque seruasset, potuisse vnum, pro eo quod agendo pollebat, Anglos omnes restituere Catholico nomini; proin eius necem suasisse se tàm necessariam, quàm integritatem dogmatis à Parlamento Reformati; eo vero nunc mortuo tàm securam, quàm antea periclitaretur. Quicquid porro futurum fuerit, si quem ei præstituerat natura vitæ cursum explesset, certum est eius necem in damna hæreseos cessisse grauissima, quorum alios non edo testes nisi qui aderant, & spectarant; meo quidem iudicio, scribit Doctor Alanus, si annos viginti laborando sudasset vester Campianus, Deo nunquam, Anglis & Societati tantundem gloriæ peperisset quantum, suis catenis, equuleis, & morte attulit. Nullus vsquam sermo in epulis, circulis, cœtibus, & familiari consuetudine, nisi de illo & Religione] Sic ille, quin ipsum & in Campianum cecidit profecto, sed perappositè, quod iis de aliis animaduerterat, quos sanguinolentis Parlamenti edictis, & iure tribunalium iniusto, Religionis Catholicæ odium, torquebat, & necabat; hoc, ait, nihil præterea deerat Catholicæ hoc in regno causæ, vt Anglorum auctorum scriptis, atramento, & stylo & libris, hi libri succederent; ferro & sanguine editi. At ex Personio expressius discimus quid emolumenti Catholicorum rebus accesserit ex pretiosa Campiani morte, duorúmque illius sociorum. Aduersarij nunc, inquit, nostri tam furiosè insaniunt, vt videantur in stultitiam versi, inopino & acerbissimo postremi vulneris dolore, quo trium istorum martyrum interfectione transfixi

sunt. Tantum planè id fuit, vt sensus etiam cuiusvis expertes id sentiant, desperéntque omnem in perpetuum eius medicinam. Affirmabat nuper Vvalsinganus nummorum millia quadraginta, minori iactura, proiecturam fuisse in mare Reginam, quam cum trium illorum Sacerdotum mortem obiecit publicè spectandam. Eóque res venit, vt ex Protestantibus moderatiores de morte illa nobiscũ sentiant, fateantúrque se de nostra causa mitius, & æquius quàm ante iudicare, tùm ex heroïca trium illorum morte, quàm planè sibi persuadent iis iniustè illatam; tùm ex nostra tam forti prouocandis ad pugnã hostibus perseuerantia; quàm timida illorum ad eam subterfugiendam pertinacia, qua sola trium Sacerdotum lusere prouocationes. Dici haud potest, vel satis comprehendi, nisi ab iis qui interfuere, quantum, mortes illæ, boni pepererint. Aiunt quoque cum nostris ipsi hæretici si annorum centum data foret iis vita, nunquam Religioni nostræ futuram fuisse tàm vtilem, quam fuerit breuis, sed glorioſa mors; vacillantes firmauit; quatuor millia Ecclesiæ reddidit; ex confusione sectarum promiscua, nunc de negotio salutis, & securitate, innumeri ambigunt. Vexati, vincti, reorum custodiis sepulti Catholici gestiunt, triumphant, nihil sibi malorum aut pati videntur, aut sentire, quæ assidua, & grauia perferunt. Nunquam Londini sacra frequentiùs, nunquam religioſiùs obita; missa omni propè in angulo celebratur, & pœnæ capitalis periculum imminens æquè flocci habet qui celebrat, & qui adest, auditque celebrantem. Inquisitor vbi superuenit, & satellitium iudicis, diffugere huc illuc qui potest, in vicinas ædes, móxque illic rem sacram integrare vinctorum quoque industria excogitauit modum, quo in ipso etiam carcere missæ sacrificio fruerentur. Nouit hæc hostis, vt prope sub oculos posita, inópsque remedij, dolore rumpitur, infinitæ in lucem prodeunt omnis generis lucubrationes, narrationes, dialogi, sarcasmi, poëses, dicta, qua stylo, qua typis credita. In laudem trium illorum martyrum, & eorum accusationem quorum iudicio sunt damnati, describuntur illic, quæcumque ad illos pertinent, comprehensio, carcer, tormentorum vis, disputationes, accusationes, depulsiones, damnatio, mors, aduersariis nequicquam frementibus, & minitantibus. Ne possunt quidem pueri tacere crudelitatem iis audenter exprobrant aduersus Dei seruos. Horum vnus haud pridem Oxonij verberibus cæsus est in Academia, fugit alter priori cautior, quòd poëticè aliquid in defensionem martyrum scripsissent. Campiani custos in castro Londinensi ex obstinatissimo Caluini assecla in ardentissimum euasit Catholicum; aliorum custodes ambo in melius mirificè mutati, mira de illorum virtutibus, & noua quotidie recensent.

Hauuardus rei maritimæ Præfectus, ille quem diximus, obstitisse ne adhuc spiranti ferrum infigeretur Campiano, in palatium reuersus, rogatúsque publicè ab Regina, vnde? ex Tiborno respondit, & spectanda morte trium Papistarum. Instanti quid visum iis esset; retulit, visos sibi tres viros doctissimos, summéque innocentes. Deum, inquit, orabant pro vestra Majestate, dabant omnibus omnium veniam quæ contra se fierent;

fierent; damnationem sibi sempiternam, si mentirentur, imprecati, se ne cogitasse quidem aduersus Regnum aut majestatem quicquam mali. Admirans illa; itanè inquit, se res habent? mox, ita se habeant necne, nihil ad me? de iis ac de se viderint qui eos damnarunt. Hæc Regina, & hæc Personius.

Opinionem sanctimoniæ singularis qua vigebat apud Catholicos Campianus, reliquiarum eius secutus est multiplex & industrius ambitus; furto, argento, periculo, & arte quæsitæ sunt, magis piè quàm cautè à nonnullis. Nobilis adolescens, condicto cum aliis accessit ad tabulam vbi eius corpus in quadrantes à carnifice secabatur. Strophiolum suum velut fortuito, & aliud agens in fluentem demisit ex eo sanguinem, statímque sustulit; sed irrito ludo; Ministri qui aderant toti ex oculis in eum inuolant, vt trahant in carcerem, qui dum se tuetur, & multo clamore inter illos eiúsque socios de illo contenditur, alter eo commodo vsus, Campiano pollicem amputat, séque turbæ permiscet spectando intentæ, tàm scitè vnum ex ea simulans, vt nullum sui indicium fecerit; animaduerso Vicecomes furto multò in auctorem strepitu sategit, eóque grauius Regina, vterque inaniter, nullum pij furis vestigium vsquam apparuit. Nobilibus aliis tum viris tum feminis in sortem bonam cessit aliquid sanguinis, & cuidam vestis, in qua spiritum efflarat, sed omnes omnino carcere, & multa pecuniaria, religiosam luerunt pietatem. Aureis octoginta particulam digiti à carnificibus iuuenis redimebat, sed pœnæ carioris discrimen causati dare renuerunt. Felicius cum eo actum est, cui, ob amorem in Patres, meritáque in fidem Catholicam eodem tempore Turris incluso custodia licuit, magno pretio crucem redimere, quam secum Briantus ad duodecim tribunal detulerat, & fidiculas quibus Campianus fuerat in equuleo distentus, quas biennio post Romam tulit, vbi visuntur etiamnum in Collegio Anglorum, & visurí sumus suo loco Personium his collo applicitis morientem. Nunc illum interim audiamus dum huic finem imponit argumento narratiuncula duplici ad Præpositum Aquauiuam, incredibile inquit est, quanta diligentia quantísque pretiis quærantur Campiani reliquiæ, iuuit horum vnum fortuna facilior, & solers ingenium, suffuratus est vnam ex eius costis, tulítque in ædes Catholici ad quem tùm multi conuenerant, quanta omnium voluptate, ex tam pretioso, supráque spem omnem accepto pignore nihil attinet dicere, Baro inter alios præ magnitudine refusi gaudij, deliquium passus, ægrè animum post tres horas recepit. Adolescentes nobiles, de parte indusij media quo Campianus vtebatur pacti sunt seorsum cum tortore; horum alter qui hanc sibi poscebat repensurum se gratiam pactus est nummis septem; promisit tortor in diem proximum summo manè; tantùm alter thesaurum socio inuidit, eius aduentum horámque præuertens, cum pacta pecunia tortori se sistit, pecuniam exhibit, promissum reposcit. At scelestissimus proditor, præoccupato capitalium iudice, duos è latebris quos occultarat satellites educit

qui nobilem in carcerem rapiunt. Aui bona socius tempori aduenit, sed expectato diu frustra tortore tristis denique ac delusus, sed liber abiit. Ita Personius sic in vota, & aduersus vota alternante Catholicorum industria pro reliquiis Campiani, effectum tandem est, vt obtinerent quam multas non modo expeterent, sed quas etiam longinquis enixè petentibus erogarent. Carnis eius pars non exigua balsamo condita, iure præcipuo Alano cessit, ciúsque seminarij alumnis; Iacobo Salesio ex nostris fragmentum ossis quod gestabat semper appressum pectori ad refouendum perpetuo quo flagrabat martyrij ardorem, impetrandásque ad hoc Campiani apud Deum preces. Fuerant enim ambo, amicitiæ intimæ, & sancto per literas rerum diuinarum commercio iuncti. Missus postmodum Albenacum Salesius ad sacras conciones ex Collegio Turnonensi, Campiani sui sacrum pignus è sinu protulit, suáque illi post humile osculum antiqua memorans desideria, & preces assiduas, delatum admisit concionandi munus, quo dum fungeretur in expressum fidei odium à Caluniistis furentibus necatus, fine potitus est, ad quem tantopere per Campianum anhelarat.

Splendebat hæc apud Catholicos erga Campianum veneratio omnium in dies illustrius; apud alios (demptis Reginæ Ministris, & Prædicantibus) innocentiæ clara fama, & damnationis in illum violentis calumniis intortæ, necísque iniustæ; volitabant hæc palam per ora omnium; palam Iuri Præfectus Vvrayeus professus fuerat, si postridie sic foret. De Sacerdotibus septem iudicatum, qui Nouembris vicesimo primo producti fuerant, vt de Campiano & sociis die præcedenti, futurum vt illam Regij tribunalis infamem maculam nullæ vnquàm Tamesis aquæ eluerent; ea propter agendum aliqua ratione vt Edmundus Ployденus à iudicio abesset, qui oraculum Angliæ in iure, & foro audiebat, prorsus alioqui exprobrandam illi fraudulentiam in causa prius damnata quàm tractata, & examinata. Inter has conscientiæ deprehensæ arctati angustias Reginæ Ministri, malo peius remedium ineunt, & patratæ fraudi, maiorem attexunt. Menses fluxerant à nece Campiani iam quatuor, cum primo Aprilis anno 1582. Edictum prodit de Campiano, Sceruuino, & Brianto, iubentúrque omnes mortales credere, iure illos, & legitimè cæsos; vetantur omnes vlterius quærere, quo pacto, & cur? & securis perinde oculis vt si coram spectarent in Reginæ verbis, & consilij publici fidelitate acquiescere. Verum enim vero incruduit, efferatúmque est vulnus, eo malagmate; nam si, aiebant etiam pueri, si mortis aliæ non fuerant causæ, quàm quæ in aula Vvestminsterienſi, & luce frequentissimi populi, tribus Sacerdotibus sunt obiectæ, vt quid noua nunc effugia captantur, & ad conscientiam Reginæ, ac iudicum (inuisibilia arcana) prouocatur? sin fuit aliud morte plectendum iuridica; cur tacitè pressum est. Cur non accusatum, auditum, probatum dum viuerent? vt vel connicti damnarentur, vel absoluerentur innocentes? & quæ tandem hæc forma iudicij insolens; damnare ad mortem miserum, nec mortis eius causam nisi eo mortuo

edere

edere, & hanc præterea non nisi generatim vt credatur nimirum non autem sciatur. At enim haud magno hic opus acumine, ad explicandum silentij huius nimis apertum mysterium. Fuisse videlicet ob religionem Catholicam necatos, & hoc inficiari, nec velle id aut videri aut credi, eámque ob rem, mortis causas occultas prætexêre, quòd læsæ crimina maiestatis, nimis infeliciter iis oppositа, nimis clarè calumniarum comperta sint, tum pro tribunali rationibus discussa; tum ad Tibornum sub ipso patibulo, sub ipso vitæ momento vltimo, conspectúque extremi iudicij, contestatione terribili purgata, & damnationis æternæ adprecatione. Ad hæc istæ obscuræ, ac reconditæ mortis causæ, vbinam tunc erant, cum vita, libertas, Reginæ gratia, honores, diuitiæ, dignitates, promittebantur volentibus solum, templa Protestantium subire? mors est illata nolentibus, aut videri aut esse inter Protestantes totum hoc fuit eorum facinus, cœtera fucus tantum & fumus. Facítque huc sapiens animaduersio scriptoris Angli quicumque is fuerit; nostri, ait, sibi non satisfaciunt in mortis alicuius probanda æquitate, nisi denuo illum post mortem confodiant, vulgandis contra ipsum libris, maximè cum res est aduersus Catholicos. Sudandum igitur affatim iis erit in editione librorum talium, cùm tam multos occidant, sui alioqui tam nullam se putant fidem populo facturos. Clarius ante hunc alius, larua hæc, ait, parum fortunata Campiano, Sceruuino, & Brianto sanctissimis viris, sed frustra obducta est, innocentia illorum haud minus perlucente sub alienæ calumniæ mendaci velo, quam aliena calumnia, veraci eorum innocentiæ offusa. Sed cùm penes Ministros arbitrium esset, leonis caudam exerere, vbi minus vulpina polleret; væ! qui Campianum ausus esset tueri, & eorum culpare iniquum iudicium, delatus illico, bonum factum luebat graui malo, vt qui ex Academicis & Collegis extra Regnum exules pulsi sunt, & ignominiosè deformati. Scribendi autem materiam Tamesis poëtis præbuit, naturæ miraculo, maris accessu destitutus, quo die cæsus est Campianus, cum lege naturæ nunquam interrupta, crescente cum luna Oceano, ad milliaria sexaginta in continentem restagnaret. Quod confictum à nobis hæretici, credi voluerunt, & Campiani meritis arrogatum. Per me quidem vt cognominaui naturæ solius miraculum esto; sed eius sunt testes, qui viderant, aderant, & Londini agebant, inter quos Thomas Fitzerbertus quem alias memini [id vnum, ait, haud duxi omittendum, Tamesim fluuium qui Londinum alluit, & ad æstus maris, suos etiam in dies accessus habet, ac recessus, eo die quo Campianus morte affectus est, præter quam solitus nec fluxisse omnino, neque refluxisse: idque tanquam rem inusitatam à quamplurimis obseruatum, poëtis præbuisse occasionem, vt varias ea de re cantiones componerent, in quibus prodigium illud Campiani martyrio palam adscribebant: & harum cantionum vnam, ab insigni postea musico numeris musicis adaptatam, & vidi ipsemet sæpius, & audiui] sublimiori argumento, & stylo Vvalsingerus innocentiam Campiani, & sanctimoniam prosecutus, inuectúsque in Pro-

testantium iniustitiam crudelem, manu carnificis publicè, vtráque est auricula truncatus, quam eandem probrosam & infamem pœnam tempestiua fuga Henricus Vvalpotus claritudine generis euasit. Adeo Ministris Protestantibus dolebat, poëma insigne, de vita & morte Campiani Anglicè ab eo compositum, vbi visa est P. Ioanni Gerardio incaluisse vena illius, sanguine martyris, ingentésque ex eo duxisse spiritus vt Christi consilia religiosus sectaretur, & multa nobis reliquerit, suo loco narranda. Sed in iis quibus laudes Campiani fuêre suo periculo & pœna chariores, eminet iuuenis, obiectæ in vulgus fortunæ; meriti locuples apud Deum. [Redibam, inquit idem Gerardius, à Tribunali, Londino sex milliaribus distante, cum facultate amicos aliquot visendi, dum me ante noctem carceri redderem. Offendi pessimo Breiduuelli marcentem in carcere, quem esse ægrotum acceperam. Fuerat enim mihi diu socius in carcere Equitis Martialis, longam miser illic trahebat catenam, quod Campianum, cuius etiam seruus fuerat laudasset. Coactis pœnis addebat spontaneas; cilicium horridum, ac prope continuum; demissione sui erat, & charitate singulari; semel eum me coram, custodis famulus colaphorum densa grandine operuit, silentem nihilominus, & ad iniuriam, ac dolorem mutum; translatus demum tribus cum aliis, quorum vnus fame interiit, in Briduelli putens ergastulum, ærumnis exesus ægrotauit. Spirans mihi cadauer apparuit, tam stipatis pedum examinibus depastum, quam ad mortuum talpam exedendum ebulliunt formicæ, hanc ille molestam fœditatem patientissimè perferebat] sic de illo Gerardius. Sed hoc tam enorme iudicium de laudatoribus insontis Campiani, & vituperatoribus Iudicum iniquorum, quorum fuerat calculo damnatus si se in omnes protulisset, amputanda fuisset cum auriculis lingua, & impingenda parti Anglorum mediæ catena; euasítque res in adeò lubrici, suspectíque responsi negotium vt Sacerdotes Catholici, iuridicè interrogarentur, de damnatione Campiani, quid apud se sentirent? & ex Georgio Iaddoco integerrimæ vitæ Sacerdote, qui & ipsi diu post, pro fide necatus est à cognitoribus in quorum manus inciderat, curiosius quæsitum quis esset in Gallia vbi tunc agebat cum occisus est Campianus, de morte illa sensus? quibus liberè Iadoccus, communem viguisse tota Gallia famam & opinionem, Campianum iniustè damnatum; incusasse audenter Reginæ tyrannidem Gallos omnes; concessúmque ab Rege, vt typis edita, mortis illius historia totis Parisiis cantaretur, quibus totidem aculeis quot verbis Ministrorum lancinabat conscientiam peruersam, auersantium improbitatis famam, improba facta tuentium.

Sed æque nihil iis sonabat absonum & acerbum quàm glorioſum Martyris cognomen, quod Campiano, Sceruvino & Brianto attribuebant Catholici, libris non modo latè aliunde in Angliam vectis; sed ipsa in Anglia prelo pressis (quod tunc sedes Romana cuius est de meritis sanctorum cognoscere non vetabat tanquam præoccupatum de iis iudicium.) Huius tituli honorem magnis clamoribus vociferabantur iniquè iis tribui,

quo

quo iam inde ab Henrico VIII. scriptores omnes soliti erant illos exornare, quos odio Catholici iuris, & consensionis cum Romana fide, tam multos Anglia peremisset. Volebant scilicet religionis causam in status publici crimen deflectere, atque in aliis tribus, consiliis huius propositum sancire; nam quod facile diuinarent, tribus sibi Anglorum adiunctis Collegiis Duacensi, Remensi, & Romano, Societatem in Anglia rei Catholicæ summo futuram præsidio, quantum ferro & viribus valerent, statuerant id anteuertere, ac ne totidem darent Catholicis martyres, quot occiderent Sacerdotes (ratum vero iis erat, quotquot essent delati perimere) subtili malitia, religionis causa tentos, videri voluerunt, coniurationis, & rebellij damnatos, & ab his tribus incipere, atque ad hoc ex locis vnde aduenerant singulis vt ante monuimus singulos legere verum quam falsi fuissent arioli, sensere postea suo cum intolerabili dolere, ex iis certè nemo, quos cruenta illa & fœda tempestas suo sanguine demersit, maiores his tribus honores, cultum, reliquiarum venerationem, & celebritatem memoriæ est adeptus, maiori nemo populorum approbatione, martyrum cognomentum.

Fuit profecto spectaculum nobile, Sacerdotum constantia, in asserendo mortis suæ vero & proprio titulo, cum duritie publici senatus composita, in eum aliò deflectendum obstinatè pertinaciter intenta. Hos cœpta vrgentes, æque nihil vrebat, vt Religionis sanctum nomen verúmque transformandi, in falsum titulum sceleris capitalis; & persuadendi causarum, formularum & sententiarum agitatione iuridica, proditionum reos mori; huic suo mendacio pertinacissimè afflixi, oppignerata edictis, & libris publicè sua fide; adigere populos voluerunt vt crederent Reginam Angliæ, Religionis & conscientiæ nomine mortalium nemini pilum vellicasse: è contrario Sacerdotes, quà nostri quà Collegij duplicis, quà plurium Ordinum nunquam abstitere traiectu in Angliam beato, si animorum salutis suis sudoribus prodessent, sed beatiores si etiam sanguine. In quo specimen edidere absolutissimæ charitatis, paucis forsitan obseruatum. Nam si iure homines miramur, magnitudine celsæ mentis, & pietatis ardore incitos, Euangelij sancti facem per maria omnia barbaris inferre, spe clari, certi, & indubitati martyrij, cuius nemo illis gloriam contendat; iudicet cui lubet, cordatus modo, & animo sagax, num sit eorum generosior charitas, qui spectato solum Ecclesiæ bono, Apostolicam operam populis addicunt, & consecrant; mortem ab iis & nomen referunt proditorum, falsis iudiciorum, & tribunalium ambagibus probatum solos profecto se sapere iudicarunt, illi Reginæ consiliarij, reliquam mortalium plebem, oculis, & iudicio captam ne cerneret esse illorum facta, verbis omninò contraria, legerérque apud Stouum Anglum, Protestantem, illis temporibus coæuum, & auctoritatis inter suos præcipuæ scriptorem; legeret, inquam, paucis annis, proditorum affectos supplicio, quatuor laicos mutati conuictos in Religionem Catholicam Caluinismi; Sacerdo-

tes duos & viginti, appensos patibulo, & quadratim sectos, partim quòd primàtum Romanæ sedis propugnarent; partim quod inaugurati sacris Ordinibus fuissent sub auspiciis Ro. Pontificis extra regnum; legeret quoque (nam & hoc addendum) in Parlamenti edictis ministerij sacri vsum inter crimina referri violatæ maiestatis; Iesuitis promissam libertatem in regno plenam, & securitatem, si modo inducerent animum morem gerere Reginæ in omnibus quæ statuisset de Religione: legisset denique in actis, & mortibus Catholicorum Sacerdotum, inuitatos largiter fuisse præmio libertatis, regiæ gratiæ, & conditionum opimarum; tantum vellent inter Protestantes in templis eorum apparere. Censendos fore exinde illico innocentes; & omni coniurationum, proditionis & rebellionum suspicione, atque inditio penitus absolutos; si vero animum in Catholica pertinacia obfirmassent, ebullitura continuo sexcenta in eos inditia.

Iure ergo Suares, traducta per omnes acutias minutiarum Theologicarum causa persecutionis Anglicanæ ab Henrico octauo ad Iacobum, concludit esse inter fidei persecutiones præsim numerandam, eáque tortis & peremptis nihil deesse meritorum ob quæ possint iis triumphales martyrum honores & peti & à Romanæ sedis supremo tribunali decerni at si habuisset ad manum dum scriberet, tabulas, leges, decreta Parlamenti, & secretioris consilij cuius omnes artésque incumbebant, ad Catholicam veritatem, auctoritatémque summi Pontificis Regno exturbandam; si quæ Sacerdotibus Catholicis fuerant à cognitoribus causarum obiecta, quæ ab iis responsa; palinodias item falsorum testium, quibus promissa, & minæ, os, & linguam fingebant pro arbitrio, & libidine quæsitorum & iudicum ad impingendas Catholicis atroces calumnias; quin & illic scripta, & edita ipsismet à Protestantibus annuatim actorum scriptoribus; horum inquam si maior copia Suari fuisset; quantò euidentiùs, fortiùs, & confidentiùs asseruisset quod nihilominùs, tàm solidè probatum censuit vt his tandem verbis concluderet [nihil ergo restat Catholicis quamobrem ambigant, de sanctorum istorum martyrio, & eum ex Augustini regula iis constet, occubuisse illos in Ecclesiæ vnitate, ac pro eadem eius vnitate, à summo apta post Christum capite; dubitare non possunt, quin martyrij coronam inde retulerint, vt ij vice versa quorum sunt scelere interfecti, crudele, sacrilegum, & infame persecutorum cognomentum] ita quidem ille quibus breuiter addo, nouum martyrum quoddam genus, cum legitimis nostris compositum Catholicæ fidei odio illic cæsis. Illorum vita, mors, & fides, nostris opposita, nostrorum causæ illam addent eminentiam splendoris quam solet ex vmbris & tenebris lumen iis obuersum ducere.

Ioannes quidam Foxius venerandæ apud Protestantes memoriæ (quibus meritis post dicam) Calendarium compegit abacum, seu magis arridet martyrologium, aut quidvis alterius nominis, quod Elizabethæ Reginæ dicatum Londini vulgauit hoc indice *Memorabilia & singularia rerum in Ec-*

clesia

cleſia contingentium quo Eccleſiæ vniuerſæ maieſtatem, & amplitudinem, in Anglicanæ angulum, ſic anguſtat, vt Chriſtianiſmus illud eius opus nuſquam alibi poſſit ſibi tribuere: quantumvis autem profiteatur eius auctor, illud ſe haudquaquam æquiparare diuinis paginis, vt quæ ſint ſupremæ, & ineluctabilis veritatis; æquiparatur nihilominùs, & publico Reginæ Decreto Seruatur Foxius, Proteſtantium vbique in templis, catena parieti alligatus, poſtque feſtis ſolennem ad populum ſcripturæ materna lingua lectionem & interpretanti arbitrariam eiuſdem expoſitionem, noui de Faxio aliquid promitur, auditoríque auido recitatur. Promi autem quid poſſit, vel is liber quid noui contineat ſi quæris? Eraſos primùm ex Calendario Ro. Eccleſiæ abaco quoſcumque hactenus vniuerſalis volebat Eccleſia martyres, Doctores tùm Græcos, tùm Latinos; Virgines, & quicquid ſanctorum in ſacris diphtycis ab ortu Eccleſiæ relatum in ea fuerat, tanquam prorſus indignum memoria temporum; ſubſtitutos vero Athanaſio, Baſilio, Chryſoſtomo, Gregoriis, Ambroſio, quin & Auguſtino, & Hieronymo & quicquid Eccleſia Doctorum mirabatur, Eraſmum, Lutherum, Melanctones, Fugium, Bucerum, etiam Eduardum huius nominis ſextum, vel palam hæreticos vel hæreticorum Patriarchas; quin & pro martyribus refoſſos & è ſterquilinio, ſuffectóſque in eorum loco, propudioſos Vvaldenſium cineres Vvicleffiſtarum, Huſſitarum, Pauperum de Lugduno, ſuorum item & Lutheranorum, & Caluiniſtarum quos aut viui comburunt, aut poſt mortem rogus infami pœna ſuſtulerat; alios felici Mariæ quinquennio, citius alios, Vvicleffum, Cobhamum, Hus, Latemirum, Pragenſem, Tindallium, Ridleum, Cranmerum & iis ſimiles proh pudor! eminentia ſcilicet meritorum, in album illius abaci minio adſcriptos. Sunt hi recentes, vnius eiúſque legitimæ, ac ſolius veræ Proteſtantium Eccleſiæ Polycarpi, Clementes, Ignatij, Cypriani, Euſtachij, Sebaſtiani, Laurentij; nec pudet Foxium, ſuo illo cum Nicolao Ridleo, Mirenſem componere, & æquata virtutum & ſanctatis fama ſuſpendere; ſuum quoque illum, ſi quis alius vſquam per ea tempora, ſpurcum, ſeditioſum fraudulentum Thomam Cranmerum, Cantuarenſi, & martyri, virtute ac miraculis clari, immenſis ſpatiis anteferre. Cœterum Virginis, aut Pœnitentis nomen, mirum haudquaquam eſt vt nullum his abacus, ne atramento quidem adſcriptum exhiberet, eſt enim altera ex Euangelio ipſorum naturæ iniuria, altera gratiæ; carnis vero æqualiter vtraque, proinde condigna quam ſpiritus illorum ſanctus pari odio vtramque refugiat, quod adeò verum eſt, vt eorum puella, quam hæreſis pertinax igni damnauerat, hauſtu primi vaporis abortierit, enixáque in illa flammarum, & multitudinis immenſæ luce palam fecerit quam ſincera, quàm bona virgo; quæ fœtum maluit (quod ſperabat) in vtero extingui, quam ſua cum aliqua dedecoris nota priuilegio legis baptiſmum illi redimere. Poſt hæc docet Foxius noſtras de ſanctorum geſtis hiſtorias, ſuis offecturas, cum enim ait, martyrum acta, & cuiuſcumque Ordinis ſanctorum qui Calendarij

Romani tabulis coluntur, pari omnia inquit, laborent falsitate, vereri se scribit agiomachus sacrilegissimus, ne tantumdem de suis suggerat coniectura, æquali nimirum corruptis falsitate. Se tamen vndique centum manibus corrasisse, ac refodisse archetypas illorum origines, legisse auctorum quantum nemo sat credat, & emunctæ omnes, castigatæque naris inuenisse ad secernendum à falso, verum & hunc totum simul laborem, herculeum plus decem & octo mensibus absoluisse, qui ei exscribendo vix cuiquam sufficiant; quæsisse nempe materiam operis; examinasse seorsum singula; suisque firmasse auctoritatibus, & stylo demum eleganti aptè dispositа contulisse in vnum Augustæ chartæ volumen grande, columnis duplicibus, palmi crassitie, & minutissimo editum charactere. Iam hoc tanto, tam vasti voluminis, tam præcipiti hiatu, an absorbuerit martyrum tot támque illustres milliones, quot ab initio & vniuersalem ornarunt Ecclesiam, & hoc æuo Londinum totámque Angliam, & assecutus sit quod tentabat obruere scilicet illorum nomen & gloriam obliuione sempiterna; an vero potiùs, quod scitè Harpsfeldius, Christi Confessor de Calendario illo dixit, antiquam in Anglia Poniropolim Philippi conscripserit, ex colluuione conflatam desertorum, & sceleratorum quos in suum illud decumanum volumen redegit, hoc scire qui auet duos obsecro legat Personij libros quibus illam tantisper mouit actorum Camarinam, ex qua nouæ mephitis sanctimonia expirat, tam fœda, & abominanda, vt Montanistarum, Marcionitarum, Nouatianorum, & Donatistarum, martyrologia vetera, meram præ iis putes fragrantiam, ex ea tamen sanctitate apotheosim suorum Foxius condidit; nihilo ipsemet iis vita melior; quorum monumenta, & nomina suis in Ecclesiis dedicauit, nam vt cumque se *mala vulpes* (quod sonat, Foxij cognomen) occultauerit fuco probitatis; fefellit inuitum latens improbitas; & dignum auditu, ac simul pauendum quod eiusdem cum illo hæreseos, illique intimus vulgauit Cursonius. Narrabat supra mensam primariæ feminæ Comitis Darbiensis, miserum Foxium, in eas subinde, vitæ anteactæ conscientia flagellante angustias, & spasmos agi, vt Dei toties offensi reus desperaret illius misericordiam; tunc autem horrendum vociferans, ac furens; ab iis qui causam non nouerant arreptitius crederetur quicquid Papistæ hic dicant, nullo reuerà dæmone alio, nisi criminibus propriis vexabatur] his ille ab eo arreptitij defendens maculam, qua Catholicus nobilis eum laborare ab oculatis testibus exaudierat, & præsens narrabat.

Regina igitur in cassum edicente vt Campianus Sceruinus, & Briantus iure ac legitimè cæsi crederentur; in cassum Foxio id agente, vt Protestantium suorum ominosis nominibus Calendarij Anglici dies omnes impleret, ne quis eius vacaret excipiendis Catholicis locus, futura est tamen, ne quid grandius dicam, apud Anglos semper gloriosa eorum memoria, poterúntque sat esse pauca, quæ diximus ad testificationem Alani confirmandam qua Præposito Aquauiuæ gratulabatur eorum triumphum;

triumphum; nec argumento tam memorabili certius valeo quam verbis ipsius finem imponere [varia, inquit, de Campiano expectatio cum adhuc viueret, animum nostrum anxium reddiderat; mortem nimis patriæ nostræ immaturam, lacrymis precibúsque à Deo quantùm potuimus sedulo deprecati. Sed pueris vestris; nostrísque defunctis, támque glorioſa morte sublatis; ipsis, vobis, patriæ, Societati, Collegiis, Ecclesiæque vniuersæ, tam memorabilem de hostibus triumphum toto corde gratulor. Nihil contigit in omni penè Christianæ Ecclesiæ tempore illustrius, salutarius, aut sanctius; nec fuit vnquam in omnibus martyribus quisquam, maiori scelere, apertiore iniquitate, iniustiore sententia, quàm isti ad mortem condemnati.] Hæc Alanus Doctor.



LIBER QVARTVS.

Campiani mors eiúsque Sociorum, ad Societatis incrementum confert, & Seminaria Anglorum auget. Testimonia virtutum in iis florentium. Reginæ in illa odium. Variis defunctus periculis Personius ex Anglia transit in Galliam.

CAPVT PRIMVM.

SIBI quidem Regni administratores satisfecerant plurimum, Sacerdotum trium innocenti vita ex hominum oculis famoso supplicio tollenda, se tamen adhuc abesse longius à mensura implendi furoris reputabant, vtque ille quondam Romæ suæ, vnum esse optabat & collum & caput, vt truncari vno ictu posset innumerabilis illius populus; sic planè isti, morte Campiani Societatem IESV totam; Scruuini, Anglorum Seminarium Romanum; Brianti, Remense, periisse optassent; qua sola triplici ab sodalitate, suæ hæresi metuebant. Exinde igitur in eam nullo fine exilia, minæ, proscriptiones, edicta, inquisitores, delatores, exploratores; nouæ molitionum, iudiciorum, tormentorum figuræ, latente illorum cæcitatem pulchritudine virtutis, & amoribus, quos sui mirabiles in animis excitat. Sed illos tandem euentus docuit, quæcumque adhiberent ad hoc hominum genus triplex, extirpandum, iisdem crescere ac florere. Ad Societatem quod attinet, vix tot guttas cruoris fuderat Campianus, quàm multos Anglorum vndique, omnis ætatis, & conditionis, infimis precibus eam à se petiisse testatur Personius. Ac licet non ab re, imo Alani quoque admonitu, pressà magis, quàm explicata manu, intromitterentur; qui tamen voti, facti sunt compotes fuêre tam multi, vt multorum querelas mouerint, boni magis instinctu animi quàm ratione certa probabiles, quasi suis hoc modo priuaretur operariis Anglia, dum se religiosæ familiæ addicebant, quæ tota erat iuuandæ Angliæ addicta. Velut autem esset eorum angustior numerus qui Societatem ambibant, eos etiam noti, & familiares consiliarij ad hanc vltro vrgebant, inconsultè omnino arbitrati fore vt hoc ipso auerterentur à Societate. Nam infeliciter

feliciter admodum astuti vulgarunt, communem Catholicis omnibus, singularem esse, Iesuitarum causam, in quo sua profecto opinione falsi sunt, nec illi quicquam communi decoris decessit; & priuatæ nostræ accessit plurimum. Quò maiorem nobis inuidiam facerent (inquit Alanus ad Præpositum Aquauiuam, impugnandam ceperunt Catholicam, & communem causam, vt peculiariter, & priuatim nostram; & religionem Catholicam, religionem Iesuitarum nominarunt; sic illa postrema nominant edicta, Oxfordij & Cantabrigiæ promulganda, quibus indagari iubentur sectarij religionis Iesuitarum, omnésque illic iurati adiguntur ad eos deferendos, quos vel suspitione sola didicerint Iesuitis, aut Iesuitarum religioni fauere.] Ita quidem Alanus; sed de redigendis in solitudinem, quod sperabant, Seminariis, sic idem, vestro, ait, isti Romano Collegio, & Remensi nostro, conflarunt in Anglia eam celebritatem famæ conciones aduersariorum, edicta Reginæ, & Auctorum libri, vt quòd recens ad nos perscribitur, quicquid deblaterent nihil obstet, quin multi Oxonio præsertim ex Academicis fugam ad nos adornent, stentque ad illam in procinctu. Et probat aduentu illorum plus viginti, qui diebus tantum quatuordecim appulerant. Stupet Tarraconensis Episcopus, Yepes ex familia S. Hieronymi Philippo secundo à confessionibus, & concionibus, stupet inquam, vnum præ omnibus, quæ in vexatione Angliæ plurima, & mirabilia contigere, adolescentulos tanti animi fuisse, vt paterno ab se abdicato lare, eiúsque commodis, peregrinas, & ignotas patrias adamarent; & nullo se scribit sensu tam tenero, dulcíque affici diuinæ in illos, eorúmque parentes operationis tanta fide ac robore, filios suos Deo immolantes. Facile cogito, quid illi tunc sentiant, matres potissimum, quarum est in charissima pignora, natura mollior, nam denique matres sunt, cum ea sibi reuelli ex gremio sinunt, transitéque in tractus exteros, per maris quidem sat nota pericula, sed longè grauissima portuum in quibus decretorum capitales pœnæ à regni exitu illos arcent. Et hæc ferunt parentes, vt suis diu liberis tanquam luce orbati tristes agant; & postliminio reuersos ad hoc recipiant vt cernant ob oculos occidi, secari, æterno totius familiæ cum probro Reginæ perduelles, & Regni proditores appellari, qua nulla potest à Principe, vel Regni Senatu maior ignominia inuri, si tamen habendum dedecori, quod ab hæreticis infertur. Hæc F. Yepes, quibus mille Deo gratias addidisset; parentum illorum, & liberorum generositati laudes mille, si hæc ad illum deuenissent prorsus mira Doctoris Alani ad P. Agazzarium Romam scripta. [Dedit, inquit, hoc vestrum, nostrúmque Collegium, postremis his annis Sacerdotes Angliæ ducentos triginta; ex quibus duodecim superiori anno necati sunt; ad quadraginta passim diuersis Regni locis in carcerem coniecti; tanto ex numero, tantísque in cruciatibus, deditionem fecit nemo præter duos tantùm, quos admissi dolor, ad mentem, officiúmque reuocauit. Quod mirabilius, de vita illorum & moribus, nullus in læuum sermo, nulla offensio.] Sic ille ad annum 1583. ex quibus fit mihi valdè credibile quod idem scripsit ad Gilbertum

cuius fiet post amplior mentio, rescitum ex Mendoza Regis Catholici apud Elizabetham oratore; inter arcana nectendi cum ea, & Alenconij duce coniugij fuisse, vt exterminaretur Anglorum Collegium non modo Remis, sed & Gallia vniuersa. Id si non fieret; vitæ suæ diligenter caueret Alanus, nec enim illi defuturas proditorum insidias. Adeò Reginam, eiúsque ministros angebat ille in Angliam quot annis, multorum traiectus Sacerdotum, ex quo erat necesse ex duobus vnum aut dissimulando, iisque tacitè tolerandis religionem Catholicam propagari, quam volebant stirpitus euulsam; aut iis occidendis, & Angliam, & Elizabetham, cui nihil erat antiquius infinitæ cuiusdam fama clementiæ, per Europam omnem crudelitatis nomine diffamari; minùs tamen priori acerbè iis sapuit discrimen hoc alterum contemerandæ clementiæ, Nobis ergo quem nunc aggredimur annus 1582. & quo vix alius illuxerat Angliæ calamitosior Catholicos exhibet duodecim numero Sacerdotes, carnificis manú, cum adhuc spirarent quadratim sectos, Deóque laus, quod sparsos vbique ab aduersariis laqueos non plures incurrerint; Personius maximè, quem iam in Gallia secutum exploratores centum in Anglia sub omni saxo, indagine curiosissima requirebant. Manebat sors eadem Georgium Gilbertum nobilem iuuenem alias iam dictum Personij Comitem, qui se totum ac sua religioni Catholicæ manciparat, fuítque Personij solers, & prouida cautio ne decipulis caperetur, quas ei tot locis Reginæ ministri aptauerant, vt nisi fuga vitari non possent. Tenebantur iam capti, Sotamptoniæ Comes, & Barones Pagettus, Comptonus, Vauxensis; Treshamus præterea, Catesbyus, Arondellus, & Poïnezius, aurei calcaris Equites; Seeldonius, Trocxmortonius, alij ex primario sanguine complures rei omnes eiusdem nouæ capitalis hoc est Catholici nominis, & professionis nec tacitæ, nec dissimulatæ: agebant hi omnes in ærumnis molestissimi carceris; sed erant Gilberto Patrum adiutori, Duci & Comiti, certa equulei, & furcæ supplicia nisi Personius in Galliam primum, inde illum Romam transmisisset, vbi biennio ferè post, Catholici hominis egregia decora, & Religiosi pariter insignis obiit, sed illum ex Anglia soluentem, quarto post mense Rothomagi assecutus est Personius, vnde reditum breui meditabatur in Angliam; pedem tamen in illam nunquam postea retulit, vt nec inde vnquam cogitationem, & curas extulerat. Sed hoc in vltimo extra illam ingressu, suspice libet singularem planè diuinæ prouidentiæ tutelam in defendendis ab eo regiorum canum tam perpetuis, tam cæcis, tam variis, tam ancipitibus insidiis, vt esset omninò iis inuoluendus, si ei superior oculus non inuigilasset, ac miris etiam, sæpenumero modis, ab eo illas auertisset; nam minimè omnium (quod fabulati sunt nonnulli) animi gratia, & ludens tentabat pericula, vel simulata conformatione incessus, vel schemate, vel intrudendo se in penetralia palatij, breuiario sacro tàm insulsè lateri aptato, vt ei coram excideret; vel suos ipsemet prostantes in compitis tanquam publici hostis vultus deformando ne posset ex iis, vt satagebant aduersarij agnosci; sunt hæc & similia commenta nugatoris, argumenta iocandi ex

Personio

Personio fingentis. Pedem quocumque immitteret, prætentabat quidem oculis gressum sagaciter, nec vno in loco vltra diem vnum subsistebat, ne quod sæpissimè ad varios scribit, ne designaret exploratoribus quò collinearent, qui fiducia illius haud vtique sterili sed magno suo lucro intercipiendi, Catholicorum domibus oberrabant, & semel contigit vt tantum non ab iis caperetur, cum bidui moras alicubi traheret; sed nocte vltima media excitatus capitalium lictorum vocibus; sub fœno, & tegulis latuit; alias agebat paulò prolixius in Bibliotheca Doctoris Catholici cum repente illum instinctus corripuit alicuius mali proximè instantis, nec vllis teneri amici precibus valuit ne tam præceps abiret nondum vicinum euaserat Tamesim cùm adest caterua satellitij forensis, certo illum prehensura quem certo didicerat illic esse. Quæsitus item est apud Protestantem ad ripam Tamesis, cum ex eius domo paulò priùs exisset; comprehensus est in vicina Briantus, de quo in superioribus diximus, sed mirabilius quod ipsimet euenit, Vvalsingani ministris obuiam eunti, à quibus Londini in diuersorio publico seu Rosæ, seu Leonis rubri expectabatur in insidiis, vico Olbornio. Illuc eum rogarat se conferret Sacerdos Catholicus, Eduardus Resthonus, vt suo cum fratre, & nobilibus aliquot, Lancastriensibus, pars schismaticis, pars Protestantibus, communicaret de vera fide; illic Personius haud pridem fuerat cum illo eodem Sacerdote, locum notarat, & signa, & nomina; illuc vbi venisset nocte iam ad medium prouecta, sic eius animum transuersæ rerum turbarunt imagines vt licet oculis obuersatetur domus; & menti, eius memoria; nullo tamen signo eam agnosceret; ingressus hospitium, & quærens de hospitij signo ex familiaribus, ita eius immutat, nihil minus aduertens, & corrumpit nomen, vt ab iis non perciperetur, térque iam idem per vicina hospitia frustra rogauerat, cùm ad prius reuersus, idémque frustra requiritans, nunquam cogitauit de reducendo tantisper pessulo quo cubiculum ad fores hospitij semiclusum patebat. Id si feciisset, actum de illo erat; eum humi strati, homines Vvalsingani operiebantur, ingredienti manus illico iecturi. Desperato igitur inuentu ædium quas se cernere nesciebat, noctis residuum in Catholici nobilis transegit ædibus, postridie mane, cantari se audiit rumoribus capitalitiis, inter captos ea ipsa nocte, depingíque ad verum ex vultu, persona, lineamentis, colore, conformatione totius corporis; patefactis nimirum inditiis quæ exploratores de illo ad amussim insidiantibus fecerant, qui morarum impatientia, suo demum post mediam noctem erumpentes cauo, Sacerdotem Risthonum, & cum eo prædam septem nobilium hospitum in custodiam abduxêre. Meo tamen iudicio mirabilior fuit quanquam per se minorem præferat speciem Dei cura in conseruationem Personij vigilis, fides illi constanter à seruo custodita iuuene, scelerato, hæretico, paupere, & Prædicantis pauperis filio. Huic Roberto Alfildo nomen, fama olim viarum grassatoris, mores Caluinistæ parentis moribus peiores, inhumanus animus, & ferox, robustum corpus & mobile. Hunc frater Catholicus, & admodum pius, persuasit

quoque Catholicum fieri, Remos iturus, vt Sacerdos factus rediret in Angliam, inde saluti animarum se totum daturus, Personio obtulit, enixè rogans ne grauaretur in seruum admittere, ducémque itinerum, vadem se pro illo, capútque obligans fore ipsi fidelem, & arcani cuiusvis inuiolabiliter tenacem. De Patris Calumniſmo & ministerio prædicantis, perditissimis item germani moribus penitus siluit, omnino persuasus, familiaritate Personij, verbis & exemplo, transformandum illico in hominem alterum, qualem ipse optasset Personius, qui dolo captus innocenti, admisit hominem, & ante omnia reconciliatum cum Ecclesia & Deo, per sacram exhomologesim Sacerdoti Catholico factam, deinceps illum non pro seruo, sed pro comite, germano, vitæ fido custode, latebrarum ac secretorum omnium habuit. Maximè vt vidit (sincerè fortassis) religiosis operibus, & precationi, & sacramentorum vsui deditum: quem vetus sua, vel præsens Patris, hæretici, egentis, Iesuitarum hostis improbitas perpulisset ad indicandum Personium qui toto Regno inuestigabatur, eiúsque caput venale Cæcilio, Vvalsingano, Optono & similibus dandum, magnis erat in omnem & suam, & parentis vitam ditandus commodis; sed hanc dum esset in Anglia, & posset cogitationem diuina bonitas ab eo auertit. Reuersus in Angliam scelestus Vvalsingano se totum venalem; cunctáque addixit Catholicorum recondita, & arcana, demúmque sanguinem fratris Sacerdotis cui & animæ vitam infelix debebat, & corporis. Sic Deus Personium Ministris Regiis subduxit, & missionem Angliæ sanguine Campiani, & concionibus; Personij sudoribus, atque industria; illius tredecim mensibus, huius annis triginta stabiliuit, difficili tamen de prærogatiua meritorum inter vtrumque iudicio.

Angliam

Angliam Personius deserit. Augi in Nortmannia Seminarium statuit. Libros edit Catholicæ fidei; & animorum conuersioni maximè vtiles. Incumbit sed frustra retrahendæ ab hæresi Scotiæ. Factionis origo contra Societatem motæ.

CAPVT II.

MVLTIS, & grauibus de causis obstringi se sensit Personius ad aliquem sua ex Anglia in Galliam secessum; fore in primis alioqui vt tandem interciperetur ab aduersariis toto regno in eius indaginem latè grassantibus, & infestantibus vrbes, villásque suburbanas, & Catholicorum nobilium rusticationes importunitate intolerabili; adde, & Sacerdotum quantumvis securas latebras, quibus sæpiùs nocte intempesta exploratores ingruebant, nec indicatis, nec quæsitis: Sed in Personij vnius indaginem immissi iámque horum nonnulli querelas, & mœrorem ex interpellatæ securitatis conceptum molestus ferebant ægerrimè, nec dissimulare silendo poterant; eam ob rem visum huic priùs occurri debere quam se amarius proderet. Ad hæc Personius ipsemet prudenter cogitans, tot exploratorum tam longas manus, & lynceos oculos vitari à se nisi miraculo toties non posse, seque ab iis aut casu, aut desertoris alicuius proditione breui capiendum, vita hinc; inde sudoribus æqua lance libratis concluſit diuinitus, fore sibi glorioſius vitam & sanguinem pro Christo fundere; sed fructuoſius Ecclesiæ Dei, & eius vtilitatibus insudare,

Gerebat enim Personius ingentes spiritus, & magnas cogitationes, semper in bona ingentia, vniuersalia, & duratura mittebat. Prudentia item tam solerti pollebat, & acuta, vt quæ cogitarat, egregiè semper viáque optima in felicem exitum duceret. Postremo grandi erat, fortíque animo, párque difficultatibus frangendis, quæ magnis semper agitandis, maximæ intercurrunt: quæ tria vix est vt emineant in vno, sed eminuisse in Personio aiunt omnes qui procul inuidia de illo scribunt. Insidebat viro, inter alia etiam præfidentia magnæ molis, reuocandæ nimirum ad veritatem Catholicam vnitatemque Scotiæ; summo quidem, & Regni eius bono, & Angliæ, quam acutissimè coniectabat in partem eius boni, vt post clarum fiet venturam; versabat præterea conatus stabiliendæ in Anglia susceptæ missionis, scribendíque fusius suam mentem ad Præpositum Generalem,

aliósque si opus foret etiam maiores, quod Scotis conuertendis vt necessarium, ita in Anglia, nisi difficilè præstari non poterat. Litteris nunquam non periclitantibus ne in manus venirent Consilij publici ad omnes extra Regnum mittendas suspicacissimi. Accedebant his item rationibus intentæ ad Seminaria fundanda curæ, & in præsens vnum rudibus maiorum litterarum pueris, qui nec erant Romani, nec Remensis Collegij capaces, cúmque mitigandæ aduersus Catholicos Reginæ Principum nemini tantum fore precum & virium crederet, præterquam Regi Christianissimo Henrico III. meditabatur iter Parisios vt per eum id saltem obtineret ne Recusantes, Protestantium obire templa, octoginta in mensem aureis mulctarentur. Has miserias coram spectans & gemens Personius & immanem eorum expilationem, scribebat ad Alanum venisse tempus quo post filiorum sustentationem, viderentur sibi ditiores, religione conscientiæ teneri horum inopiæ opem ferre. Volebátque ad hos pedes Christianissimi Regis Catholicorum luctus deponere, vt impetraret iis litteras ab Regina, quibus se tam cruda vexatione eximerent. Accessit denique arrogantia Prædicantium ministrorum suis in Catholicam fidem iniurioſis libris insanientium qui cum æque re nulla deprimerentur, & animo caderent, quam eorum refutatione nihil ita Catholicos roboraret, vt piorum editio librorum opportuna; optabat alicubi vicinum Belgio, seu Galliæ locum vbi esset ad manum Typographia eiúsque opifices Anglicè periti atque ad hoc præsertim vt noui testamenti Anglicam versionem in publicum mitterent, Alani Doctoris, & Theologorum Seminarij Remensis exquisitum, fidele, & accuratum opus. Horum quæ Personium mouere vt in Galliam transiret sigillatim euentus spectabimus, & si qua Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ malis potuisset humanitus ferri medicina, esset profecto Personius magnis in Ecclesiam meritis memorandus. Sed confecit quidem alia perfese, quorum eius cum laude vigent etiamnum, & leguntur prouentus; aliorum tametsi tunc erant fortuita, post vero effectui data sunt, susciendorum animus defuit nec prudens industria perficiendorum.

Haud diu post deprehensam in palatio Stonari Typographiam, captúmque Hartleum, & duos cum Typographis quatuor, nobiles; secessit Personius Michelgrouen, quasi lucum dicamus S. Michaëlis, in Prouincia Sussenxi, & Arondelli comitatu ad mare situm, illic apud à Domino Scelleyos nobilitatis primariæ Catholicos, monetur nauim in procinctu stare ad transuehendos, in continentem aliquot Sacerdotes, nautarum securus adest prius quam illucescceret; sed iniquo repente tunc mari, & aurora iam tacitum, & tutum reditum negante, in tuguriolo deserto latuit; ponentéque post biduum vento, Rothomagum vertit, vbi expectabatur à Gilberto. Sacerdotes è Societate quatuor in Anglia reliquit, duos in carcere, cum Campiano pariter damnatos, Bostgrauium, qui tamen in exilium pulsus est, & Thomam Cottamum, cuius nobis recurret narrandus exitus; & duos à carcere liberos Gasparem Hayuoldum, & Guillelmum Holtium, præter quos vix alium passus est, esse sui discessus conscium; quamobrem

ex

ex Gallia cum daret ad Catholicos literas, notabat Vveſtmorlandiæ, Combarlandiæ, Northumbriæ datas, locis ad ſeptentrionem Londino maximè diſſitis, vt liberum ſibi pararet in Angliam regreſſum, futurum alicqui vt iis omnes ad portus interciperetur inſidiis, quas nunquam eſſet euaſurus.

Confectis ex parte negotiis cum Rothomagum rediiſſet, ſuperuenit Treshamus Decembri exeunte, Elizabethæ olim cubicularius nobilis, bonis tunc, aula, & patria pro Chriſto pulſus, nuntiauítque de incomparabili gloria, & incremento fidei ac feruoris, quod conciliarat Catholicis moriens Campianus; eſſéque certam omnium perſuaſionem nunquam multis ſuperſtitem annis potuiſſe tantùm rei Catholicæ Apoſtolico miniſterio conferre, quantùm ſupplicio & morte paucarum horarum attulerat; his Perſonius piè illacrymans, tam incitato deſiderio exarſit beatum ſocium ad Tibornum ſequendi miſcendíque cum eo ſanguinem vt abſque mora, in Angliam remetiri traiectum voluerit; ceſſit tamen rationi feruor, Hayuuodij literis accepit, Perſonium, & Doctorem Alanum fuiſſe iuridicè ſolenni ſententia, rebellionis condemnatos: cenſere proinde Catholicos nefas illi eſſe ſalua charitate, forſitan & conſcientia, illic apparere, futurum ſiquidem compelleretur, aut inuiſus, ignotus ac velut ſepultus & nemini vtilis abſcondi; aut quibuſcumque prodeſſe familiis tentaſſet, iis exitij, & mortis cauſa eſſe. Eadem enim aduerſus rebelles damnari ſententia & pœna, qui eum hoſpitio collegiſſent, iuuiſſent in aliquo, eiúſve conſcij latebrarum, eas Miniſtris conſilij publici non denuntiaſſent. Charitatem vicit vna, ſed altera charitas, cuius gratia occaſionibus acquieuit, ſi omitterentur nunquam poſtea redituris. Euentu exiuit meliori pars maior operum, quorum cauſa in Galliam venerat; nam & pueris Anglis Seminarium ſtatuit, Ducis Guiſij religioſa liberalitate; & eius qui noſtris in Gallia præerat Claudij Matthæi, pio & beneuolo ſtudio. Augum Dux obtulit vbi fundaretur, vrbem Nortmannïæ ſupra Dieppam Angliæ auſtralem, breuíque in eam traiectu percommodam, & quadringentos annuatim alendis pueris aureos; quibus paulo poſt acceſſit quod viginti alendis ſufficeret. Matthæus ſcholas, Magiſtros, & ædes attribuit, quæ migrantibus in nouum Collegium Patribus, vacabant; typographicum torculum cum toto eius inſtrumento, & artificibus Perſonius Rothomagi ſtatuit, ad omne genus librorum edendum qui poſſent Angliæ prodeſſe ſuggerente ad hoc ſumptus neceſſarios Gilberto, cuius largam liberalitatem auxit deinde mercator Hictonius, qui rem ſuam omnem tam vtili ſanctóque operi, demptis tamen lucris, attribuit. Cui ſe poſtmodum adiunxit Stephanus Brincleus, ille inuicti animi nobilis, quem eadem ex cauſa vidimus Londinum trahi quod Rationibus decem Campiani edendis præfuiſſet; exul nunc, & pœna capitis reditu excluſus, liberalem ſuam Perſonio addixit operam, ad emendanda ſaltem quæ prælo ſubderentur prima librorum archetypa; & iis in Angliam tranſmittendis ſecuram induſtriam, cum tantum ſcientia non valeret, vt poſſet ipſemet ſcribendo in religionis obſequium aliquid edere.

Hoc loci apparatu (aliorúmque post) edendis Anglicè libris idoneo, credi vix possit Protestantium vecors tumor quantum remiserit, cum paratum in se promptúmque cernerent doctrinæ Catholicæ armamentarium, nec fore sibi deinceps impunè si sua vt soliti aduersus Catholicos mendacia sannas, contumelias, execrationes, & calumnias in vulgus spargerent, nostris in Anglia defensione omni prohibitis, & quauis etiam furtiua pro Papistis editione scripti cuiuscumque, patibuli pœna interdictis. Antehac vt scribit Alanus, consueuerant Patres, & ex Sacerdotibus alij, festinatis, & elegantibus libellis, summéque vtilibus penetrare se in aulam, ipsásque in Reginæ aures & oculos, cuius æquitatem aduersus hostes implorabant, apertúmque in eos, & liberum congrediendi campum; legebat subinde aliquem, & laudabat, (vt cum ea loquar) styli, veneres, & pulchritudinem, indignantibus vehementer consiliariis & metuentibus, ne Catholicis quod petebant tandem innueret, aut fieret in eos mitior] ita Doctor Alanus, & futurum deinceps, vt posset Anglia vbique gentium, librorum vocibus audiri, & causam agere suam; barbariem queri maximè in cruciatibus, carcere accusatione, damnatione iniqua Sacerdotum, & quæ tanto studio etiam Reginæ, sua tribunalia occultabant, palam orbi pandenda vniuerso, & per Typographos exponenda nunc omnium oculis, & ne ipsi quidem Reginæ in posterum vel neganda vel dissimulanda. Et vero illa inhorruit famæ dedecore quam sibi latè immerenti fraus & culpa suorum aspersérat; putatúrque hinc factum, vt Sacerdotum quinquaginta carcerem aliis quos tenebat; aliis mortem ad quam erant damnati, exilio mutaret. Porro inter editos Rothomagi codices, Personio antiquius nihil fuit, vulgatione festinata noui Testamenti, eleganter Anglicè redditi, & elucidati argumentis, & adiunctis mero è textu, & sincero promptis, quem sexcentis locis Protestantes vernaculis conuersionibus violarant, cogebántque Deum Caluini vocibus mentiri; ad hoc Rothomago cum Gilberto Remos venit Personius, mille aureos Alano ferens in subsidium operis inchoati, munus pauperum Anglorum grande, sed generosæ tam pios in sumptus liberalitatis. Inde Rothomagi tres suas edidit lucubrationes, quarum vna vt pridem narratum est, Ciarcxi & Hanmeri conuincebat aperta mendacia. Catholicis altera subdebat animos ad bonorum rapinam, & vexationes à Protestantibus perseueranter & fortiter pro Recusanis eorum cœtibus perferendas; Tertiam inscripsit Directorium Christianum, cui suum alibi locum seruo, nunc tantum obiter commune de illa iudicium refero, si nihil præter illam Personius, religioni Anglorum pietatíque contulisset, dignum fore, hoc solo singulari apud eos meriti gratia, tam multos id opus & reduxit in viam errantes, & pergit reducere, pari quo mentes legentium veritatis splendore illuminat, & virtutis ardore incendit.

Nunc de spebus quæ illum frustratæ sunt, etsi apud Deum minimè vacuæ; apud homines semper magno prudentiæ nomine laudatæ, quæ duo tantum eius fuisse partium videntur. Sperabat ab Rege Christianissimo

interceſſum

interceſſum iri grauiſſimis,& intolerandis oneribus,quibus Catholicos Regina in dies premebat atrocius, idque ab ſummo Pontifice Greg.XIII.petẽdum ſategerat. Reſpondit Chriſtianiſſimus dolere ſe plurimùm, quod certis de cauſis id ſibi non eſſet integrum, cui reſponſo non auſus inſtare Pontificis Nuncius incœpto abſtitit. Contra Rex Scotiæ Iacobus adoleſcens, etſi aura Caluini afflatus, ſuum tamen Perſonio fauorem obligarat, ad conciliandam cum fide Catholica Scotiam; hanc vero tam lætam expectationem quis interuerterit, & longè abſimili euentu clauſerit, paucis pono. Elizabetham vitæ annos ſeptem, & quadraginta prætergreſſam, ſpes vlla vix erat futuram filiorum matrem quanquam ſorte, quod ſemper ſuſpenſum tenuit, alicui Principum nuberet. Hinc cernens Perſonius Iacobum, tribus illis potiturum Regnis, & cum Imperio fore quoque in eius arbitrio ream aut puram religionis veræ ſortem, notauit iuuenem laudatiſſimæ indolis, Caluiniſmo aſperſum potiùs quam imbutum; & ab Caluiniſtis offenſa recens tam immani, læſum quàm fuerat parentis cædes atrox, regni euerſio, perduelles in caput ſuum inſidiæ, quodque præmitti omnibus debuit, Reginæ parentis Mariæ (quam captam tenebat Elizabeth) nutus omnes tam exquiſitè obſeruantem, vt commiſſurum ſe negaret quod poſſet illi diſplicere quanquam decem regnorum id foret pretio emendum: æquè autem Maria nihil ardebat quam vt Religioni Catholicæ Scotiam; deinde filium redderet. Cum vero tunc publica regeret miniſtrorum arbitrium & libido, qui Gubernatorum nomine, Dominos agebant, non poterat aptior tempori rerum articulus incidere, nece Comitis Mortoni turbulentiſſimi Caluiniſtæ quem inter Iacobi ſenioris cenſebant patricidas cuique Dux Lenoxienſis in adminiſtranda regni ſumma ſuffectus fuerat, etſi conſiliis omninò ab eo diuerſis ageretur. Erátque hæc præſens Regni conditio, & ſtatus qui fiduciam fundabat Perſonij conuerſionem Scotiæ anhelantis, vt huius tentandæ lentiores moras, Regni neceſſitas non ferret, quod ſeditioſo Puritanorum furore agitatum in partes ſemper ambiguas vacillaret, demum vt nullus eius conſilij futurus eſſet euentus felicior; magnum ſaltem fore, prorſuſque maximum, dire vexatis in Anglia, ſecurum paraſſe in Scotia receptum, cuius patriæ leges in Religionem, haudquaquam externis oberant, quales tunc Angli, Scotis cenſebantur. Horum Perſonio, aliorúmque amplam notitiam, à Catholicis hauſtam fide digniſſimis Vvaytes confirmarat; ille cordati magníque animi Sacerdos, & rei Catholicæ imprimis addictus quem in Northumbriam miſerat, inſpecturum certiùs è vicino ſtatum omnem Scotiæ præſentem; reuerſum inde anno 1581. ſub initium æſtatis cultúque indutum perhonorifico, & famulo Comite, legauit ad Iacobum Regem (nunquam Perſonio ad neceſſarios Religioni ſumptus Catholicorum pietas defuit.) Ibat Vvayteſius prolixè omnibus munitus quæcumque poterant, rationibus diuinis, & temporariis, adoleſcentem Principem mouere, ad flectendum parumper à Caluino in Catholicos animum, & fauorem, dandúmque his in Anglia vexatis, tutum in Scotia, & placidum Aſylum; admittendóſ-

que iusto numero Sacerdotes, qui laborum, & vitæ prodigi, prudenter tamen, & strepitu procul, restituerent eius Regnum Catholico Ritui; atque ipsum imprimis, quo posset Reginæ parenti mœrorem carceris consolabilius, & efficacius lenire; & vero ad hoc Personium sollicitauerat non semel, missis quoque ad illum arcanis symbolis quibus illi Rex fidem nulla in re suspectam esset habitutus.

His instructus mandatis Vvaytesius iter confectum integrauit Deóque perplexis in nodis auspice, ac iuuante, eò feliciter susceptum negotium perduxit, vt Regina totius administrator Albinus Dux Lenoxiensis, Hantlius, & Clingtonus Comites; Barones Setonus, Oglebyus, Grayus, Farnhustus, aliíque procerum complures, ferè Caluinistæ, aut simulatores Caluinismi securum Personio in regno Scotiæ Catholicis Anglis, secessum promiserint nostrísque præterea Sacerdotibus, sed hac lege vt ferrent à Regina Maria tesseram, qua fidenter iis & tuto credi posset. Inde Vvaytesius à Setono eiúsque filio Priore Edinburghum in aulam perducitur, Regíque Iacobo sistitur qui multa ipsi arcana credidit cum solo communicanda Personio. Quibus Personius medio Septembri per Vvaytesij literas, Rothomagi quo se transtulerat acceptis, Aquauiuam Præpositum de fausto admodum progressu negotij recreans, ab eo præ omnibus enixè petiit foueri paternum Gregorij XIII. erga Scotos amorem; inde Patres Edmundum Hayum, Guillelmum Crittonum, (& si Rex esset linguam docendus Italicam;) Achillem Gaillardum; ipsúmque, nisi petitio præfidentior videretur, Robertum etiam Bellarminum, adiecit his quoque Dux Guisius Reginæ mandata quibus aliquos ex nostris optabat. Personio itáque attributus primum est Crittonus, probéque omnes gerendi negotij cardines edoctus, in Scotiam missus est, æui superioris anno octogesimo altero, sub initium veri ieiunij, additúsque Rodolphus Emersonus olim Campiano in Anglia, tunc illi socius. Inde Religionis in Scotia euersæ causam præcipuam aduertens fuisse librorum inopiam quibus hæreticorum calumnias ab se defendet, & semi mortuæ ignem charitatis in Christiano populo excitaret, malo vtrique consulturus Personius libris eiusmodi partim edendis adiecit operam; partim magna copia colligendis, quibus per duos (esto mercatores) sed eruditos iuuenes, mirè solertes, & sagaces, Scotiam vnà & Angliam implerer. His dum incumbit Rothomagi, Crittonum recepit è Scotia bimestri post quàm eo transisset, eíque felicem qui tunc affulgebat pro Catholica re commoditatis articulum exponens, Regémque in illam, & Proceres optimè animatos; de cætero monuit quod extra dubium videbatur, non esse negotium lentè festinandum, nec per interiectas ducendum moras, totúmque simul impellendum, tota simul Regis, Ducis, Comitum, & Baronum voluntate, auctoritate, potentia promouendum, quam eius vrgendi strenuitatem acrem, & celerem, multis quidem fore aduersaturis obnoxiam, domi Puritanis in Scotia; foris in Anglia Reginæ, quà regno, qua hæresi suæ metuenti. Egere itáque molis opus tam vastæ magnis præsidiis, ad eius euentus abdomesticis & externis in tutum subducendos,

cendos, & ante omnia velut caput & cardinem omni contentione satagendum, vt Maria rediret in gratiam cum Elizabetha, & annorum tandem post quatuordecim indignum carcerem, regno suo restitueretur, (qua vero manu, modóque fieri valeret designabat) sed priuata nulla rei tantæ sufficiebat auctoritas; quamobrem Parisiis super ea Castellus Pontificis Nuncius, Legati Regis Catholici Tassius, & Mariæ Reginæ Archiepiscopus Glascensis, Dux Guysius, Alanus, & qui nostros in Gallia regebat Matthæus, cum Personio, & Crittono. Hos inter quicquid visum est statui, placuit omnibus ad Pōtificem deferri, & lectus qui Romam proficisceretur Crittonus, ad Regem Catholicum Personius.

Erant tunc Parisiis Angli duo, quorum nomen famosum legi malo in Camdeni Elizabetha, & aliis, quam apud me. Hi magnis vulgo suspicionibus dicebantur Mariam perfidè fallere, quanquam alia omnia præferrent, vnámque illius spirare fortunam, & obseqium videri vellent. Probat alterum Camdenus, quibus sit lubitum credere; firmius alterum habebatur, communia vtrimque per literas versare consilia cum Nauo & Curlio duobus Mariæ secretorum tabellionibus (seu quod dictitabant nundinatoribus) qui aliorum arcana & fidem propriam Vvarsingano vendebant, illarum mercium emacissimo. Hac suspicione cùm laborarent duo illi quos dixi nobiles, reiecti sunt ab legato Archiepiscopo, & Duce Guysio, nec in vllam admissi consiliorum partem; qua illi repulsa contra quàm ambirent, votis suis indecore expulsi, fremere scilicet apud se, tacitique seipsos exedere, donec haud multo post ad diem Iunij octauum & decimum, profecto Romam Crittono, Vlissyonem Personio, exasperare acrius inuidia contemptum, discerpi animo, furorem in rabiem vertere, suísque in Angliam literis proritare nobilium animos aduersus Iesuitas, superbo ambitu mundi primaria capita, legatorum vice ac munere adeuntes, precationis, & cellulæ relicto secessu aulam prensantes & aulica, non absque nobilium despicientia, & probro quibus hæc officia competebant: his illi vt solent turbulenta & malitiosa ingenia, priuatum suum, & impotentem ambitum, nobilium fecere communem suísque commodis, & arrogantiæ prætexuere rationes nobiliū. Sic tum credulitate præcipiti, quæ ferè minùs oculatorum est, tum conceptæ indignationis vbi eam, cernebat ministrorum vafrities accēsam assidua ventilatione, repente extitit inuisum prodigium, factio laïcorum, quæ se nobilitatis conseruatricem ferebat, & vindicem, omnísque prærogatiui nobilibus debiti, & hoc nempe in illos in quibus aduersarium habebant neminem; Alanum scilicet, cuius consiliis profectionem Crittoni, & Personij assignabant; Seminarium Remense, ac Romanum; totúmque indiscriminatim Ecclesiasticum Ordinem & religiosum præluere hac arte duo illi quos indicauimus, consequentium annorum calamitatibus, improbando clam, interdum apertè & interuertendo quæcumque optimè Alanus, & Personius statuissent. De illorum gestis in detrimentum rei Catholicæ, Societatis iniuriam, ruinam turmæ nobilium infeliciſſimæ, dolo malo inductæ ad ineundam coniurationem; damnationem denique

Reginæ Mariæ, quæ sero illos cauit, iisque se incautè credidit immensa foret rerum series pertexenda; plura tamen lego in apographis quæ multa penes me sunt manuscripta & editis copiosiora, sed explicatu non cuivis facilia, ob alterius è duobus præstigias, vultúsque varios in quos ille vt Prothens ita induebat vt cum esset in omnibus multiplex, iis qui hominem intimè non norant, simplex posset vbique, & candidus iudicari.

Hæc ad Personium, & Crittonum merces itineris rediit, iussu Apostolici Nuncij ad summum Pontificem, & Philippum secundum suscepti, pro restituenda inter Scotos. Religione Catholica; merces quidem acerba, sed minimè irrita, impetratum tulere, quod iussi fuerant petere; Crittonus aureorum millia quatuor à Pontifice assignata; reipsa Personius duodecim millia à Rege Catholico. Sequenti post anno, illa quatuor millia in stipendium annuum custodiæ Regiæ transiere sub cura Ducis Lenoxensis, à quo, & Comitum, ac Baronum, & nobilitatis primæ flore, qui mente fidem retinebant, pendebat illius in Scotia aperta professio; verum enimvero die quodam Personio de hac in Scotia instauratione diuinorum cum Rege Catholico agente, superuenit anhelans, Nuncius, narrat in Scotia rem Catholicam pessum ire, mutata in contrarium omnia, Prædicantium seditionibus Caluini sequacium id agi; Elizabetham acquieuisse illorum precibus, sed suis ipsius, & regni rationibus, fideique Catholicæ, odio haud paulò ardentiùs; misisse clam ad eos argentum militi faciendo, & quicquid Scotorum haberet in Anglia; qui cæsi Mortoni fouerent partes, erántque illius æmulo Albiniacensi maximè infensi; ex his structam phalangem, venantium specie, Regem palante nudum comitatu, & custodibus venantem, circumstetisse improuisos; medium accepisse, & asseruisse illum Caluinistarum arbitrio, Regni gubernaculis cassò Albinio, & in Galliam pulso, vbi vix appulsus, aut pestilentia decessit, aut quod aliis creditum veneno. Euanuere his motibus de tanti momenti negotio Personij summæ spes, quarum residuum cum nihil præterea restaret, ab iis abstitit; haud quidem abiecta regni eius cura, quoad sineret regionum conditio, vbi tunc & deinceps nostra Societas suorum sudoribus, sanguinem non parcè miscuit, rogatu potissimum Mariæ adhuc superstitis, Personius vero Seminario Remensi nummos à Philippo bis mille obtinuit aureos augendo illic Sacerdotum Anglorum numero; & promissionem sacratæ purpuræ Alano petendæ, cuius nemo tunc merita in sedem Apostolicam æquabat. Sub hæc Parisios dum redit Biblai Cantabriæ portu periculosè ex morbo decubuit, nec minori periculo ac labore, in Ognatense Collegium portatus, Patrum magis nostrorum charitate quam remediis, iter cum viribus resumpsit anni octogesimi tertij primo vere.

Sacerdotum

Sacerdotum duodecim mors recens. Cottami conuersio, & vita ad eius in Angliam regressum. Proditur, capitur, custodiendus Catholico creditur qui suo illum periculo dimittit liberum. Cottamus ne quid sua causa vir optimus periclitaretur, vltro se iterum restituit carceri.

CAPVT III.

QVANTVM omnes conatus Personius exerit ad restituendam Scotiæ (si Deo placitum) Religionem Catholicam, tantumdem Elizabeth cum suis adlaborat ad eam ex Anglia stirpitus delendam. Huius anni secundi & octogesimi, nouem tantum postremis mensibus Londini, Eboraci, & adiacentibus cæsi sunt in defensionem Catholici nominis Sacerdotes duodecim numero, totidem suis sigillatim notatos vocabulis, referunt martyrum monumenta, quæ inde quotannis mitti ad nos solent. Fuitque idcirco plus fusum cruoris, quàm vnquam antea, si minus vt Dux Alenconiensis id ferret ægriùs; at ne saltem illius habita ratio videretur, quem ea in aula Dudlei, Hattoni, & Cæcilij affectiones æmulæ fecerant odiosum, cæteri vero publici Senatores quà hæresis studium, quà metus extranei dominatus, inuisum. Trimestrem post moram, & dissatas quod Catholici vaticinabantur, sponsaliorum spes, atque ingloriam in Belgium expeditionem, Antuerpiæ, præsertim; recessit in Galliam, vbi quicquid id morbi fuerit ad mortem ægrotans, Elizabethæ dolos, sed sero agnouit, & intercessiones apud illam malè Catholicis negatas: prope in extremis Lesleo Scoto Rosensi Episcopo visenti, acceptas in Anglia commemorauit iniurias cum incredibili dolore, quarum in vltimis non censebat Campiani, Sceruuini, & Brianti cædem, quos expostulabat in os sibi fuisse trucidatos; suum vero breui post discessum complures suspensos, dissectos, laceratos, velut hoc agerent in probrum, & sui Religionis quam profitebatur. Erant enim ij omnes Catholici Sacerdotes. Fuit eo in numero magnoperè illustris Thomas Cottamus è Societate, de quo hic proprius agendi locus, & quidem admodum ab eo diuersè, quod tum ipsemet Cottamus, tum alij scripsere ex Anglia.

Natus est Thomas ex Prouincia, seu Comitatu Lancastrensi, anno 1549. Laurentio Cottamo, & Anna Breruuore matre, honestis parentibus; illic primoribus excultus literis Londinum venit vt promoueret in eas vlterius,

simul augeretur conditione aliqua meliori. Quam certè Deus præbuit nihil minus cogitanti, nempe illum induxit in familiaritatem Thomæ Pondi nondum è Societate, adhuc extra carcerem liberi, cuius vsu assiduo, & exemplis ex Protestante Catholicus, ex dissoluto probus, cœpit inde totus, & alius, & alia viuere, suásque omnes in Deum cogitationes, & Ecclesiæ obsequium transferre. Duacum ex Anglia in seminarium secedens, vt quam tenebat normam pietatis constantem seruaret, viuacem Pondi, animæ suæ Patris, memoriam, & impressam menti præsentiam secum tulit, cui se tantum debere testabatur, quantus erat thesaurus fidei, & beatæ pignus immortalitatis. Anno quidem ad septuagesimum quinto, Maij duodecimo ad illum scribens, tua, inquit, erga me charitas æterna est; vti & causa eiusdem charitatis, cúmque nulla sit caducorum quæ tempus metitur, comparatio cum æternis, non possum satis quæ tibi debeo, verbis aut scripto explicare. Memini cum solitarium tua reficeres consolatione, duceres hæsitantem, afflictum recreares, laboranti præberes confuginm, tanti est fidelem nanciscì amicum, qualem te mihi liquido probasti, quantúmque interesset Christianus sincerus, & intimus, à triuiali & ordinario. Placebat iam, quod acerbè nunc dolet, vitium; virtute iam pascor, iam mirificè gaudeo, & solutus, curis atque hostium metu, ne inferos quidem magnopere timeo. Sunt hæc profecto quæ tibi debeo permagna, sed illud augustius, quod Spiritus sanctus, cum Apostolo loquor, testimonium reddit spiritui nostro, Dei filios nos esse] hæc & plusçula erga Pondum grati, reuerentíque animi argumenta, cum se obtulit Romæ ad Societatem ineundam multum iam operæ superioribus studiis dederat, & quod ipsemet refert, in Anglia tres annos grammaticam & humaniores literas professus; magisterij gradum adeptus fuerat in Philosophicis. Absoluebátque alterum in Theologiæ cursu annum. Ex quo etiam patet non fuisse hunc de quo agimus Paulum, quem quidam perperam in Thomam transcripsêre. Vixque annos vndecim adultum, extráque Angliam eductum, in Seminario Rom. & Collegio Germanorum, per annos deinceps recensent duodecim, tradúntque demum Societati annos natum nondum viginti tres; quod de illo vt constet Paulo nescio quo, accommodari Thomæ huic non potest. Qui se suopte chirographo confirmat admissum in Societatem annis triginta nihilo minorem. Adde magisteria docendi, quæ necesse foret, ducta hinc temporum mensura, octenni puero fuisse collata. Duaco Romam Apostolici ardorem spiritus Thomas tulit, insitum fortassis ab illo in diuinis amantissimo præceptore Pondo quem scripsimus, primos ad Societatem ex annuis literis hausisse spiritus quæ ab India quotannis ad Generalem Præpositum de conuersione Ethnicorum à nostris mittebantur; & esset mihi prolixa illorum texenda series, quos earumdem lectio annuarum inflammauit ad Societatem, & teneræ passim Christianitatis generositas, nostrorum exempla, & ærumnæ, re quauis iucundius, ad munus Apostolici laboris perurgebant, quos inter censerem imprimis, de quo superius Hieronymum Natalem. Nolebat scilicet à Cottamo Deus

sudores

sudores in India, sed in Anglia cruorem, cuius cum tot aliis pro Christo cæsis vociferaretur ad Deum clamor, & infelicis Regni, fœlicem reposceret veteris Angliæ sanctitatem.

Probationis domum Cottamus iniit April. octauo, anno eius æui septuagesimo nono, breuíque in febriculam incidit ab æstuosissimo contractam cœlo, quæ mox in tabem cœperat vergere, nisi sub ortum primi veris aut cœlum natale, aut si quod propius & temperatius captari ab eo medici iussissent. Experiri cœlum Lugdunense in Gallia placuit, quod statim & morbo quo languebat, sensit mortiferum, & aura ictum hæreseos pestilentiori, verum adhuc ignota; ergo Angliam versùs dum parat progredi Sledium illum obuium habuit famosæ perfidiæ proditorem, Romæ olim mendicabulum vile, & Sandersoni Doctoris venalem pane victúque famulum; inde vero Senatus & Elizabethæ, exploratorem vafertimum feruentis piíque Catholici specie subornatum, & hac tota sursum deorsum Italia, & Gallia Sacerdotes venantem, Scrutantem, ex vultu, itinere, lineamentis, ætate consiliis, Reginæ in Angliam, eiúsque Ministris graphicè adeo indicantem, vt perfidum abominarentur, amarent perfidiam. Hic se sensim Lugduni Cottamo applicans vt erat simulando doctus tot illum in partes circumegit, vt expiscaretur ex eo iter, mentem itineris, suscipiendi Remis Sacerdotij consilium & scopum, transmittendíque primis velis in Angliam ad salutem multorum totis viribus promouendam. Plus satis hoc habuit Sledius, scripto notat distinctè singula, curátque perferri Parisios, ab Elizabethæ Legato, Regni administris, & Portuum Præfectis securè transmittenda, staturam, colorem, os, omnia vt posset appulsus illico agnosci. Remis Sacerdos consecratus, duobus cum aliis Risthono & Harto. Nobilibus, & Sacerdotibus, (haud tamen, vt creditum; tandem martyribus, sed exulibus dumtaxat) conscendit in Angliam, conscendere vna & laïci duo, quorum alter ob suum Londini forense quoddam dissidium Hauuardi nomen Eliseo mutarat, & iurisperitum dissimulans, videri miles ex cultu, & habitu volebat. Applicuerant Duurim alij quatuor ad Iunij sextum & decimum, vbi scrupulosissimè sunt inspecti, & ob dubias quasdam oris notas Cottamum in diuerso iussum subsistere, Gubernator deinde Hauuardo, quem putabat reipsa militem fidenter, & humaniter tradidit Londinum vsque perducendum ad Baronem Cobhamum, supremum portubus præfectum. Erat Hauuardus professione Catholicus, mente integer, magníque animi. Portu itaque vix egressus Cottamo se audenter aperit, & nequaquam ait, hac lege te mihi commissum arbitror vt Cobhamo reddam, sed Londinum quo instituëras comiter deducam; auertat nefas Deus, vt hosti Sacerdotum, Sacerdotem prodat Catholicus. Pergamus vnà hoc biduum, in vrbe ad muros quà libuerit flectes; ego mei oppido satagam. Sic illi mutua inter se nec dispari humanitatis laude; introductum in vrbem Hauuardus Cottamum sibi permittit liberum. Cottamus anceps quid factu optimum, rectà quendam pergit in carcerem quo non vno multi detinebantur Catholici, narrat ingenuè illorum cuipiam quæ sibi acciderant;

damnatúrque ſtatim conſcientiæ lege, breuíque ſententia ad redimendum ſpontaneo carcere amici periculum; ſeueri conſilio iudicis ſollicitus obſequi Cottamus, Hauuardum ſuum quaquà verſum requirit, repoſcítque ab eo epiſtolam Gubernatoris Duuriſtenſis; at enim cui bono? inquit ille. Cauſam edit. ſed fruſtra Cottamus, quin perſuadetur ab eo, ſecum in tertij vnius acquieſcere iudicio & ſenſu, viri docti, & probi, vtrique optimè perſpecti, & magnæ apud vtrumque venerationis, qui nuper in regnum appulerat. Is planè contrarium prioribus, reſponſo ſuo ſanxit, & nulla quiſquis is fuit, rectè iudicauit nulla ſiſtendi ſe religione teneri Cottamum, quod ſuo periculo id ei Hauuardus integrum reliquiſſet, nec obſtringeretur iure vllo Cottamus ſua vel conſilia vel facta, pernitioſi s ſibi inimicorum conſiliis aptare. Ita ſe planè res habuit, vt clarè exprimunt recentiora temporis illius apographa; non autem quod alij memorant, Perſonium, & Campianum cum adiunctis ſibi Sacerdotibus aliquot pronuntiaſſe de Cottami iure, die ſi quidem eodem Perſonius, quo Cottamus applicuerat in Angliam; Campianus vero, diebus nouem Cottamo ſeriùs, tantum abeſt à vero vt Cottamus ipſo ſuo in Angliam aditu, conſulere illum potuerit. Et ille quem aiunt trans Tameſim, paucorum confeſſus Sacerdotum, ſub finem Iulij incidit, toto poſt Cottami aduentum ſeſquimenſe. Si tamen ab iis agitata eſt eadem quæſtio, id eo ſpectauit, vel comprobaretur factum, vel conſuleretur in poſterum.

Reſcitum interea, iterato ad quaſdam Gubernatoris literas reſponſo, nec Hauuardum, nec cui ſe vadem præbuerat Cottamum comparuiſſe coram Barone Cobhamo. Quare hoſpes in cuius ædibus Hauuardo creditus fuerat, Londinum trepidus aduolat, & vtrumvis anxiè dum quærit, incidit in Hauuardum; ſuum illi, & ſuæ familiæ diſcrimen vltimum exponit, ob luſam Gubernatori fidem. Hinc prenſum brachio ad Vicarium Cabhami trahit, de capto reſponſurum, quem cum data fide ducendum, ſuſcepiſſet, à fuga non prohibuerat. Hæſit repentino periculo Hauuardus, cuius intererat plurimum ne agnoſceretur; recepit ſe tamen illico, & cum hoſpite pactus eſt fore, duabus ante noctem horis, vt ſe Vicario ſiſteret, vel ipſum Cottamum, mercatorem adeunt Hauuardo amicum, & conſanguineum qui promiſſi ab eo certam fidem, rei ſuæ totius pignore cum feciſſet, impetrauit liberum dimitti; at enim breui poſt, reperto Cottamo, heus! eò, inquit, res noſtræ loco ſunt, vt neceſſario me abs te oporteat redimi, vel te meo loco neceſſario perire; me quidem quid facturi ſint noſti; te quid acturi ſint facile diuinas. Opta ſis quod placet; vitam tuam aut meam: vtrumque in arbitrio tuo pono. Prius quidem profecto quàm tibi, non dico vim faciam, aut etiam adigam vel auctor ſim, damno tuo te ſiſtas, non refugiam quicquid mali tua cauſa poſſit mihi contingere. Erupit ad hæc Cottamus in lætitiam ori, oculis, manibus inſperato affuſam incredibili Hauuardi admiratione, velut ad optatiſſimum nuntium, & mea, inquit, vita, tuo vel minimo ſeruata diſpendio, dolor mihi foret inconſolabilis; tum eius heroïcæ, ac nobiliſſimæ charitatis egit Hauuardo immenſas gratias,

tias, pollicitus, quod sanctè præstitit, se ante condictum, in manibus hostium futurum. Nec fuit opus prolixo examine, quis? vnde? cur in Angliam redux? cur prius, & vbi Sacerdos consecratus? hæc à flagitiosissimo Sledio indicata, Reginæ Ministris in comperto erant; sed tentabant sensim an meru fortassis, & expectatione postremi supplicij, Prædicantium fabulis nonnihil daret, & vacillaret in desertionem vocati qui eum impugnarent, aliqui seriò; reliqui simulatè atque in speciem; quintiduum in verba, & auras abiit, post quæ religionis reus, in Mareschallum traducitur (carceris nomen est, peculiaris cruciatus) vbi ferè sex egit menses inter sæuas & consuetas Sacerdotum ærumnas. Mutato inde carcere transfertur, in secretiora Turris Londinensis Decembris quinto; decimo vero tormentis admotus, eique nominatim, quod Scauingeri filia dicitur.

Quod tormenti genus Scauingeri filia? torquetur eo cruciatu Cottamus. Postea equuleo. Interrogatur de peccatis, quæ Sacerdoti olim confessus fuisset. Libertas viri sancti auditoribus monendis vt cauerent ab apostata Prædicante. Mortis illius vera causa. Eiurata sæpius ab eo vita quod ea lege deferretur, si eiuraret Obedientiam summo Pontifici debitam. Post varias cum Caluini Theologis concertationes, pro fide Catholica moritur.

CAPVT IV.

SCAVINGERI filiam (tormenti prodigium) ab inuentore dictam, arcus duo ferrei conficiunt qui altero extremorum conserti circulum integrant, in eum circulum flexis genibus se reus induit, sic vt corpus trifariam complicet, cruribúsque ad femora, femoribus ad ventrem appressis in globum cogat, & vi magna tortoris ad claudendos in suum circulum arcus duos reo incumbentis tantum non elidat; quare nunquam sesqui hora vlterius protendi.

Scribens eadem è turri Sacerdos, & volens eius barbariem machinæ nobis depingere, ait cruciamenti eius immanitate tam violenta corpus totum

arctari, vt ex eo sanguis, extremis & manibus & pedibus exsudet. Cottamo certè magna eius copia naribus erupit, tametsi hora non multo diutiùs fuerit cruciatus. Quærent hic aliqui eo, an hæc Optono solennis fuerit in Sacerdotes Catholicos largitas; pœna scilicet in nihil commeritos, planéque insontes sæuiendi? non inuenio qui scribat. Verum diebus subinde non multis iuridicè examinatus est tam præter morem & ordinem, vt cum Optono id exprobaretur, nisi negando & inficiando excusare ruborem nequiuerit quoad obiiciente illi Cottamo qui aderant Georgium Careum, Doctorem Hammonium, aliósque ipsi delegatos obmutuit.

In equuleo igitur ad quæstionem colligatus, priusquam torqueretur interrogatus est, num quando peccata confessus Sacerdoti esset? mox, quam illi pœnam iis expiandis indixisset? qui ioco an serio quam tum suggessit memoria edidit. Ergo refert Optonus, peccatorum debes ob quæ iniuncta est meminisse, qui pœnæ tam probè memor es: repete illa nunc, & confessionem illam integra; sin autem; & facta nimis addens tortores accersit, haud quidem terrorem simulans; negante siquidem Cottamo, apud vllum mortalem deponi oportere, causas fori diuini ea esse; spectaréque ad vnum Deum, & Sacerdotem, Dei vices in terris agentem, velut confitentem, in genere reum, & ore iam proprio captum, distrahi equuleo iussit, vt exprimeret torquendo distinctius quæ generatim indicasset. Quam apud illum iniuriam peruersi ordinis, & fori nusquam gentium auditam expostulans Cottamus, hanc ab eo accepit satisfactionem, vt multò crudeliùs tenderetur. Tormento defunctus retrahitur in suum carcerem; vbi quinto Februarij, & anno seculi octogesimo primo, nouus illi & Sacerdotibus in Turri Sociis labor indicitur ad vsque Pentecostem, Dominicis, & festis diebus instaurandus. Raptantur, compelluntur, aguntur pugnis, calcibus, stimulis in Templum Turris ad audiendum celebrem Caluinistam, nec iuuit sedandæ vexationi pertinacissimæ, dicentis crebra interpellatio, reprehensio falsi citandis auctoribus, refutatio rationum, & exscendentis è pulpito, prouocatio libera, ad propugnandas exsecrationes, quibus in pulpito aures populi inceslasset. Discerpebatur his frendens, & minitans Optonus, sed minas illius vnus expleuisse dictus est Cottamus vt erat præ cæteris reus, hoc est maioris præ illis meriti Martij nouo & decimo, eóque Dominico, cononem vocarat nobilium celebrem ad audiendum Ioannem Nicolaum, illum fraudibus suis, & palinodia famosum apostatam (de quo iam alias) qui vbi absurdis pluribus quàm verbis peroraſſet, assurgens Cottamus, tantisper aures illorum nobilium poposcit, inde illos sanctè, & liberè monuit, quàm esset damnosa auctoritas quæ imperito, ignaro, falsario iuueni eorum præsentia conciliabatur. Tractandis, extricandis multo magis statuendis fidei regulis, quod is non erat veritus attentare; alia esse lingua opus, aliis litteris, grauitate, scientia, pietate; effræni audacia, & loquacitate. Meminissent agi de æterna sua salute, ac beatitate, quam infinito discrimine à iusto pretio æstimabant tam vilem, vt vnius hominis gratia illam proiicerent.

Designabat

Designabat autem non obscurè Optonum, cuius gratia venerant, ísque nec temere, nec frustra existimauit pro se dictum, eam fortè, ob causam non adproperauit illi tantum mortem, sed in numerum damnatorum violenter intrusit. Damnatus est scelere ac pœna, maiestatis ad quartum, & decimum Nouem. cum Campiano & aliis de quibus narratum est. Triplex eius damnandi crimen primum summa Nauarri in Angliam delata cum manu adscriptis marginibus, quibus esse Regina Elizabeth caput Ecclesiæ negabatur; deinde quod nunquam induci potuisset, vt circa Bullam Pij V. ad quæsita sex distinctè responderet. At is quidem dilucide, & abundè sed frustra satisfecit. Nam cœlum Romanum æstuosum, sibíque lethale coactum patrio mutare, fuisse alióqui nauigaturum in Indiam si emersa iam valetudine non esset compulsus in Angliam; Nauarri summam suis sarcinulis, aliena furtim iniectam manu, nec se antea in iis illam asseruasse ad Bullam denique Pij V. & sex in eam singula quæsita, non posse meliùs à quouis Catholico responderi quam quod in vniuersum respondisset; habemus autem id responsum eius firmatum Chirographo in hæc verba Maij 13. 81. superioris æui anno ad hæc & alia quæsita respondet Primum Thomas Cottamus se credere quicquid Catholica docet Ecclesia, séque Catholicæ nomine intelligere Romanam; nec aliam sibi ad cœteros articulos præter hanc vnam responsionem suppetere. Qua ille omnia illorum interrogata expugnauit, Reginæ Ministris huic addentibus, quæ tanta illi meritum gloria cumularunt, vt in Religionis Catholicæ fidem, & obsequium morereretur.

Septem post hæc & decem diebus, Maij tricesimo, protensus & vinctus in traha craticia, vt Olim Campianus raptatur in Tibornum miliaribus saltem à Turri duobus, & tres cum eo Sacerdotes nobili genere, alumnus alter seminarij Romani; alij Duacensis Lucas Kirbyus. Guilielmus Filbyus, & Laurentius Iohnsonus, siue vt Stouus cognominat Richardsonus. Appensis patibulo duobus, & in quadras sectis, tolluntur in currum alij, inserta prius in capistrum gula, vbi se Cottamus spectaculum factus innumerabili populo nihilo turbatior, alacris potius, & omnes circumspectans, bene inquit, vobis Deus omnibus velit, & faciat, qua eius benigna adprecatione abrupta qui capitalis sententiæ præerat executioni Vicecomes Londinensis, iussit eum, quod solet, proditiones palam in populum, & Reginam fateri, & ab Regina veniam poscere; quod vtrumque negauit facturum, vt neutram omnino in partem peccasset. Ecquid enim vobis tanto numero Sacerdotes hic immaniter necati, fuisse re vera tot coniurationum videntur, & rei & conscij qui eas aut fassus fuerit, aut in mentem sibi tantum venisse prorsus nemo? ne inter equuleos quidem, & catastas, & Scauingeri filias crudelitatis ingenio summè terribiles; sedne has quidem ad furcas & Tibornum supremi iudicij proximum tribunali, cui erant proximè sistendi aliud vnquam professi sunt nisi puros, & insontes mori, cum imprecatione ignium æternorum si quid eo dicto mentirentur, de me quidem solo, ego sanctè affirmo. Tam longè ab iis quorum iu-

simulor, etiam cogitatione abfuisse quam distat procul ab Indiis Anglia in quibus nunc item mente ac desiderio totus sum; nec vero (sat nostis, in Angliam redij Reginæ vitam tentaturus, sed meam si possem valetudinem recepturus. Hæc se Vicecomes finxit obscurius audisse, quòd nihil ipsi ad ea supperet, iterauítque quod iam detulerat, futurum scilicet, si non detrectaret præstare se confitentem reum, experiretur omnem Reginæ clementiam; quo ille volebat innui, remittendum ipsi mortis supplicium. Acclamauit Topcliffus magna voce ad stuporem, oblatæ gratiæ; nec fore vsquam terrarum, & gentium tam boni pectoris principem Christianum, qui manifestè reo, & diris necando suppliciis, confessionem criminis merito imputaret, condonarétque illi vitam in præmium. Sed vterque Cottami rationem incautus confirmauit. Nam si nec se mortis vicinæ metus, nec vitæ tunc promissæ amor, cum eius perdendæ supremus articulus facit illam duplo cariorem, hæc ait, si parum valerent ad persuadendum vt se profiteretur falsò reum, qua veri similitudine, negare ij poterant innocentem? Sed erat palmaris Ministrorum illorum, & singularis fraus vt si quis animi, debilis & conscientiæ Sacerdos, atrocitate præsentis supplicij adigeretur ad fingendum perduelli se mente & hostili venisse in Angliam, sua illa vnius confessione mendaci, & perfida, omnium aliorum negationes iuridicas, & vera silentia damnaret, & persuaderet eorumdem reos, nempe Religionis in speciem re autem ipsa maiestatis, purgarétque ad populum in iis occidendis crudelitatis infamiam. Verum ita illos, vnius inueniendi fefellit propositum cui esset vita pretiosior veritate, vt contra prorsus occiderent neminem, quin cum iurata innocentiæ suæ contestatione, fidelitatis, & amoris, erga Reginam, & patriam moreretur stabat pro curru ministellorũ globus, ad euertendos si quos possent assiduus; quanquam ij sæpe concinnius carnificis munere fungerentur. Hos inter quidam Magister Martinus Sheldius quem ferè inuenio, reorum spectaculis præsentem, vt qui tantæ multitudinis, oculos & aures ambiret, quanta tunc solet ea loca stipare. Tunc se medium ingerens flagitiosus sycophanta. Hortatur Cottamum, illam saltem confessione publica expiet Londini ab se tali vico, & die admissam fœditatem, vt enormitatis, sic offensionis summæ reum. Ignorabat Cottamus quid sibi innueret, & stupebat tacens quod crimen vellet intelligi? quoad eius interpres ambigenti accessit Vicecomes & illud, inquit, propudiosum significare vult adulterium à te perpetratum cuius quartum nunc etiam post annum fœtet infamia. Nefas & nomen adulterij Cottamus in luce integri populi, obiectum, nec ita facile per angustias temporis purgandum exhorruit scilicet, sic tamen dolorem prætulit vt defensioni, & famæ non deesset; & huccine, ait, comperendinatum vt præcipitatæ hoc rerum, & vitæ extremo, stantéque ad latus carnificè adulterij accusationi præriperetur defensio, illáque in dubio remanenre, fama in cuiusvis odio, & arbitrio iaceret? Londini videlicet habito adulter quadriennis, qui toto septennio nec Londinum vidi, nec Angliam; fuítque hic meus in eam regressus, & ingressus in carcerem vna itineris continuatio,

quod

quod ex decursis Alano Doctore Duaci studiis dum probat, impactæ calumniæ dolorem miserti, qui aderant, etiam Prædicantes, clara voce negarunt id crimen vllo modo ad eum pertinere; sed esse alterius illi cognominis, in quo esset deceptus Sfeldius. Iohnsonus inter hæc dum interficitur, iubet Vicecomes, lentari Cottamo laqueum, & pietas foret, an morsus animi, an neutrum sed mera malignitas, seductum in circulum amicè ac velut miserans compellat; constare sibi de innocentia illius nulli obnoxia criminum quæ morte socij luerant, sed valetudinis vnius cœli beneficio quærendæ transisse in Angliam. Igitur id profiteretur, de solenni Reginæ confisus clementia, reis solita libentius parcere, quam innocentibus irasci; testetur se omnes eiurare contextas Romæ in Reginam & regnum à Papa coniurationes, & Sacerdotibus Seminarij demandatas, ob quas iure sunt postremo supplicio cæsi. Hæc illi tum ipse tum alij canebant, vt defensione tam facili, & nomen & vitam tueretur, quam recuperare in Angliam venerat; fore alioqui proiectæ amentiæ cum possis innocens viuere, alieno malle crimine perire.

Narratur autem, Cottamo respondente Deus, peculiari spiritu sic præsto adfuisse vt pro innocentia cæsorum sociorũ, & mẽdacissimis violata calumniis, summi Pontificis maiestate ardentiùs & efficaciùs diceret. Cœterum alio aliud vitæ præsidium seu præcipitium suadente, constans fuit ad omnes responsio; transuersum pilum iis non abibo, quæ Romanæ Ecclesiæ filios credere decet ac viuere; & si mihi mille supperant animæ, totum priùs illarum daturus sum sanguinem, quam vnum vel apicem edam ab vllo fidei articulo dissonum; quia & Deum supplex peto & obsecro, ne tantum regni huius peccatis grauissimis ab eo auertatur, vt ab eo veritatis suæ auertat lucem, & desiderium salutis hæc dum precaretur auditus est carnifex rescisso Iohnsoni capite, salutem Reginæ precari, & illud de more optare, seruet Reginam Deus! cui pie succinens Cottamus, seruet exclamat, eique benè velit. Appositè quidem ad salutem quam ei præcipuè flagitabat, sed necessario ad refellenda odia quibus Caluinistæ ardere in Reginam garriebant Sacerdotes Seminariorum, & quam illi mortem inferre non poterant, votis & desideriis inferre. Sed enim longiùs vltra fas progressi, ausi sunt poscere illam agnosceret caput Ecclesiæ Anglicanæ, quod inquit, Cottamus, si ante biennium quo ago præstare voluissem, in promptu iam tum & vita mihi & libertas erat. Et igitur subdit Vicecomes, perduellis, & proditionis in illam reus, cuius maiestatem sacro imperio minuis cui Cottamus, non hic Domine mi! opinio aliqua ventilatur, Catholico vtramvis in partem sic libera, possit inoffenso Deo in alteram iri: effatum diuinæ est sempiternæque veritatis, hoc indubitata persuasione, Catholico cuilibet Religionis, & conscientia ratio tenendum statuit collatur sanè rebus aliis, honoribus, titulis, omni obsequio, fidelitate, vitáque adeò, & toto sanguine, Reginæ maiestas; huic ego & defero & spondeo omnia. Fuere cum illo & aliæ quædam leuiculæ velitationes parum dignæ relatu: ad manus, & ferrum venitur, sed iubetur priùs flectere ocu-

los in Iohnsonum quem secabat coram quadratim carnifex, quo animaduerso; felicem te, exclamat, Laurenti mei sis apud Deum memor precibus illum mihi propitium facito. Quod illi mox votum necesse fuit propugnare aduersus Hernum, Ciarkum, & alios, quorum inter sexcentos error est contra sanctorum inuocationem. Prehensa dein humaniter carnificis manu, ignoscat, inquit, tibi Deus, sibique in seruum fidelem asserat. Sit tibi curæ anima, & salus supplex à Deo hanc flagita. Ille tibi in mentem veniat beatus carnifex quem Paulus Apostolus resciisso capite, lacte sui sanguinis aspersum, Christianum vnâ fecit & martyrem. Hoc est (subiecit ex Prædicantibus Sciolus) plus illud potuit tunicæ attactu in animam, Pauli lac, quam Sacramentum attactu corporis, cui hominis absurdo fuit item Cottamo satisfaciendum, ne quid populo rudi hæreret dubitationis. Nec plura, currum denuo inscendit, postque aliquot ad Deum preces, & commendatum illi supremum spiritum, vitam manu carnificis absoluit, annos natus triginta tres, pertinacius quatuor aliis impugnatus, qui eodem illo Maij tricesimo, coronas quatuor Anglicanæ Ecclesiæ triumphis veteribus addidere, peculiare quoque præ sociis, sui erga crucem amoris insigne præbuit, quod genuum tenus, nudato post mortem applicitum corpori deprehensum est cilicium aspernm quod Prædicantium & molles & Rigidi planè omnes, ad hoc æque molles, prosecuti sunt multo risu, vt qui suam Euangelij quinti fidem accuratius nulla re, quam in cute curanda exerceant, vltroque se credant Redemptori fore iniurios nisi omnem vsum sanctarum pœnarum ab Ecclesia proscribant. Multo tamen plures religiosi spectaculi admiratio, & æmulatio pupugit. Ad furcas condita cæsorum corpora post consuetam lanienam tulere furtim Catholici, pro sua non pro ministrorum pietate, quibus inuidiam, & iras conflabat ad populum, Londinum totam factam humanarum macellum carnium, prostare vbique præfixa capita, pendere quartas, & membra cæsorum; quod iis æquitas videretur, ab externis censeri diffamarique barbariem, quamobrem etiam Eboracum laceranda illorum quatuor misere corpora, qui Sacerdotum hoc anno duodecim numerum explebant. Et hac innocentium strage sacrilega gaudit satis insulsè & pueriliter historicus, *Themis Anglicana*, tanquam scopis, omnes illa disiecit araneorum telas (Sacerdotes nempe Catholicos) quibus animarum capiebantur muscæ. Tàm longè si quidem à vero, plaudit sibi auctor ineptus & impius, de imminuta Catholicorum multitudine, mortibus Sacerdotum, vt sequens potiùs quem inimus annus seculi octogesimus tertius maiori ad fidem conuersorum splendore, ac numero rem Catholicam auxerit quàm vllus præcedentium annorum.

Noua in Anglia, & vnde, animorum messes? Quantæ frugis operarius P. Gaspar Haynuo- singularia quædam, Ecclesiæ illi vtilia. Catholici nobilis, & Sacerdotis, responsum forte ac nobile.

CAPVT V.

EVIVS rei specimen fuga sit illorum quinquaginta quos se scribit Alanus per infestantes sinum exploratorias elapsos, mense vno Remis excepisse; præter familias integras, computatis solum Academicis, nobilibus, iam literario, insignitis; paulò post alios tres, & octoginta Cardinali enumerat Boncompagno, illorum Mecœnati, & Patrono. Mihi quidem, inquit, miraculum est diuinæ gratiæ tot paucis diebus iuuenes dulcissimam patriam, domesticas necessitudines, amicitias, blanditias, commoda, solo sponte mutasse peregrino; parco victu, & vitæ regula ex optimis quidem sed tamen alienis rationibus & arbitriis suspensa; hæreditate demum erciscenda per Sacerdotij optiorem, quo nunc in Anglia nihil est execrabilius, paternæ loco, vbertatis & domi paratæ; quamvis alias nunquam splendorem viderint Ecclesiæ liberæ quo ministeria cultus sui diuina exornat magnificentia; cuius, inquit, rei admirabilitas duabus nascitur ex causis; Prior S S. D D. Gregorij XIII. paternus omninò in Anglorum Collegia Romanum, & Remense amor; altera eorum in virtute, ac literis progressus egregij sub disciplina Patrum Societatis Iesv. Scribebat autem Romam ad eorum Rectorem ad solito plures miserat eo anno, ducentos vero quibus impar erat alendis in nostras Mussiponti, & Virduni scholas dispersérat, & nouum Seminarium Augense. Romano si locus & laxior, & census largior fuisset, aliquot centena ex flore tantum plurium selecta facile collegisset.

Huius ad rectam fidem confugij, fuerunt & aliæ præter dictas causæ. Vna quam in superioribus indicaui, Personij liber. *Directorium hominis Christiani.* Seu *de resolutione*; prouentu incomparabili omnem Angliam peruagatus, & restituendis sibi cerebris mirè potens. Argumento sint Theologi septem è Caluini schola, qui abdicato Prædicantium munere pestilenti, Remis in gratiam cum Ecclesia redière. Secunda, Gasparis Hayuuodi, labores fructuosissimi, quem doctrina excellens, & pietas ad magna quælibet tollebat, nisi malis attrita valetudo, & opinionum simulachra (de qui-

bus postea) altius quam par esset animo defixa cœptis eius præclaris obstitissent. Suo illo pectoris excelso robore, seu verius charitatis, vitam omnem missionis illius sudoribus, & omnibus indiscriminatim periculis consecrarat; Prouinciis omnibus optatus, partiebatur se ita in omnes, vt nulli deesset, multorúmque vnus vbique impleret operam, vinctis, liberis, afflictis, egentibus temporario commeatu, ne sempiternum amitterent, ab extremis quoque regni Prouinciis Londinum auderet stipem ferre, sed de accessione conuersorum ab erroribus variis ad verum & rectum, narrabat qui viderat Gabriel Alanus Remis exul, Doctori Guillelmo fratri suo, in maris Anglici tractu procellosissimo maioris, & dexteritatis, & felicitatis piscatorem Hayuuodo, piscari neminem quod eidem quoque sibi carissimo testatur ipsemet Petri verbis Hayuuodus. *Stupeo hic in captura piscium quia homo peccator sum.* Stupebat videlicet magnitudine gaudij, & fidei gloria virorum Principum claris aucta conuersionibus, interque alios Comitis Arondelli, Philippi Hauuardi, iam tum mente concussi vt diximus, cùm primum in Turri Londinensi disputantem audisset Campianum; Henrici Northumbriæ Comitis, quibus forte duobus in regno nemo dignitate & sanguine aut suppar, aut clarior. Sed multo illustrior, morte intra carceris ærumnas, pro causa Catholicæ fidei obita, quicquid illis obtrectent calumniarum Protestantes, nihilo historica quam Christiana fide meliores.

Cœtera huius anni & per se scitu digna, & dictis firmandis idonea, ex Personij habemus autographo, à Sacerdotibus dictato Catholicis, Anglísque aliis pro Christo nuper exulibus & spectata narrantibus. Vix, inquit, fidem inuenient, quæ de aucto Catholicorum numero nostri referunt Angli, anni huius vltimi prouentu, ex quo teri cœpere libri quidam pij (quos nempe diximus ab eo editos) & sacræ literæ summa fide in nostram conuersæ vernaculam illinc mihi confirmant viri sapientes, duplo esse hoc anno quam lapso numerosiores, fitque id mihi credibile narratione Sacerdotis negotiorum causa illinc missi, qui à tribus item cognouerat Sacerdotibus, probè notis; in sola Prouincia Hamptonensi, reductos eorum à singulis in Ecclesiæ gremium supra quadringentos, mensibus quatuor & sesqui. Atque hinc frequentes à Prouinciis querelæ de penuria operariorum (maximè nostrorum) tametsi ex Seminariis noui perpetuo suggerantur, quare meas Doctoris Alani ad P. N. Generalem adiungo literis, rogamúsque R. V. apud illum patronam nobis accedere. Sex (pergit epistola) Martyres necati, Lacieus, Kirkmanus, Thompsonus, Hartius, Tyrælius, Liburnus, mirum quantopere ad illustrandam Catholici nominis dignitatem fidémque contulerint. Ab eorum nece remisit tantisper feritas in vitam & corpora sæuiendi, sed duplo furit acerbior in eorum bona, cuiuscumque generis ea sint. Sustinetur Sacerdotum strages, nec equuleo torquentur, clausi dumtaxat habentur in carcere. Hinc vbique stipatur iis carcer; Hulli clauduntur triginta; viginti sex Equite Martio Londini, & Dei beneficio fit vt sint clausi plærúmque vtiliores quam liberi; scitur enim fere qui sint? vbi? hora qua adiri, & consuli possint,

maioribus

maioribus præsertim in vrbibus ; in aliis enim tam multos non habent, qui absque periculo, & metu illorum opera vtantur. Ad hæc iuuenes Anglos, licentia hæresis agit in grauia non raro præcipites, ob quæ carceri mancipantur, plusque sæpius illic mense vno, consuetudine Sacerdotum virtutis concipiunt, & frugis, quàm si multos annos liberi vagarentur. His & aliis bonis aduersarij in peius edocti, ægrè nunc Sacerdotes in custodiam mittunt ; imo si queant salua officij existimatione apud vulgus, amandaturi sint ab se libenter solutos. Quod iis non dissimulanter irati significant qui confessione nimiùm facili profitentur esse Sacerdotes. Sic vester Iacobus Lomaxius reprehensus est nuper à Senatoribus consilij sanctioris, quod primo appulsu rogatus de conditione, festinato magis quàm necessario responso aperuisset se esse Sacerdotem ; qua responsione iniecta iis esset necessitas, eius in custodiam trudendi. De multitudine adolescentium, qui regni ex Academiis, & scholis ad nos confugiunt nihil attinet scribere ; id Doctor Alanus tum fusius præstitit ; tum ipsi cernitis, & alumnorum ex numero probatis quos istuc vobis ex Anglia tam multos destinamus, quorum aliqui artium gradibus iam donati, & ex patria recentes, mira vobis edisserent de Puritanis & Protestantibus in mutuam rabiem sic debacchantibus, vt hi simul duobus impares hostibus cogitent futurum sibi cum Catholicis mitius ; cum aliis enim in procinctu stant ad arma, & manus. Hoc ipsum timemus ne cedant Protestantes, totáque in vnum Puritanorum corpus Anglia coalescat, quo nihil posset nobis pernicioſius venire, ob istorum in nos implacabiliora odia quàm illorum. Audistis opinor de vltimis quos in lucem miserunt libris tribus, aduersus Reginam & molliores Caluini discipulos, vnius frontem hoc titulo prænotant *Postulatio Reformationis nulla ex causa differenda* stylóque vtuntur adeo impudenti, vt impelli iam primi Rebellionum fluctus videantur, iámque illam Puritani duo cœteris nequicquam frementibus Superbiam suam fracta gula luerunt in Suffoldiensi Prouincia.

Pugnant ex aduerso libris, viua voce, & scriptis Catholici, & acerbè queruntur, vnis sibi totam incumbere pœnarum sæuitiam, quamvis vni tantum in officio perstent fidelitatis & quietis ; Puritanis aperte atque hostiliter in Reginam infensis dissimulari omnia impunè, & clausis oculis à iudicibus præteriri, nempè ipsis quoque maiori ex parte Puritanis, eáque propter id satagentibus coloris quæsiti probali specie, vt Catholicis carcerem liberent, qualis futura sit, si vel in minimo illos sibi faciant affines. Sic nuper vir doctus idémque nobilis, quolibet alio ab ipsis deterius habitus, inuitabatur ab iisdem ipsis ad libertatem, & immunitatem mulctæ pecuniariæ, quam immensam pendebat, si bona fide polliceretur vnum tantummodo, idque leuiculum, nec enim aiebant, petimus vt Papam eiures, aut nostris interfis cœtibus & templis certi eò te nunquam adducendum. Id ab te vnum, & perleue Regina exigit, ne quem vel domi excipias Iesuitam ; vel ex illis Pontificij Seminarij proditoribus Sacerdotem. Quibus vir sapiens ; si vos, inquit, vnum mihi nominabitis Iesuitam, aut ex Se-

minatiis Sacerdotem, qui molitus in patriam aliquid fuerit, aut se reum alterius criminis fecerit cuius causa hostis reipublicæ iudicetur, nunquam ego eodem mecum tecto illum excipiam. Omnes vero vt in vniuersum reiecturùm me domo spondeam, quos mea mihi religio commendat, tanquam peculiares Dei seruos, nec possim omninò nec ausim, etsi millies mihi oppetenda sit mors, ne ira Dei in me desæuiat, quem etsi hominis animum nisi sunt ferre acerbius; verum tacitè approbarunt cum eum in posterum, haberi mandarunt humanius. Multa mihi huiusmodi suppetant, nisi forte sit futurum iucundius audire, quod ante biduum interrogatus sum ab vno seminarij vestri Sacerdote nunc Londinensi custodia tento. Adiit illum ministellus acturus de Religione, in qua ex illo cum ad mentem suam nihil euinceret, exasperatus constanti veritate, tentare illum cœpit periculosa quæstione, an esset Regina caput Ecclesiæ Anglicanæ cui promptè Sacerdos; qua authoritate id me interrogas? cum argumentum iudicij capitalis futurum sit quam petis responsio, & lege veritum talia quærere, nisi ex mandato Reginæ ipsius subscriptione confirmato. At hic ministellus, qui nullam nisi quam vsurpauerat habebat. Si fores ait, verus & sincerus Iesu Christi seruus, nihil quærenti restitares, sed simpliciter atque ingenuè, cuilibet, de religione tua respondisses. Qua Sacerdos ictus indigna exprobratione, mihi hæretice! in causa Dei vilem animum obiicis, & meticulosum, audisis ergo, quod tametsi nolles vis tamen audire, non est Regina nec esse potest caput Ecclesiæ Anglicanæ; vis aliud? volo, inquit, aduersarius. Quis ergo caput huius Ecclesiæ? Romanus Pontifex, præter illum nemo; & puncto temporis responsum Sacerdos non distulit, quare vociferans siccine proditor testem nimirum qui audiat reueritus neminem? minimè vero, refellit Sacerdos; solitudo, libertatem hanc loquendi facit; sed tu solus & sine arbitro cum roges, tibi pariter solus & soli respondeo: tantum igitur si audes, vrget ministellus, idem mihi trade tuo subscriptum chirographo? deest carta, deest & calamus; tibi, infert Dei seruus, satisfaciam vt possum, & correpto carbone foribus carceris hæc appingit verba, præsente ministro, & loci custode. *Gregorius XIII. caput est Anglicanæ, & vniuersalis Ecclesiæ, cui tum Regina Elizabeth, tum quicquid est in orbe gentium oportet subici si volunt salui esse.* Et abcessit tunc quidem improbus flagitator exinde Sacerdos, in perpetua mortis, pependit hactenus expectatione. Sed exit iam mentis, & de illo huc vsque ipsius programmate mirum silentium. Sunt tamen auctores ex Catholicis nonnulli hoc vt obliteret prorsúsque deleat, ne proritare vltro aduersarios videatur velle. At is longè ab iis dissentit ne illam delere testificationem fidei à se scriptam, perinde sit velut factam dolere, atque ab illa recedere, cum offensione conscriorum, custodísque imprimis, fidelitatis eius virili constantia, plurimum commoti. Perstat interea prostátque epigraphe, palámque legitur, meque hic Sacerdos consulit, quid facto sit opus, aut quid expediat.] huc vsque Persónij litera, rerúmque in Gallia nostrarum felix obiter status. Debetur historiæ etiam

infelix,

infelix, de quo restat dicendum, vt discant metuere pariter & cauere, qui sunt iisdem obnoxij lapsibus.

Fuga, stultum consilium, ineptus exitus P. Thomæ Langdallij. Hayuuodus peiori remedio malum curans turbat Catholicos. Jussus redire in Galliam, dum reiicitur in Angliam capitur. Calumniis & vexationibus iactatus, exit honorificè vtrasque.

CAPVT VI.

MAGNOPERE ambigo etiam nunc, si quod hic mihi primum obiicitur, aut errorem, aut culpam, aut cerebri vitium vocare debeam, tam multum præfert ex his tribus factum Thomæ Langdallij miserum, & lamentabile. Sanctoni Langdallius, in Eboracensi comitatu claro genere ortus, annos egit in Societate vnum & viginti, ab anno elapsi seculi sexagesimo secundo, Maij primo. Variis Romæ Laureti, & alibi perfunctus officiis, & in iis Anglorum confessionibus ad Pontificium tribunal; Mediolano Romam dum reuocaretur à Præposito Aquauiua, cursum Genuam flexit, nactúsque illic in Angliam nauim sine mora, solvit; appulsus ab regni consiliariis excipitur admodum lætis & gratulabundis, vt qui sisti se illis petiisset, & quorum causa venerat indicasset: datur huic statim amplissimus ad concionandum toto regno campus; datur ad rem diuinam vt agnosceretur Sacerdos Romanus; celebratur opinione in vulgus tam sublimi, vt ægrè illi par inueniendus vsquam esset. Preiudicatis auctoritatibus tàm celsis munitus, Eboracum intrauit natalem prouinciam; Durhamium inde illi conterminam, vt intelligeret ex eo Episcopus, quo consilio Roma venisset in Angliam, eique ad opus tantæ molis suppetias ferret, profitebatur vero id opus esse, doctrinam quandam ex Iesuitarum seueritate mixtam, & aliorum laxitate, attemperandámque ex vtraque. Credebat vir scilicet magnus Iesuitis refertam Angliam, cum præter Hayuuodum, extra carcerem haberet nullum. Ad hæc Sacerdotes seminariorum prodigiosis offundi tenebris, & illuminandos esse legitimo rectæ conscientiæ splendore, ad quam & ipsi Catholicos cæteros fingerent, docerentque nulla religiosi animi remora, posse Protestantium adiri templa: desituram hac lege cruentam in illos suppliciorum barbariem; tamdiu aliter grassaturam, dum restaret pietatis an-

riquæ vestigium. Errare Patres cum Sacerdotibus, qui mallent omnia perdere, quam leue aliquid cedere de asperitate summi iuris, edoctum vero se, non id modo fas esse, magníque meriti, sed omni officio, debitum. His demum ita compositis, repetitutum Romam ad Legationis rationem Pontifici à quo missus venerat referendam. Sic ille, haud tamen constanter; sui quidem interdum videbatur adeò immemor vt Lutheri è pulpito Ecclesiastes, è schola Doctor videretur. Hæc Hayuuodus resciuit ab ipsomet, inuitante plurimum ad præbendas aures, futurúmque de multis vt eum dedoceret in quibus antea errasset. Non probarunt Hayuuodum Catholici audiendo apostatæ, vel dementato sese committere, qualis Landgallius videbatur; sed monere per certum hominem Lancastrenses, Eboracenses & vicinos, Landgallio fidei ne quid darent, nec missum illuc, nec permissum venisse; vitandum quàm posset longissimè, ne dum vt illi deberent vel fides vel aures præberi; sic qui vulgo obrepere; illúdque decipere nisi ignotus non poterat, agnitus, palámque perspectus, cœpit victu egere, ita destitutus est miser ab omnibus; stipem ab Hayuuodo rogare coactus est, & sui demum cuiusdam propinqui charitatem, & misericordiam poscere. Haud quidem vt reor ex fratre filij, qui suadentem auunculo audiens, Protestantium sacra, cœtúsque celebraret; haud scio quis, inquit, me nunc vetet, hunc tibi gladium in latus defigam, & cum hac sceleſtissima tua vita, infamiam extinguam, quam religioni nostræ inuris, & sanguini. Horum tibi curæ si nihil est, pungit me acriter quod propudioso apostatæ, & fraudulenti ministerio vtrumque dedecoras. Cúmque his illum indignans abegit, nec eo postea quid factum quo se? vel ad quem receperit? quo fine clauserit rescitnm.

Alter huius anni serenum nobis obscurauit Hayuuodus contra omnem expectationem. Huius mali fuit occasio, vetus illa Anglorum pietas qui statutis ab Ecclesia Rom. ieiunandi diebus, alios complures vltro adiunxerant, nec minori seruabant cura, quam lege alibi indictos.

Erant autem ij dies Sabbathis per annum, & festis Deiparæ præuij, insignúmque Regni patronorum, & Rogationum. Tentarant quidam ex seminariis Duacenſi, & Remenſi Sacerdotes, priscum morem ad vsum Rom. reducere, emergebátque inter Sacerdotes nouos, & veteres & suffragatores eorum laïcos vtramque in partem dissidiolum aliquod & animi contractiuncula, quam superueniens cum Personio Campianus, leui negotio persanarunt, relicto cuique ritu cui assueuerant; insuetis nulla vis fieret, vt illum admitterent. Sedata in hunc modum æmulatione, multæ ad Hayuuodum vix anno prius in Angliam appulsum multis ex locis deferuntur querelæ de asperitate ieiunij, qua grauarentur quoque puerperæ, pueri teneræ ætatis, ipsique adeò ægrotantes. Malè fieri credidit Hayuuodus, & malo peius remedium quæsiuit, quo bono pauci per imprudentiam malè vtebantur id omnibus abstulit.

Magni vir fuit ingenij Hayuuodus, quod studium pertinax magnis item doctrinis locupletauerat. Philosophiam professus antequam noster esset,

post

post an. 1562. & Societatē initam, Theologiæ Magister appellatus, Dilingæ illam professus est, versatúsque annos septemdecim in illa tum quam dicimus positiuam, tum polemica & disputatrice aduersus hæreticos, versatus inquam, doctrinæ fama tam celebri, vt eum Gregorius XIII. à Guillelmo Bauariæ Duce, pontificio Breui perhonorifico mittendum in Angliam peteret. Sed erat priuatis suis opinionibus ita immobilis, etsi alij omnes diuersa sentirent, vt vtrorumvis culpa necessariò fuerit ab Apostolico ministerio remouendus quod suo non minori, quàm aliorum bono in Anglia obibat; aliunde vero similiter aliàs à Theologiæ pulpito; ac demum Neapolim ad operarij priuati officium in reliquam vitam redigendus. Dempta næui huius lenticula, qua viri præstantes non raro fuscantur, pares gerebat ad magna quælibet, & ardua spiritus; & visuri sumus ab eo non stetisse quo minus pro fide Catholca mortem oppeteret. Sed illam aggressus asperitatem ieiunij laxare, quod erat Romano angustius, & quorumdam mouerat querelas; Catholicorum animos sic turbauit, vt de illo passim velut imprudenti offensionis non necessariæ auctore agerent (sic illi sentiebant) laxamentum illud detrimento fore Catholicis; & laudatum iri à Caluini schola, cui nihil ita exosum vt genus omne corporis affligendi. Si quid erat mutandum, furente potissimum inimicorum sæuitia, fuisse potius antiquæ pietati addendum aliquid, quam de illa quicquam remittendum; non fuisse insontes quamplurimos paucorum culpa puniendos, sed si qui exerrabant, fuisse admodum reducendos, normámque innoxiæ mediocritatis. At iure hi quidem, sed in cassum, obstinauit Hayuuodus in concepta semel sententia animum, quoad die quodam rogationibus dicato, Londini apud Protestantem hospes eius vxoris Catholicæ, non est veritus sibi vsurpare quod aliis suaserat, quo ille tam grauiter offendit hæreticum, vix vt se teneret à deferendo illius nomine, essetque ne faceret prece, ac pretio placandus; cœterum absque mora domo illum extrusit. Tunc se tandem sed serò colligens, factóque anxius id demum satagit, quod fuerat omnibus præmittendum. Agentem in Gallia Personium adit per Ioannem Curryum Sacerdotem Sceruuini olim popularem & amantissimum. Interea temporis dum ægrè Personius reperitur, mutat Hayuuodo Deus agendi vices in tolerantiam, articulari morbo corripitur, ac ne cui periculum capitis crearet, si fugæ tunc impotens exploratores improuisos nou posset vitare; in obuium se diuersorium tanquam extraneus recepit, cuius moræ, ac morbi opportunitatem nacti Catholici Remos certum hominem destinant ad Alanum vt Hayuuodo iam multis de causis inutili, operarium alterum de Societate, (aut plures si posset) curaret substitui, quod apud Generalem Aquauiuam feliciter confecit, impetrato Guillelmo Vvestono qui annis deinceps non paucis copiosam nobis scribendi materiam suggeret. Hæc dum vtrimque festinantur, Rothomagi Curryus, sed frustra, Personium quærit nondum ex Hispania redncem, itérque Parisios secutus, voto potitus est quo nihil habebat antiquius admissus videlicet in Societatem, ad quam illi quidem P. Thomas Dabiscirus Anglus patrocina-

tus est, sed multo validiùs egregij viri præclara merita. Natus annos tunc erat triginta tres, quos ferè Oxonij ornando literis ingenio locarat, virtute, te tamen haud paulo ditior; charitate præsertim animosa, & ita feruida vt eam vbique maturitatis pondus æquabiliter temperaret. Proinde in Anglia Catholicis omnibus mirè gratus, visúsque Personio reduci valdè idoneus qui licet adhuc tiro cum literis remitteretur in Angliam ad sedandas turbas, quas Hayuuodi transuersum iudicium mouerat. Repetito ipse Romam itinere; tum alia peregit, tum promissum Alano Vvestonum Hispali, Hayuuodi loco accersendum in Angliam, sed expectaturum cum eo in Gallia dum Roma rectè rediisset auditurúmque ex se vrumque normã itineris, & scopum. In quibus hic primum de Hayuuodo lætiora occurrunt, eiùsque virtute digniora,

Iam ad illum recepta sanitate parem itineri repentinum venerat Generalis mandatum de profectione ex Anglia; anno igitur 1584. integrata officiis mutuis cum Catholicis charitate, qui præter dictum remissi ieiunij laxamentum, cœterà hominem amabant plurimum, conscendit in Galliam, & Dieppam euaserat vitato catascopio custodum, cum venti subita, & ineluctabili rabie compulsus, portum Angliæ legit, qui primus extra periculum occurrit, vbi portus custodes dum à vectoribus seorsum inquirunt, qui? & qua facultate? extra regnum egressi, suspicionem sui Hayuuodus fecit, post etiam liquido compertus Sacerdos Catholicus, Londinum in vincula ductus est: crebro illic à consiliariis duobus promissis minísque, sed inanibus tentatum, arte aggressi sunt hactenus intentata. Productum è carcere die Februarij quinto, cum fortissimis Dei Sacerdotibus Georgio Addocko, Iacobo Feno, Thomæ Hemerfordo, Ioan. Mundeno, & Ioanne Nuttero (qui quinto post die, ad Tibornum pro fide Catholica nobiles animas, pretiosa morte posuêre) cum iis vna sisti Duodecimviris iusserunt ad sententiam capitis audiendam; illic ad fores palatij denso populo septas, Optonus ab sociis Hayuuodum eximit, iubétque vicinis in ædibus malè custoditum subsistere, ac dum aliorum perficitur causa, perportari clam in Turrim, & reorum ad Tamesim postico inferri. Hinc promiscua obmurmuratio; Catholicorum autem horror, interpretantium illam à sociis separationem, lapsum tacitum & desertionem. Quam fraudem scelesti homines commenti fuerant, vt interea illi quinque, de quibus damnandis agebatur Hayuuodi carerent præsidio, qui erat, dicendo, & stringendis argumentis potens. Deinde vt simul Catholici cum Protestantibus proritarentur in Hayuuodum, tanquam metu, mercede, aut rationibus expugnatum, factum fidei desertorem, quam suspicionem augebat apud Catholicos, cum illa Optono iubente separatio ab sociis, tum eius explicatio obscura, & præferens aliquid non satis purum à suspicione.

Hac Hayuuodi famam, Deus noui casus malè accepta explicatione perstringi voluit; qui sua illa perperam concepti, peiúsque minuti ieiunij nouitate, antiquæ illius Ecclesiæ contristauerat pietatem; sed in eum errorem cum eius bona mens, malè tamen digesta, induxisset. Deo similiter placuit,

placuit, ignominiæ contractæ grauitatem in tantumdem honoris vertere. Acerrima si quidem Catholicorum perscrutatione compertum est, quàm promptè & quoties inuicto animo, Reginæ Ministris vitam prius ad supplicia quælibet detulisset; quam vt in se quicquam admitteret minus decorum Catholico, Sacerdoti, & religioso. Compertum item ex Protestantibus quot ab iis & quantas impugnasset expugnasséque impressiones, infracta constantia, nullo quidem eorum experiri auso quantus in disputando assurgeret; sed Optono minante, furente, terrente, supplicio-rum crudelem scenam coram explicante; Cæcilio contra Hartono, Vvalsingano blandientibus, pollicentibus, aures, & oculos vrbanitate omni hortatu, precibús Pontificii quoque honoris dignitate implentibus haud quidem vt vel Catholicum exueret; vel aliquo templorum aditu assimularet exuisse; dumtaxat in minimo, qualecumque id foret, benè cum Regina sibi conuenire præferret, stetisse semper immobilem inter decem, & septem mensium multiplicia hæc robustæ virtutis tentamenta donec videlicet in exilium pelleretur vbi denuo spectaturi sumus viri mentem prorsus heroicam.

Censeri quoque in aduersis debet, duorum quos retro meminibus nobilium factio, quæ Seminariis Remen. & Romano insinuans sese, vtriusque alumnos à suis Præfectis duas velut in sectas diuisit, Alani Societatis Patribus aduersas, alia omnia de suo in gentem vniuersam infatigabili amore promeritis. Hinc simultates partium & tumultus, diúque iis peiores secretarum impulsus coniurationum, quibus eo vsque seducti sunt aliqui vt in angliam redirent sua inde cum illis duobus communicaturi consilia, quibus hi suo quo ardebant igne, adeò paulatim omnia incenderunt, vt eius Ecclesiæ partem sanctissimam, hoc est palmæ vicinos in carcere Christi confessores cœlestis iam auræ tranquillo gaudentes, dissidiorum flamma corriperet: sed hæc obiter & loco non suo, post explanatius reddentur; fuit etiam haud leue Catholicorum damnum, Roma Thomæ Nouelli in Angliam reditus, vt se Mundero adiungeret Vvalsingani vterque mancipium factus, Sacerdotum vterque scrutator, & proditor, & venalia eorum capita paulo plus nummo solitus nundinari, eóque ministerio viuere. Accessit & malis Anglorum illustris extra regnum fuga sub anni exitum; Baronis Pagetti; Aronelli Treshami; Fishkerberti; & Stephani Brinckli, aliorúmque ex flore nobilium; erant hi magnum in Anglia rei Catholicæ firmamentum, magnum Catholicis exemplum, & multiplex, vbicumque habebant palatia, tutum ab exploratoribus confugium, mihi demum haud sic applaudendum, accessu Georgij Gilberti ad Societatem, vt eius decessu non doleam in procinctu cum esset ad suam Angliam pro sua virtute & dotibus ingenti aliquo præsidio iuuandam. Gaudebunt posteri quam iis consigno hac eius memoria.

Gilberti Dotes eximiæ. Conuersio ad fidem Catholicam. Labores ad eam fulciendam. Pericula. Vitæ mortísque sanctimonia. Thomæ Darbiscir elogium breue; Eduardi, Trocmortoni; & Sacerdotis egregij Guillelmi Hartij, pro fidei causa in Anglia perempti.

CAPVT VII.

GILBERTVS infelix potiùs quàm reus; aut si reus, culpa magis aliena quam propria, Protestantium errorem, cum vita, & lacte duxerat, & lux ei vt primùm Catholicæ affulsit veritatis tanto illam ardore adamauit, eiúsque præceptionibus instítit, vt mensium vix quindecim tiro credendo, & agendo admirationi esset veteranis.

Primos in Anglia vitæ annos viginti exegit, in campestri meditatione armorum nobilium quo illum suus agebat genius, & habilitas corporis ad motum omnem aptè compositi, totus præterea mirè amabilis, & formæ gratia, & agendi affabilitate, qua nobilem animum, claritudine sanguinis miscebat, eò eius aulæ tunc florentissimæ delitium & amor. Inde visendi ambitu seque ostentandi Parisios venit, vbi sui tam pulchrum specimen in omni elegantia aulica & tractatione armorum præbuit, vt quo nihil auebat cupidius, gentis suæ flos delibatus haberetur. Animum si spectes rectæ licet expertem fidei, probum possis nihilominus dicere. Vt qui magno esset præsidio interiùs honestas insita; foris publici oculus, cui & externus, & per se honoris appetens plurimum seruiebat, mauult enim nobilis animus existimatione probitatis suo merito gaudere quam opinione aliena. Libris item piis mentem & otia occupabat, ex quibus quam percipiebat legendi voluptas argumentum erat animi ad virtutem propensi. Erat tunc Parisiis P. Thomas Dalbiscir natione Anglus virtutis, & scientiæ fama Gilberto notissimus; Oxonij olim in Academia, in sapientiæ gymnasio Londini Philosophiam professus, & Doctor legum ciuilium. Ad hæc maioris Ecclesiæ Londinensis Archidiaconus & Cancellarius, sub Edmundo Bonero patruo eius Episcopo, quem nec magnis conditionibus nec minis à Catholico dogmate, summíque Pontificis Obedientia mobilem, Regina diuturno carceris ærumnosi martyrio necaret. Thomas opimis & ipse diues prouentibus, meritis dictior ad quemvis gradus maioris ambitum, eadem qua

patruus

patrus pro causa, omnibus nuntium remisit, seque Deo & Societati consecrauit, quam annos vnum supra quadraginta, perpetuis virtutum progressibus ornauit.

Cum eo Gilbertus, vrbanitate primà, vt fit patria agere, deinc animi gratia, denique serio, & seria mouere; quorum aut æternis rationibus permotus, aut sanctimonia viuendi quam suspiciebat in P. Thoma, excussit vnà ex cerebro cuncta Caluini deliria, cunctos ab animo consuetudinis aulicæ amores, & ambitus; & suscepta Romam peregrinatione, illic Personio fingendum se tradidit, qui tunc ad S. Petri confessiones audiebat, ab eo rite in gratiam cum Ecclesia restitutus; & præceptionibus optimis roboratus in Angliam rediit, ab eo qui fuerat omninò alius; quantis inde auctum cultioris virtutis profectibus Personius Londinum reuisens reperit alias dictum est. Iuuenis fuit in ætatis vere longè pulcherrimo, patri olim vnicus, tunc patre orbatus, patrimonij opulenti hæres liber, & arbitrarius; & in procinctu ad nuptias; his & omnibus abdicauit sese quæcumque poterant moras iniicere, ne Personium, laboris socius, periculorum, & meriti sequeretur; quanquam ipse, haberi socius recusabat, sed vice serui, famulam operam ad Apostolicum ministerium commodantis; suo igitur deinceps vtebatur velut alieno; non iure Domini, sed sollicitudine administri, & custodis vt qui Deo in obsequium rei Catholicæ omnia donasset. Iámque ipsius domus commune omnium & proprium erat cuiusvis hospitium fiebátque haud rarò, vt multi simul improuiso concursu eò appellerent, supra numerum venienti suo ipse lectulo cederet, & humi cubaret vestitum illis curabat idoneum mediocrem, diuitem, moris exotici, & noui, quanto enim erat splendidior habitus, tanto magis assimulabant Sacerdotes quod non erant. Si quando eiusmodi deesset vestitus, suum ipse sibi detrahebat vt egenti daret, piáque & insonti fraude exploratores deluderet. Bonorum illius reditus penes illum haud diutiùs morabantur, quam egeret vel poscceret aliquis, cúmque essent in multa & varia, & necessaria pro Catholicorum, & Ecclesiæ vsu expendenda, vbique in iis, ex delectu Personij pendebat Londini semel carcerem inuisens in quo multi algebant pro Christo Catholici, malè in hyemen vestibus armati, nouas illico, & honorificas omnibus curauit. Commendarat illi Thomas Pondus è suo carcere monialium grandem familiam quæ olim Anglia expulsæ reiectæ in illam ex Belgio fuerant, nunc ita egebant, vt magno numero cum essent, duobus tantum cogerentur breuiariis, diuini officij pensum exsoluere, alteróque illorum manu scripto, apographo, vetusto vtróque attrito, lacero, semideleto, semique inutili, nec optimæ Virgines, penuriæ cæteræ qua magna premebantur laxari angustias petiere, nisi ad instaurandum noua editione breuiarium earum ordinis proprium, vt in eo laudes ritu semper solenni perpetuarentur, misit ad eas Gilbertus aureos sexcentos pro trecentis quibus ad hoc egebant, viciſſim rogans vt vetustum illud manuscriptum Breuiarium, sibi dono seruarent, quòd earum vna longo tractu ætatis, & sanctimoniæ Catholicis omnibus veneranda illud in vsu habuisset.

Iam labores in opem animarum per se, & proximè, ab eo sudari, fuerunt eiusmodi, vt possint facile strenui Sacerdotis, illorum esse mensura, & merito contenti: quamobrem haud temerè asserebat quidam ex eius intimis, posse iustum volumen conflari ex nominibus illorum quos D. Georgius Gilbertus vacillantes firmasset, restituisset lapsos, intepescentes generosiori spiritu animasset quali ardebat ipse, maximè iuuenes pari secum ætate, & nobilitate. Gestorum porro à Patribus Campiano Personio aliisque, frugis copiosissimæ operariis, tantam venit in partem Gilbertus, vt non dubitarit Personius Gregorio XIII. id significare, dedit enim Romam Comites Gilberto literas quibus significabat Patri sanctissimo, si quid foret à nobis in Anglia gestum boni, magnam partem Gilberto deberi. Neque vllis tamen conductis, emptísque ministeriis, pietatis suæ amplitudini satisfaciebat alendis equis, & veredariis, qui longè quà quà versum palatia procerum, vrbes, pagósque percursarent, & Catholicorum vnicuique, loca, tempus, horásque singulas condicerent, quibus essent Personij opem, & operam in promptu habituri; verum ipsemet illi præbebat se viarum Ducem, corporisque custodem quocumque discurreret; nunc schemate nobili, hoc est, suo nunc pedissequo, & seruili, mutandis sæpius cum illo vicibus & colore, vt acres falleret inquisitorum vbique insidias! vbique vero, Patri sollicitus, & anxiè trepidus; sibi tam securus & expers timoris, vt diceret nunquam à se propterea quicquam prætermissum quod in Dei honorem cessurum videretur; nunquam sibi vllius periculi præsentiam proximam ab oratione animum auertisse, & erant tamen ea pericula nunquam extremis leuiora, & indagatores à consiliariis publicis tanto vbique numero, tam seuerè missi, vt eum Personius à se amouerit ne tanti comitis faceret iacturam. Dúmque illi nauim in Galliam, & fidos nautas parat, Catholicorum nobilium fuit nemo quin se illi vltro detulerit hospitem, & occultatorem, spreto quod illi vrbanitatis piæ, officio inerat, vitæ discrimine; tanti erat Gilberti apud omnes virtus, tanti egregia in rem Catholicam merita. Latitauit tutus ad mare in solitaria & deserta spelunca, nullo tantum virum, in bestiarum stabulo facilè suspicante. Substitit illic valdè incommode, assuetus commodis iuuenis, sed ea exuberantis lætitiæ voluptate, vt sibi aliquid saperet de paradisi delitiis, narrarétque postmodum, in vita nihil sensisse beatius. Maio exeunte anni octogesimi primi traiecit in Galliam, confecto, ex paucis bonorum residuis quæ nondum redacta in fiscum fuerant, quantum potuit argento, & relictis Personio equis septem ad excursiones necessarias Sacerdotum, Catholicis operam, passim sæpè ac ruri præbentium: cui & constituit quod edendis de fide, cultúque pietatis libris quamplurimis abundè sufficeret. Excepit illum Remis Alanus, tanquam lapsum de cœlo Angelum, tenuítque hebdomadas aliquot; inde Romam in seminarium transmisit cum Carolo Basseto Thomæ Mori digno pronepote. Hi enim duo aiebat iuuenes, luminarium instar istic futuri sunt, quales in Anglia luxerunt. De Gilberto seorsum aliis literis, si quem tota ex nobilitate Angliæ cõmendant insignia erga Religionem

ligionem Catholicam, erga seminaria, erga Ecclesiam, & patriam merita, prærogatiuũ eius laudis huic nobilissimo iuueni debetur. Nullum propterea cui sese non daret refugit periculum; bonorum rapinam cum gaudio tulit; eorum residuo largiter Catholicos iuuit, nostræ quam spectauit præsens paupertati non leui subsidio adfuit] octingentis nimirum aureis; quibus totidem adierit Bassetus quod ab exulibus, spoliatis, procul à patria positis, censeri possit munificentiæ regiæ, nisi melius dixerim regiæ charitatis.

Gilberti mens fuit cum Romam pergeret, offerre se promptum ad omnia Societatis Præposito Aquauiuæ, seu vellet (quod sibi potissimum in votis fuisset) in suos illum admittere; seu iuberet tamdiu subsistere quamdiu illum censeret in Anglia posse Catholicæ fidei prodesse. Optauit hoc alterum Aquauiua; locum illi statuit in seminario Anglorum vbi sic agebat, vt si esset iam vnus de Societate retinebat tamen cultum secularem, quod nec eius personam dedeceret, & liberiorem ipsi permitteret copiam in aula cum Cardinalibus, ipsóque Pontifice de rebus Anglicanæ Ecclesiæ agendi; à se tamen haudquaquam, sed à Personio, vel Alano suggestis: etsi enim valebat prudentia valdè singulari, sed nihil esset ausus ab sese mouere iniussu Rectorum quorum vbique nutibus, & iudicio sic acquiescebat, vt si foret tiro de Societate.

Iam popularibus Romæ ex Anglia pro Christo profugis olim diuitibus, tunc vero egentibus patrocinabatur apud Pontificem; & quibus curare de alieno nihil posset de suo iis aderat. Animis tamen haud paulò attentior monebat singulos præsertim nobiles, quorum est in prospectu vita, sustineri ab iis famam Anglicæ sanctitatis, eiúsque virtutibus datum iri Romæ plus fidei, si spectarentur eorum vita, & moribus expressæ, quam cum legerentur. Seminarij alumnis quàm iucundus simul & efficax dicendo prodesset difficile dictu est, adiuncto potissimum suimet exemplo.

Castitatem Deo suam voto sacrarat perpetuam, erátque in eius custodia tam solers, sibíque suspectus, vt per vrbem à feminis & gressum & oculos procul declinaret, suáque illa oris verecundi, aspectus, & affatus collecta modestia conciliabat omnium animos & obseruantiam. Se tamen nunquam conciliabat sibi, continua illa in se odia exercebat, quibus verè se animus diligit; implacabilis erat domando inedia, flagellis, cilicio, vigiliis corpori, multóque plura omittebat, mutato in obediendi meritum, afflictationis voluntariæ præmio. Nec martyrij ardorem, nec fiduciã illi minuerat secessus in Galliam ex Obedientia susceptus. Crebra illi erat cum seminarij alumnis de beatitate martyrij confabulatio, cuius se illósque dulci flamma pariter incendebat: se vero illi tamdiu, tam propinquum non valuisse palmam prehendere dolens ac multum suspirans peccatis suis assignabat hinc eius in martyres sanctos affectus præcipuus, & liberale studium pingendorum agonum tabulis in curandis quos in Anglia certarant qui nunc etiam seminarij Ro. templum ornant. Nihil præter hæc eo dexterius reiiciendis in alios laudibus quæ sibi iure attribuebantur, quod si non poterat, sic

erubescebat vt cogerentur qui eum laudabant alio sermonem vertere, ne præsentis augerent molestiam. Eius cum Deo familiaritas in vita, doloribus, & morte redemptoris maxime versabatur, aiebátque hoc esse magisterium absolutissimum perficiendæ sanctitatis, & cœlestium fontem voluptatum; horas quotidie, quatuor, aut quinque iis insumebat; horas noctis, nec ipse metiri poterat quas ante augustissimum Sacramentum tantis vigilabat refertas delitiis, vt ex præsentia illius sibi non esset satis præsens. Sacram eius mensam Dominicis, & festis in hebdomada diebus frequentabat, eo apparatu, & ea quæ consequabatur interioris gaudij vbertate, vt præ illa non posset lachrymis imperare, etsi premere illas vi magna contenderet. Bis quot mensibus adibat templa septem pœnarum remissionibus statuta, sed solus, & pedes, & quibus diebus esset rarior ad ea concursus. Quicquid demum vacasset à negotiis Ecclesiæ Anglicanæ, totum excolendo diuinis animo addebat; & retractandis memoria quæ quotidie ex oratione sibi proposuerat facienda, scriptóque adnotarat. Tunc autem illud ex duobus instaurabat à Deo ardentiùs petere quibus coram diuino Sacramento petendis nempe quod foret Deo gratissimum, assuerat; aut vitam aliquo in labore magni ad sedem Apostolicam, & Religionem obsequij ponere; aut mori in Societate, ad quam eò in dies se rapi maioribus desideriis sentiebat, quo pergebat magis in meditatione Christi Seruatoris; præter illam vero quam suspiciebat in Societate Obedientiam; sibi bonis iam omnibus pro fide Catholica exuto, & pauperi; & castimoniæ obstricto beatis compedibus, nihil deesse, vt sacer Deo totus esset, præter adiectionem, iudicij, & voluntatis.

Ad se igitur accito sanctissimus Pater Greg. XIII. negotium credidit momenti ad fidem Catholicam grauis. Ad hoc erat necesse transire in Galliam, sed vulgo is transitus putabatur in Angliam tendere. Hic se negotio dum parat celeritatem omnem, & sollicitudinem exigenti, pridie quàm equum inscenderet, febri corripitur tam acuta vt septimi accessus violentia illum necauerit, quo breui tempore notata sunt aliqua scitu digna. In cubiculum dum transfertur assueto minus incommodum, videns se templi odæo præteruehi, rogauit enixè illos, quorum brachiis incumbebat, in templum se inferrent, quod vbi obtinuit, sic se illic Deo immersit penitus, vt inde non posset amoueri, nisi iussu Rectoris qui propterea fuit aduocandus. Huius vero ex nutu ita pendebat in omnibus, vt potiones medicas & cibos à quo vtroque pariter abhorrebat, à Rectoribus oblata iucundè caperet, & appetere videretur; id cum semel stomacho multum reluctante, nihilominus euicisset, Patri cuidam paulo post visenti, proh! quanto me pater deliburum offendis gaudio! & vero hæc in ore lætitia præter solitum eminebat; interrogatus eius causam; in honorarium, inquit, prompræ, qua mihi vim paruam intuli obedientiæ, se mihi spectabilem Deipara obtulit, sed fronte quam serena, quam propitia, & suaui! cum nuper idem, sed propemodum seuera adstitisset, quod meo sensui paulo pertinacior adhæsissem. Quibus indicium sat clarum dedit,

dedit, non fuisse hæc visa diuinorum sibi admodum noua. Cæterum optabat vitam sibi produci, verum ad hoc solum vt testimonium Catholicæ fidei sua morte, & sanguine firmaret, à quo sperabat se nunquam propius abfuisse. Sed denuntianti Rectori aliud Deo visum, & fore perbreue quod supererat vitæ residuum, serenata fronte gratias ipsi egit, qui vt antea semper, ita se illi hoc rerum cardine, amantissimum Patrem exhiberet, neque se illi exinde cogitatio obiecit vlla de vita magis proferenda, quam si nunquam in viuis fuisset: quin & flentes circum aspiciens seminarij iuuenes à quibus singulariter amabatur; mittite has oro lachrymas; vestrum, ait, congruunt nemini nisi tantum mihi; ego solus inter omnes miser; compellánsque illos sigillatim, & varia illorum decora; tibi quid est quod fleas? qui pro Catholica sanctitate, catenam & carcerem; tibi? qui plagas, & compedes toleraſtis; cui demum inter vos hæ congruant lachrymæ quibus adhuc integra est martyrij expectatio, dum ego biennium martyrio anhelans, & proximus, morte hic ignaua in lecto defungor: tum cruce in manus sublata (quam elaboratam sibi diximus à Brianto mortis sententiam proximè aduituro) cœpit suo quondam cum amicissimo Campiano affectu intimo colloqui, dolens magnopere quod comes ei non esset promeritus in traha cratitia, & morte comes addi qua tantum honoris Deo contulerat. Sub hæc reuersus domum Agazzarius Rector ab Generali Aquauiua, facultatem ad eum retulit edendi Societatis vota (quæ solet interdum tyronibus in extremo positis concedi) ad quam ille immensis gratiis Deo actis, velut omnium in terris votorum compos, *Insuper*, inquit, *Ego peccator voueo tibi Deo meo coram beatissima Virgine Maria & omnibus Sanctis Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam in Societate* IESV. Post quæ secutus aliquamdiu cum Deo colloqui, sub quartam noctis horam sexto die Octobris, tam placidè animam efflauit, dormire adstantes crederent quem aduerterunt iam mortuum, salutarúntque fletu, & osculis defunctum. Magnum sui Romæ desiderium reliquit vbi suam virtutem non obscurè probarat. Eius morte doluit Pontifex, magnaque illum Angliæ iactura decessisse. Spectatur effigies in vultu expressa S. Georgij vnius ex Anglis martyribus, in nostram S. Andreæ perlata ædem sacram, ex Collegio Anglorum, quorum prostat in templo depicta eius historia; quod autem pictor imperfectum opus omiserit, causa fuit Gilbertus, qui obseruari se à pictore aduertens, vt lineamenta vultus sui transferret in martyris loco vbi sederat se amouit, donec quod cœperat, non tamen vt cœperat absoluisset. Elatus est ad S. Andreæ ibique sepulchro conditus, nec de illo quicquam Aquauiua præter illum vel expetiit vel admisit, nam quod probationis domui relictum voluerat, sic de illo Remos ad Alanum Doctorem; nuntiara enim felici eius morte, & funere ad S. Andreæ elato, spebúsque quam ante maioribus promouendæ ab eo in Anglia rei Catholicæ; Norat pridem V. D. Societati nostræ fuisse penitus addictum, maximè autem hoc vitæ postremo, eam ob rem optauit in probationis domo condi, leuandæque illius egestati, testamento nummos legauit octingentos quam eius bene-

ficentiam etsi magnis prosequimur gratiis; sed iudicauimus Deo futurum acceptius, si conferretur integrè, in opem Anglicæ nationis. Viderit itaque D. vestra quam in rem potissimum censeat insumi oportere? iuuandisne Anglis exulibus? fundando censui annuo ad sustentationem alicuius qui Romæ resideat? augendo Remensi vestro Collegio, seu cuiuis alteri pio operi promouendo, cuius delectus penes D. vestram, eiúsque arbitrium esto.

Parem beneficij priuati gratiam Generalis Nouembri elapso indulserat Eduardo Trocmono bis decem annorum iuuene, vt cooptaretur moribundus in Societatem, nuncupatione votorum eius simplicium erat enim & claritudine generis illustris, & præstantia virtutum omnium quæ possunt sanctum perficere iuuenem; quare illic in Seminario Rom. in quo ipse degebat, eius specimen vitæ in exemplum ab Anglis recens memoratur, & illuc aduenientibus legitur, & teritur, concinnatum vt dicitur à Sothuello (de cuius agone fortiter pugnato commodius aliorsum differimus, aut iuncta opera ab Algazzario Rectore an autem in peculiare Episcopo, de vexatione Anglicana historiam translatum fuerit nihil attinet me actum hic agere. Sed vnum his addam peculiari dignum obseruatione cum se adlegendis in Societatem Anglis parciorem præberet Generalis, ne illorum augeret querelas qui haud scio quo pulsi genio facilitatem eius improbarant; repubum passos in morbum si caderent, valetudine illico instaurata eandem solitos petitionem instaurare quod idem fiebat à Sacerdotibus quos ad excolendam Angliam regressos aut tenebat iam carcer, aut tenturus erat momento quolibet capitalis explorator. Vnus mihi hoc anno octogesimo tertio sub stylum venit Guillelmus Hartius annos natus quinque & viginti, Anglicani Romæ Seminarij alumnus, vbi Societate frustra diu prensata, ardens eius tum desiderium, tum certam fiduciam in Angliam retulit, institítque perpetuo vrgere, precatore Alano magno illo, & Societati venerando. Hinc iam Societatis in terra totus, in cœlestem hoc anno adscriptus est, captus, tortus, & violenta diu certamina fortiter emensus, Eboraci tandem pro fide Catholica victor occubuit, Protestantibus at fero se incusantibus, quod tam rari ostentum exempli dedissent in publicum, eiúsque nunc etiam in ea Ecclesia tanquam viri maxime illustris viget memoria.

Camdeni iudicium, de iniquis in Catholicorum pernitiem iudiciis. Quid libri sit illud Iustitia Britanniæ *ab Doctore Alano confutata; de illa contendunt Leycestrensis Comes, & Regni quæstor. Nouæ aduersus Catholicos pœnæ, Sacerdotes præsertim carcere detentos. Expeditionem Anglicanam, volens suspendere Matthæi Prouincialis reiicitur, ob euidentes in oppositum rationes P. Guillelmus Vvestonus, cum fratre Emersono in Angliam subeunt, statim ipso in aditu capitur.*

CAPVT VIII.

HABEBAT Elizabeth septuaginta Sacerdotes in carcere hoc anno 1584. omnes morti deuota capita. Ex iis anni principio decerptæ sex victimæ, diéque vno immolatæ Londini, solenni supplicio proditorum; immanioris per annum lanienæ, omen sæuum, & barbarum, nisi vsus Personio, & Alano Deus illud auertisset, & inhibuisset illic stragem, vnde cœperat grassari; hoc vero qua factum solertia vt enarrem, relegendum est mihi à capite historiæ filum.

Continuata in Belgium, Italiam, Franciam, Catholicorum ex Anglia, præsertim nobilium fuga, & conditionum miserabilium passim captatio, ad quam illos egestas adigebat, Reginæ ministros tota Europa crudelitatis nomine infamarat, quæ ipsius quoque ad aures non potuit, multis procul ex locis non venire: ac licet vt mos est miseris, pietatem interdum amplificandis calamitatibus propriis, eblandirentur alienam; verum nec ipse Reginæ historicus Camdenus, & quæcumque ab ea gererentur laudator, & patronus, negare ausus est, vel silere omninò, quæ se regni totius oculis ingerebant, de quibus pauca hæc inuitus selegit præ multis aliis quæ libenter omisit. Recensitis ergo nobilibus, qui se in Galliam vltro subduxerant, hos, inquit, multósque alios acerbus vrebat, & coquebat dolor, expostulabant Reginæ animum Leycestrensis Comitis artibus & dolis Vval-

singani, ab se prorsus abalienatum (Cæcilium tacet mecœnatem suum) agi secum contumeliosè, nouísque & indignis modis per summam iniuriam excogitari sibi tendíque quotidie malignas decipulas, & fraudes quibus vellent nollent lapsum possent videri incurrisse læsæ maiestatis, nec affulgere sibi spem vllam meliorem quamdiu in Anglia durarent. Et vero (sequitur Camdenus quo velut teste inexpugnabili stabiliuntur quæ scripsimus, mecúmque alij complures de perfidia crudeli primorum aulæ ministrorum, Regina penitus ignorante) & vero, inquit, & pergit narrare introspiciendis animis adhibebantur fraudes inauditæ; confingebantur literæ ab Regina Scotiæ furtim missæ, & ab Catholicis fugitiuis; coniiciebantur clam in ædes Papistarum, & ex iis velut fortuito, & fide simplici repertis, aduersus illos instruebantur accusationes. Inde consita exploratoribus omnia qui quicquid innocenter dictum, aut factum notassent collectum seruarent, proferréntque illud pro testimonio. Sic multis conflata suspicio, intérque cæteros Henrico Northumbriæ Comiti, eiúsque filio Arondello Comiti Philippo. Iusso quidem se domi tenere; vxore autem Thomæ Scitleyo in custodiam tradita. Guillelmo præterea Hauuardo fratre Comitis Germano, patruóque amborum, Norfordiensis Ducis fratre, interrogato sæpiùs de quibusdam Reginæ Scotiæ literis, de Carolo Pageto de Mopo nescio quo tunc ignoto, ex qua examinum perplexatione ab iuris vsu adeò aliena, nulla se facilè, prudens licet innocentia extricet. Subdit vero his suum, & de his iudicium Camdenus, definítque hunc stylum iure politico exigi, cuius est Princeps oraculum licere quod prodest; honestum esse quod vtile. Quæ dicta crudiùs cum satis ipsemet non posset digerere, vtcumque studuit interpellare sensu leniori, & *Nec eiusmodi quidem artes, & prona credulitas vana censenda est cum de Principis salute timeatur.*

His ergo ad aures Reginæ perlatis quæ grandi cum eius dedecore, de fraudulentia, & crudelitate principum eius Ministrorum, vbique ferebantur, conturbari grauiter visa est, & cum sensus esset in fama tenerrimi, suisque administris securè omnia commisisset, vel videri vellet commisisse, Regni ad se quæstorem seu Præfectum ærarij euocat sibi vnicè inter Ministros carum, & sagacem ad suas cum ea iungendas cogitationes. Iubet famæ suæ defensionem ab eo sic suscipi, vt perspicuè omnes intelligerent quam fraudulentiam & crudelitatem, aut accusabant decepti, aut irati calumniabantur Catholici, ius esse merum, & administrari summa æquitate. Paucis itaque diebus librum scripsit, cui vernacula sua nomen fecit *Executionem iustitiæ in Anglia*, Post vero Latinè, *Iustitia Britannica*, & lingua editum vtraque, misit in omnem orbis totius lucem. At si vnquam alius ex omni memoria ex typis exiit consarcinatus falsis liber, hic eiusmodi est, & prærogatiuo mendacij iure, cœteris eminet; totus est in Sacerdotibus accusandis qui eo vsque pro fide Catholica necati fuerant, nec illos modo sed quicumque carcere tenebantur, alios aliunde omnes esse reos, coniurationum, proditionum, & rebellionis. Campianum vero, quò manifestiùs omni prorsus à culpa defenditur, hoc obstinatiùs reum facit,

facit, quicquid ponit, pro certo, & indubitato ponit, nec probationis vllius indigo; quin semper & palam & iuridicè ab occisis negata, velut à confitentibus exprompta memorat; ne leuibus quidem fucata probationibus, velut euidenter & liquido asserta; pro falsis, quæ totum populum Londinensem in Campiani tormentis spectatorem & testem habuerunt, vnum hoc addit in illo & reliquis Sacerdotibus Papistis, Anglicanam peccasse iustitiam quod fuisset in eos mitior. Peruectus in Galliam ad Personium, & Alanum, impiissimus hic impiissimi partus ingenij, ab iis non potuit impunè præteriri. Plus stylo valebant quam Præfectus ære; iisque non minus facilis, veri defensio, quàm seuera debiti officij ratio, ad propugnandum Catholicæ fidei honorem, innocentiam Sacerdotum, & partam ab iis sanguine lauream quam scelestus liber in crimen vertebat maiestatis. Nec vlli proniùs quàm Alano erat hunc falsi conuincere, cum delata essent ad eum seorsum singula, quæ Catholicis contingebant, Sacerdotibus maximè vinctis, secreto examinum traditis, tortis, solenni iudicio subiectis, integrandæque publicè accusationi, tentatis denique sub ipso patibuli aditu, sed frustra, promissis vitæ libertatis, & commoditatum si vel minima in re Protestantibus assimularentur. Hæc ipsa quoque Londinensi ex Turri ad Alanum à Sacerdotibus eiúsque discipulis magna copia curabantur, fuerúntque mihi ex iis aliqua, ipsius Alani exscripta manu, magno ad hoc operis adiumento, eo propter secessu dierum aliquot, in suburbanam Parisiis villam Alanus & Personius iunxere operas ad defensionem, instruendam quam mox Alanus Latinè & Anglicè ab se compositam, & responsionibus armatam tam validis vulgauit, vt iustitiam Britanni scriptoris summæ iniustitiæ scelere iure traduceret, metueréntque Catholici, ne pudor aduersariorum in rabiem versus, efferaretur in se crudelius. Sed factum, Deo prouidente, vt inde Catholicis mitius fuerit, & libri eius causa ex atrocissimis eorum hostibus insignes duo mutuis se dentibus cœperint ad vsque insaniam scindere. Præfectus nimirum ærarij, & Comes Leyceſtrensis, Comitis Huntingtoni formidabilis Puritani noua fultus & intima gratia, eiúsque à partibus totus, & se iam pro Rege quin & supra Regem gerebat Huntingtonus, potiundi spe sceptri post Elizabetham, eo interea in tractu boreali, quem ab ea regenda acceperat, vexabat Catholicos omni clade, cuius hic libens sileo documenta, indigna videlicet Poli Cardinalis aliorúmque Maiorum sanguine, & religionis apud bonos omnes nomine immortali. Perlecta igitur Leyceſtrensis apologia Alani, æstimatáque suo pondere ac neruo, indignatus est vehementissimè aduersus ærarij Præfectum nactúsque procliuem ad nocendum illi materiam, cum libro præceps. Ad Reginam adit, & magno tumultu vociferatur librum illum, sempiterno Reginæ futurum dedecori. Eius componendi necessitatem auctori impositam ab illo ærarij Præfecto; cæterum libro ad probationem non solum iuridicam, sed euidentiam reuinci fraudes, & violentiam in Papistarum Sacerdotum damnatione, & nece adhibita, impactum inuisis proditionis crimen, & Societatis cum perduellibus,

etsi morte illorum nihil planè aliud plecteretur, nisi quod nollent esse Protestantes. Feciſſe Catholicos natura duce quod imperabat neceſſitas, innocentiam tutatos, criminationes falſas iuſtis reſponſionibus diluiſſe, totam vnius Præfecti ærarij culpam eſſe, qui huc ſuo libro eos adegiſſet; quo probra Angliæ omnia, araneorum inuoluerat telis, quibus tegi nec poſſent, nec à flatu vel minimo defendi. Papiſtas debere occidi quod eſſent Papiſtæ; id per ſe commeritos; nullam enim cauſam religione iuſtiorem; vt quid ergo aliæ ad mortem confictæ, & mendaciorum coloribus obductæ cauſæ? quæ tunc regni totius teſtimonio reuinci faciles; nunc orbis totius vulgantur in oculis cum ignominia iuſtitiæ, gentíſque Britannicæ. Ad hæc timens Regina Comitem quem iuſto altius tulerat; cogebatur hinc illum ferre patienter, inde ſui Præfectum ærarij ad omne conſilium adhibebat, præſertim Catholicos ſpectans. Expedire ſe igitur illam oportuit à querimoniis Comitis vno ex illis amphiſuiis reſponſo aliquo, in quibus edendis vbi vſus ferret, erat doctiſſima; vtcumque fuerit, reſciuit hæc omnia Præfectus, & ecce paulo poſt liber prodit ſtylo graui conſcriptus ſui tamen parentis minimè nomen prodens. Eo traducebatur Puritanorum ſecta, velut nulla eſſet in terris deteſtabilior, inde factis & rebus, vt de illorum conſtaret fide, vita Comitis Leyceſtrenſis diſtenta fuſius narrabatur, (vera necne, nihil ad me) ſed qua dici monſtruoſius nihil poteſt in omni enormium criminum grauitate, ſingularibus adiunctis ad ſingula quibus fierent credibiliora. Huius ectypa quingenta ipſemet amicis diſtribuit Comes, & quo plura in alios ſparſa eo à pluribus ita quærebantur vt paucas tantum in horas commodata, pretio ſtarent non minimo. Et quidem hæc omnia valde opportuno Catholicorum compendio quamuis à mente, & ira Præfecti alieniſſimo: Illo ſpeculo expreſſa fœditas publici Catholicorum hoſtis, conficiebat apud omnes, non poſſe religionem eſſe non optimam, quam inſectaretur capitalibus inimicitiis homo tam nefariè improbus, & ſupra omnem modum ſceleratus, tacitis nihilominus de cauſis Reginæ vnius profundo ſepultis penetrali; cœpit denuo agi cum Catholicis durius, cuſtoditi acceſſus, ad portus obſeruari qui pridem regno abfuerant, aut qui minus de vultu noti, cogíque ingreſſuros vt profiterentur, Elizabeth caput eſſe Eccleſiæ Anglicanæ; expediri ad Prouincias mandata regio brachio armata. Augeri præſidia militum Londini, & in aliis vrbibus, velut iam ad portas aliquis Hannibal.

Hinc mille oculi ad Catholici cuiúſque facta & motus aperti. Creditum Reginam vela portúſque vicinorum ſuſpicioſiſſimè pro ſuo ingenio proſpectantem; eiúſque conſiliarios ad omnem ſuſurrum eorum, quos miſerant mobiles extimuiſſe ab hiſpania exercitum aliquem vmbrarum cui excipiendo ſe parabant, cum hoſtis præter illas in Angliam pugnaret nemo; ſemper hi qualeſcumque publici ſtrepitus in damnum Catholicis vertebant. His igitur quibus refertus pridem erat carcer vnus; in alium diſtractis, iuſſi ſunt Sacerdotes ſeorſum à laïcis in carcerem intimum ſeiungi, acceſſu, affatu, etiam cuiuſvis aſpectu prohiberi: ad laïcos aditus poſt

meridiem

meridiem liber esset, nec enim fas fore tunc illis, rem sacram fieri, si quis ad illos clam dissimulato habitu intrasset Sacerdos. Porrò ad illos, aut aliquem ex iis stipem ferre, suspectum eiusdem cum eo sceleris censebatur, erátque coram iudice purgandum inde milites Christi patientissimos extrema egestas eò demùm adegit, vt esset iis vita morte crudelior, cum fame perpetua discruciarentur, à qua horæ vnius mors perbreuis miseros absoluisset. Horum tactus miseratione, necnon suis quoque rationibus consulturus custos, carceris Ioannem Helmerum adit Londinensem Episcopum eundémque in causis de Religione supremum quæsitorem, exponit suæ custodiæ creditos fame interire, multos ex iis domo illustri natos, & liberaliter eruditos, fuisse hactenus pia bonorum largitate sustentatam illorum inopiam, nunc ea largitas suspecta cùm fieret criminis, quærebat ex eo vnde miseris deinceps victus ad arcendam famem.

Respondet carcerario homo misericors, panem habent & aquam quid præter hæc flagitant? sunt hæc etiam commodiora illorum meritis aquam refert carcerarius, mea gratia, meo labore, haustuque habent; panem quo eos alam quis suggerit, & de meo si pergam alere, quis reponit? cui benignus, & clemens Episcopus facesse sis cum tuis Papistis in rem malam; pane si carent, stercus edant. Protestantis Episcopi mite ac nobile responsum! verum haud lenius Huntingtonus Puritanus; Eboraci, & Hulli (arx est ad mare valida in Humbri faucibus vinctos) habebat Orthodoxos, nihil quidem iis carcere leuius, reliqua duriora; quin, & extra carcerem liberi, malis ingentibus ab eo premebantur.

Pauci tantum è multis exulibus, hoc anno in Galliam transgressi pauidi, sua vt solet, consternatione, alios consternarunt & prudentiæ nomine consilij auctores fuere planè timidi, & ignaui: suggerebant Alano & Patribus Societatis ad tempus absistere à mittendis in Angliam, & Sacerdotibus, & libris? inde Personium in Italiam reuocare, cuius præsentiam ministri regij ferre non poterant; cessuram hinc nobis cedendo victoriam, furore hostium his velut induciis extincto, vel intepescente; quantò lenius foret Catholicis tanto placidius, & auctius amplificandam fidem; cúmque intelligerent sperare se frustra eò vnquam Alanum, & Personium adductum iri, vt secum sentirent, viros nempe magni, & augusti pectoris, cuius ipsi non erant; iis omissis Claudium Matthæi Prouincialem Franciæ suis rationibus expugnarunt, qui rerum Angliæ in expertus, & palpando incedens ex vnis illorum argumentis, (contra quàm sapiens debuisset) sententiam tulit, scripsitque ad Præpositum Aquauiuam, videri ex commodo; & necessitate Catholicæ rei in Anglia, suspendi ad annos aliquot illam Missionem. Personium inde quam longissimè amoueri; exin magis damnosùm quantumvis nolentem, quam quidvis agendo, mouendo, & volendo vsui futurum, Secutæ sunt illico Matthei literas Personij literæ ad Præpositum eundem Aquauiuam quibus excusata Matthei optima sed non æquè consulta, & cauta mente, rationibus fortiter euincebat in cursu Anglicæ Missionis non modo nihil remittendum, sed P. Guillelmum Vve-

ſtonum viſum, ſibi ad illam perneceſſarium, quem & eſſet eò quamprimum miſſurus; poſcebátque inſuper Henricum Garnetum Romæ tunc reſidem, quem norat ſua virtute eximia tanti muneris æquare grauitatem. Sed audiendus eſt etiam Alanus de hoc ad Generalem argumento, & recens ab Anglia Sacerdos egregius, eiúſque experientiſſimus calamitatum, & periculorum; hinc ad nos redibit ſingularium quorundam notitia in rem noſtram non parum conferens.

Quod de Anglicana miſſione quoſdam anceps opinio mouerit, mihi, inquit, Alanus, nec nouum, nec mirum videtur; nempe in tranquillo Eccleſiæ qui degunt, facile ignorare quid fieri debeat adſuperandas eius tempeſtates. Poſtremis fateor his annis quibus ſumus cruenta iactati procella Sacerdotum tringinta iacturam fecimus ſi modo poſſit non omnino cæcis iactura videri, quorum morte, vitam redemimus centies, mille animarum, & aduerſarios egimus in deſperationem hæreſis propugnandæ; & neceſſitatem noſtris de rebus verius & religioſius ſentiendi. Si à periculo, & hoſte tranſuerſum nos vnguem terror auertiſſet; ſi vel præbuiſſemus vmbram metus; actum erat de Catholico nomine: hoc vnum opperiebantur aduerſarij, ad hoc tantum ſuſpenſis arrecti oculis inhiabant, ſi conſpicarentur nos vili iam animo pericula inuadere, formidolosè cruciatus & tormenta audire, & cernere; ſuperſedere paulùm Sacerdotibus in Angliam mittendis, labori, miniſterio, & ærumnis; nóſque induſtriæ ſuæ perfidia, vi, & fraude, cogi campo tantiſper excedere, & pugnæ ardorem relaxere, actum erat inquam de Catholicis, & re Cacholica, debaccharentur in nos crudelius, omnes ferro delerent: nunc vitæ ſaltem parcunt; ſatis perſuaſi nos abſque offenſione populorum grauiſſima, ad internecionem deleri non poſſe; adfore ſi quidem ex ſeminariis, & aliunde ſuccidaneos interfectis plures; pergítque ſignificans hoc anno alumnos de ſuis viginti ſe mittere, quorum pars feliciter iam applicuiſſet, regnúmque ſubiſſet. Illas autem peruincere, conſilij Regij quæ falſo inuictæ credebantur curas, & excæcare duplicatas ad portus cuſtodias, peculiarem eſſe Perſonij artem, qui Rothomagi agens præter ſcriptionem, & editionem librorum ſaluti Angliæ ſummè vtilium, Sacerdotes illac traiecturos, præmuniebat neceſſariis documentis, furtiuis nauibus, & fideli nauta inſtruebat, monſtrabat portus ad applicandum tutos, hoſpites ad latendum amicos deſignabat, quod quiuis alius niſi admodum ſolers minimè potuiſſet tantuúmque Angliæ conferebat boni, quanti erant labores, & vita præſtantium operariorum.

Alter quem aiebant, pro hoc eodem quo Alanus, argumento pugnaſſe, fuit Georgius Birckctus Sacerdos, virtute clarus, ſenſúque cordatus, quem inquietorum fallax opinio nihil perculerat; is nuper ab Anglia, & probè conſcius quo res eſſent loco, doctúſque præterea quàm foret damnoſa Matthæi ſententia, ſi forte Generali verbis eam præſens inculcaſſet, Romam Pariſiis ad Rectorem ſcripſit Seminarij Anglicani, quid ſibi Deo coram, teſte conſcientia videretur. Paulóque altius exorſus, quos inquit, primos è Societate miſiſtis in Angliam, ij rei Catholicæ tam fructuoſi extitere,

titere, vt nunc ſimiles ardenter expetat. Campianus ſua illa felici & nobili morte; labore Perſonius, & induſtria ſapienti; vterque hortatu perpetuo, concionibus aſſiduis, librorum piorum editione docta & vtili, modiſque aliis tantum Anglis bonorum tulere, vt veſtro eodem ex ordine aliquos enixè Catholici poſtulent, cupiant, & votis ſupplicibus, mitti ad ſe quamprimum rogent. Tametſi vero non dubitem Societatis veſtræ Præpoſito nota eſſe illorum hæc deſideria, omnium tamen Sacerdotum, & Catholicorum noſtrorum nomine per quicquid eſt obſecro ne graueris tuam quoque apud illum interponere gratiam, vt his eorum deſideriis annuat. Statum rei Catholicæ in Anglia quod ſpectat, prodigioſum eſt quam ſit proſper, & felix, quam conſtans omnium ordinum, conditionis, ætatis & ſexus perſeuerantia, quanto miraculo in æſtu ſuarum cladium animo geſtiant; quàm mente ferueant in cultu virtutis Catholicæ, in obſequio Apoſtolicæ, & Pontificiæ maieſtatis, in veneratione Sacerdotum, veſtrorum maximè quibus tantam illic conciliarunt famam Campianus & Perſonius, vt æquè nihil cupiant quàm cœpta illorum magnifica à vobis perfici] hæc ille quibus cautam ſubdens virtutis in Anglia tam exaggeratæ, duplicem indicat, alteram eorum meritum, & exemplum qui occubuerant in religione fortiter defendenda; alteram Teſtamenti noui editionem vernaculam (ad quam aureos mille Alanum Doctorem à Perſonio accepiſſe ſuperius diximus) & librum *Deliberationis Chriſtianæ* ab ipſo elucubratum Perſonio; cuius inquit, tum libri materia noſtris hominibus planè peregrina; tum vitæ ex impia in probam & piam reformandæ præclara documenta, dici vix poteſt Anglis quantum emolumenti pepererint, quàm multos Eccleſiæ ſanctæ reſtituerint hæreticos.

Fecêre Bircketi rationes cum Alano iunctæ, vt conſilium Matthæi, Aquauiua improbaret, & duodecimo Septembris Perſonius Guillelmum Vveſtonum proſpero aditu mitteret ad Miniſterium Apoſtolicum patriæ ſuæ Angliæ præſtandum. Offenderunt Hiſpali Vveſtonum mandata Præpoſiti quibus iubebatur præſto eſſe in Gallia vt traiiceret inde in Angliam cum Perſonius innuiſſet à quo expectaretur Pariſiis illuc pedes viarum tractu incommodo & longinquo vt venit, trimeſtri amplius ſecum detinuit, & quà per ſe, quà libris quos norat opportunos, plenius edoctum ad Prouinciam quam inibat ſanè difficilem fructuoſius obeundam Rodolpho adiunxit Emerſono Campiani olim in Anglia ſocio; miſit Rothomagum, vbi eſſet nauim reperturus vela explicantem & qui Dieppam deuectum, ſecurè illum in Angliam ſiſteret. Addidit inſuper traiectus Comitem Hubertum quendam Anglum quem Proteſtantium vis expilata domo in fugam compulerat, paſſurum longè grauiora niſi ſe illorum furori eripuiſſet abſque mora. Proximi Angliæ gemino teli iactu, exſcendunt in Scapham, è Scapha in deſertam plagam cui nomen *inter duos portus* ex qua per deuia, & calles ambiguos Londinum ſe penetrant, vbi paulo poſt frater Emerſonus illos aſſequitur qui ad ſarcinas in naui ſubſtiterat, erant autem Sarcinæ piorum librorum de Religione vitæque probitate ſupellex copioſa, op-

tatum Catholicis, & magnum in vsum comparata; sed non licuit prius diuersorio illos eximere quàm foret Sarcinarum strues à scrutatore publico euoluta, qui, dum socios per vrbem requirit Emersonus, præmaturè aduenies, & sagmam explicans, libros animaduertit ex quibus Emersonum Sacerdotij suspectum fecit, reuersúmque dedit carceri mancipandum, vbi crebris à Iudice examinibus tentatus, negauit se semper Sacerdotem; constanter de Sociis tacuit, purgare se de libris non ita potuit, quin detruderetur à Iudice in angustum, cæcum & subterraneum carcerem in quo annum egit, velut è memoria hominum erasus. Sic destitutum socio Vvestonum qui qua esset eundum? vbi? & quales captandæ latebræ monstraret, totum se Dei tutelæ commisit, quam præsto habuit mirè propitiam ad benigni hospitij opportunitatem, & vitandos vngues fingentis Catholicum flagitiosi apostatæ, qui eius vestigiis extra vrbem, iam per aliquot millia instabat, eratque omnino prehensurus, nisi repentè, & quasi fortuita Vvestono cogitatio incidisset, cuius ipse causam aduertebat nullam, via regia excedendi, qua illum prodiror vexabatur & implicandi viarum ambagibus vbi eam supplicaretur nemo. Subiit animum eodem tempore, Londinensis Turris carcerem visere, & Patrem Hayuuodum, pia vtrinque voluptate ac summè vtili. Iacebat is ex morbo grauiter, eiúsque soror Catholica nobilis femina exorauerat ab Optono vt dies totos adesset ægrotanti, per hanc mutua literarum, & consiliorum inter vtrumque communicatio, donec agi cœptum de Hayuuodo eiiciendo ex Anglia, hinc liberiori amicorum ad eum accessu, Vvestonus ratus est se tam ignotum, tam nouum leui periculo posse item ad eum accedere, ductúsque intro est ab Hayuuodi sorore, quasi ægrotanti necessàriam aliquam operam daturus. Narrat autem se dum illuc tot portis, & posticis, & vectibus ferreis ad ingressus singulos magno catenarum, & serarum strepitu apertis, moxque à tergo clausis traductus subiret, & tristi vbique silentio ac solitudine horrere omnia cerneret, se quoque perinde funesto spectaculo sic perhorruisse, vt si ex vero reus illuc ipse intraret; hinc tamen biennium interfuit ad illum quem gloriosè exhantlauit annorum octodecim carcerem; nunc eò ingressus Hayuuodi iuuandi specie integrum cum illo diem egit de præsenti Catholicorum, & calamitatum statu, cauendis apostatis, & proditoribus, & suspendendo vbique per domos gressu & oculo, priusquam se cuiquam securè crederet: tandem monuit Hayuuodus sibi à Northumbriæ Comite, qui Turri eadem tenebatur pridem nuntiatum, de carcere fratris Emersoni, de Vvestoni ipsius aduentu in Angliam ad Consiliarios Regios delato, & sexcentis ad eum capiendum emissariis exploratoribus. Post hæc vergente in occasum sole; sua cum duce Vvestonus ab Hayuuodo recessit.

Editiones

Edictiones Parlamenti nouæ aduersus Iesuitas, & alios Catholicos. Ex iis causa Religionis asseritur. Tres, & septuaginta Sacerdotes in exilium pelluntur. Hinc Elizabethæ laudata clementia. Hayuuodi iustus ardor. Huic discessui obstare nititur, Executioni mandatur exilij sententia. Falsas accusationes habet disertè proœmium sententiæ ipsius ob quas pronuntiata est.

CAPVT IX.

ADEST annus 1585. tanto nobis memorabilior quanto cladium quas scribendas proponit pars maior attinet ad Societatem. Anni ergo principio comitia ordinum in Parlamentum Londini coacta, mense Martio consessum suum inaugurarunt edictione sanguinolenta, & infami, cuius infamiæ fuisset acerbior quam seueritatis dolor nisi palam, & regno & mundo constitisset, in primoribus quatuor publici Consiliariis & Reginæ Ministris, quos ego non nomino, & qui tunc omnia poterant, fuisse idem fas, & nefas; candorem & fraudem; vim & æquitatem; falsum & verum; in causis inquam Sacerdotum & religionis, censebantur hæc palam ab omnibus apud illos indiscriminatim ita vnum esse, vt si vel publicis, vel priuatis suis rationibus conduceret, æquè vtrumvis adhiberent; ex quo deterius innocentibus fiebat quàm flagitiosis, dum ij duplici opprimerentur malo; dedecore scilicet affictæ calumniæ ad aliquam speciem æquitatis indictæ pœnæ adspergendam; flagitiosi pœna tantùm. Pono hic verba proœmij quo sententia Parlamenti damnationis causas & pœnarum præmittit. [Cum paucis, inquit, ab annis huc missi venerint, pergántque perpetuo in Angliam, & cœteras alias maiestatis Regiæ ditiones, quidam homines qui se Iesuitas & profitentur & vocari volunt; Seminaristæ quidam Sacerdotes, aliíque trans mare inaugurati ordinibus ex ritu Ecclesiæ Rom. vtque illorum iuridicis confessionibus multísque argumentis clarè probatum est, non hac solum mente huc venerint, vt auerterent populos ab debita Reginæ Obedientia, verum etiam vt seditiones, & rebellia miscerent, & maiestatis suæ regna mani-

festis diuortiis scinderent, non sine grauissimo regalissimæ ipsius personæ periculo, regnique totius pernitie, nisi exitio instanti, maturè eatur obuiam; eam ob rem, &c.

Ingens fragor verborum & formidabilis, nihilo tamen nunc veriori prolata vocis imagine tot præstantium capitum, quot Parlamentum præsentes conflabant; quàm æquè mendaci styli silentio alia, nuper orbis totius oculis edita; *Iustitiæ Britannicæ* auctore, proin falsi quoque in luce mortalium omnium ab Alano connicta pleno, & inexpugnabili ad singula responso; sed nec desunt etiam post Alanum, qui edicti huius Parlamentarij, atrox proœmium non satis intelligant, nec possint veram eius sententiam cernere. Doceri siquidem à Parlamento, optent vel vnius nomen Sacerdotis, cui repetita omnium vis & barbaries tormentorum, & exaggerata promissa montium aureorum, excusserint syllabam ex qua iudicij vllius etiam tenuis deduci vmbra potuerit, venisse in Angliam aut illum, aut reliquos è Societate vel Seminariis, vel aliunde Sacerdotes, alia mente aliisve consiliis, nisi vt errantes ab hæresi reuocarent ad professionem Catholici nominis, salua de cætero fidelitate, obsequio, & amore in Elixabetham terreni imperij Dominam? Hanc si nactus esset suspectam syllabam Britannicæ scriptor Iustitiæ inter Sacerdotum tot iudicia, & causas quæ (omnia cum posset) impromptu habebat pro arbitrio scrutari, & voluere, quo pacto non illam amouisset Britannicæ suæ labanti Iustitiæ fulcrum potens, & necessarium? quo loco præteriisset illam producere? quo modo millies non repetiisset? quoties Sacerdotem, quoties extortam ex eo confessionem inseruisset singulis paginis, vt præiudicio vnius, reos statueret vniuersos? sed commodiori libuit vti compendio, & cum neminem vnum tantorum nactus esset reum, reos fingere vniuersos.

Iam vero Decreti articulis, iubentur imprimis Iesuitæ, Sacerdotes seminariorum, & quiuis alij à primo Elizabethæ anno ad præsentem æui quintum & octogennium, seu vicennalia regnantis, siue in Anglia, siue alibi terrarum, Romanæ sedis initiati potestate, regno facessere dierum spatio quadraginta; iis elapsis puniri vt reum maiestatis quisquis eorum aliquem sciens tecto exceperit. Redire iuuenes ante sextum mensem qui missi trans mare; post autem biduo quam terram legerint Episcopo coram se proximo sistere, vel conseruatori pacis, præstituri concepta primo Elizabethi anno forma iusiurandum. Sexto vero post mense, si remigrauerint extra regnum, rei esse violatæ maiestatis; eos interea qui vel pecunia, vel subsidio alio iis adfuerint, pœna plecti *Præmunitionis*, hoc est omnibus bonis, & perpetuo carcere multari. Tam feris legibus iusto prolixius digestis subditur differrè. [Decretum præterea & sancitas decreto pœnas, neminem petere Iesuitam, seminarij Sacerdotem Diaconum, Clericum, aut religiosum qui post dictos quadraginta dies, aut triduo saltem post regressum cuipiam è regni Archiepiscopis, seu Episcopis aut pacis conseruatoribus non abnuerent subiici, iurare in religionem; spondere chirographo professionem perpetuam,

perpetuam, præstandæ omnibus Reginæ legibus, decretis & statutis seu iam positis, siue olim condendis obedientiæ.] Qua ex particula magnus Præsul, idémque nobis coæuus historicus sapienter aduertit quod iam tum Catholici Angliæ viderant, cum, & illam, & reliqua Decreti verba perpenderent; illas in Reginam coniurationes quas edicti huius exordium præmittit, aliud non fuisse, præter ludum fallendo populo concinnatum; veram autem & solam eius causam extitisse, immane odium religionis Catholicæ. Vt enim obseruat quisquis is fuerit qui notis Edictum primus illustrauit, illa ratum certúmque habendi iurata promissio, quicquid decreuerit Regina de Religione, vindicari qui possit vel à periurio euidenti, si iurat non facturus, vel à promissione Tritheismi, Arianismi, etiam Atheismi, si quid eiusmodi execrabilis portenti, iubere Regina voluerit? & hoc recusat hæc & reformata Religio feminæ tantum capiti imperium imponit in mortalium omnium capita, quæ illud Christi Vicario negat, Petri successori, promissione licet fidei nunquam defecturæ ab ipsomet tributum, & confirmatum Deo; eiúsque assertionibus, & doctrinis Catholicos securè inhærentes, audet ingenij seruilis arguere, quæ placitis feminæ qualibuscumque vult omnes obsequi & parere.

In decreto sed frustra (nam pauci exiere, subiere pro iis alij) illo, inquam, indicto Sacerdotibus Catholicis exilio, spectauit Regina vt sedente adhuc Parlamento, nouum mundo daret suæ clementiæ ostentum, mutata illorum plærísque in exilium morte, ac Londino primum, Eboraco deinde aliorúmque ergastulis locorum, ad septuaginta eiecit in Galliam, quod eius historici humanitatis prodigium incomparabile Catholicis exprobrant nihilo minoribus scilicet pensandum gratiis quam immortalibus, quod iis vitam donarit, quam nisi scelere, & sacrilegio auferre non poterat. Sed penitiùs iactantiæ huius rimatus facinus ex ludi regula qui tunc publicis in rebus ludebatur, deprehendit, non fuisse clementiæ Regiæ, sed commodi laudem.

Sublato ex viuis Alenconij Duce fautore Belgarum rebellium, rogatus fuerat Henricus III. eidem succedere, negauit apertè Christianissimus, & dedit repulsæ Christianissimam rationem, negans per summum Pontificem, & sacros canones licere cum hæreticis fœderari, at quibus, inquit, hæreticis? qui edictionibus iniquis; transuersis iudiciis, & crudelissimis mortibus, innocentes necant Sacerdotes? quo responso Regina magnam partem quietis, in bellis eorum à quibus timebat domesticis, reponere solita, sensit se adigi, vt minus vtile, vtiliori postponeret, & septuaginta Sacerdotum libertate qui nec possent mortui prodesse, nec longinqui nocere, aucuparetur fœdus cum Henrico; quod vtramvis in partem cederet, tam luculentæ spectaculo veniæ, multum sibi amoris, & famæ apud populum cernebat accedere, qui solo rerum colore pascitur. Præterquam quod plurimum conferebat hæc liberalitas ad parandam in Sacerdotes Catholicos nouam, si quos vellet occidere crudelitati viam; visum enim iri coactam id facere, nec nisi clementia præfractè abusos, seueritate compulsam domare.

Ad priorem traiectum nauim conscenderunt vnus supra viginti diuersis Londini custodiis educti, quos inter de Societate Hayuuodus, Bosgrauius, & Hartus, de quibus inferius. Octodecim censuit velificatio altera, in quibus Eduardus Risthonus Sacerdos nobilis singulariter memorandus, morti quidem olim cum Campiano, sententia iudicum addictus, sed ab iis dilata dum luberet eum occidere, nunc demum exul. Huic diarium debemus Turris Londinensis, quod sæpè citauimus, eiúsque augmentum quo Sanderi creuit historia, quam totam auctore iam in hibernia defuncto recognitam edidit tam acri Protestantium cruciatu, vt extra lineam stylum effuderit Camdenus, veris offensus tam multis sibi odiosis libro illo in lucem proditis. Quare illum inter exules Eduardus, inquit, *Risthonus, ille qui impie ingratus in Principem, cui vitam debuit, publicatis scriptis malitiæ virus illico euomuit.*

Hunc ergo à nobis æquum est audiri ea repetentem quibus interfuit in exilio Sacerdotum ad nos spectantia, ne verbo quidem iis dempto, vel addito.

Erant tunc, ait, Londini ergastula tùm noua tùm vetera confessoribus referta, cui Equitis Martij nomen est Sacerdotes censebat ad triginta præter laïcos; erant nihilominus aliquot in Turri aliísque per vrbem custodiis residui, ante triennium cum Campiano ferè ad mortem damnati, & illic interea suspensi quotidiana carnificis expectatione. Atque hi, nec omnes, etsi erat causa omnibus communis; nec item soli, sed designati quidam, & Londini solum, diuerso sunt lecti è carcere, nam prætermissi sunt alij toto regno innumerabiles.

Dicto autem à magistratibus ad transportandos illos extra regnum die, dantur sui cuiúsque carceris custodi eorum nomina; iubetúrque illis exilij denuntiari sententia, & profectionis dies, vt se viatico munirent, nam quod multi putabant suppeditandum de publico; tamdiu solum indultum, quamdiu in naui forent, suo quique interea vt prius arctati carcere, prohibitíque omni alloquio, nisi cui carcerarius adesset difficile poterant necessaria tum ad iter, tum in tempus exilij parare, qui fuit non leuis ad pœnam exilij accessus.

Iussis tamen Reginæ vrgentibus, quisque sibi ab suis quod potuit, argenti, & vestium collegit. Mutato exinde sæpiùs profectionis die, anni tandem vicesimo primo, qui nostræ præerant deportationi, destinatos exilio à carcerariis colligunt vnum, & viginti. Omnes vnam in nauim conscensuros, quæ stabat expectans ad portam Turris Tamesi obuersam: iussos conscendere, aliquos ex nobis, acerbus pupugit iniuriæ dolor præsertim R.P. Hayuuodum. Amarè igitur, & apertè queri, sine causa, & culpa, & iuris forma, indemnatos nefas esse patria eiici; nulla planè vi abscessuros, nec deserturos dulcissimam patriam, & populares Catholicos; in eorum potius oculis cupidè morituros, & testem illorum fidei ac nostræ sanguinem daturos illic in præsentiarum, habiturósque id beneficij summi loco. His eum aures occludi cerneret Hayuuodus saltem, inquit, mandati quod vobis iniunctum est proferte autographum, & sententiæ qua exilij damnamur

namur à Regina: sed ne in hoc quidem auditus est; inter amicorum salutes, & lacrimas, mare versus portandi vento committimur, quoad post biduum nauigationis R. P. Gaspar Hayuuodus cum aliis impetrarunt demum precibus repetitis, exilij sententiam, & mandatum, videre ac legere. Primóque intuitu, concepta hæc verba cùm legeret, homines esse propria ipsorum & aliorum confessione, rebellionum reos, & machinationum in Reginam & regnum, conuictósque huiusmodi scelerum vniuersos vel ipsorummet ore, vel eorum qui perfidiæ similis, & carceris socij fuerunt, & fuisse quidem mortem commeritos, sed quod nunc attinet Reginam esse illorum exilio contentam; & iubere illos præsenti rescripto deportare. Ad hæc queri nos omnes, & magnis vocibus expostulare impactam calumniam, factam nobis atroci cum iniuria fraudem; nec nostrum cuipiam, nec Catholicorum quidquam vnquam extortum quod rebelliones oleret aduersus Reginam, & patriam, aut suspicionem illarum vel minimam faceret imo ex iis qui aderant vnum, eadem exilij damnatum sententia, (erat his Ioannes Colingtonus) captum olim cum P. Campiano, & eadem falso traductum accusatione, fuisse reuicta calumnia, iudicio publico absolutum. Dicebat multa in communem causam P. Gaspar Hayuuodus instabátque supplex, vt reduceremur in Angliam ad depulsiones nostras, & defensiones pro tribunali integrandas. Sed responsum à deductoribus nihil quicquam istorum ad se pertinere nisi Regij mandati executionem. Pergentes itaque consolabamur inuicem nostram infamiam, & hoc ipsum gaudentes ibamus quod hanc pro Christo contumeliam ferremus patienter. Vbi Deo Duce nauis Galliam attigisset & applicuisset Bononiam, inde varias in vrbes Galliæ vt cuique commodius disiecti, denique Remos, confluximus ad Alanum, nostrum omnium parentem optimum. Porro in hoc multorum itinerum flexu quicumque de nostris occurrissent, notabamus illos nostra causa magnopere anxios, percrebruerat vel ab hæreticis vel à maleuolis fœdus rumor, nos ipsos periculis territos incubuisse huic exilio impetrando, deserendóque pugnæ campo; quin & in quibusdam ad religionem spectantibus nonnullos ad hæreticorum arbitrium inflexos; quod ex nobis cum certò discerent fuisse falsissimum, statèque nos etiam in procinctu si facultas daretur, repetendæ quibusvis periculis Angliæ, mirificè læti Deo gratias agebant. Iam in hoc relictæ nobis vitæ, patriæ tantum ereptæ beneficio, clementia regia buccas inflent aduersarij, & quanto plures sunt exules, tanto illam splendere magnificentius apud alias nationes; propterea nuper eadem nobiscũ crudelitate, & fraudulentia ex Eboraci, & Hulli ergastulis duos, & viginti, eiecere item in Galliam; omnes Sacerdotes præter diaconum; omnes perpessionibus, catenis, ætate attritos, annorum alios sexaginta, septuaginta quosdam vnum etiam ex iis octogenarium, nonnullos annis viginti sex in ærumnoso, carcere & inter hæreticorum manus patientissimè exactis. Paulò post denique, Septembris nimirum vigesimo quarto, eadem qua primos barbarie, alios triginta Sacerdotes, duobus cum laicis è

diuersis lectos custodiis in exilium deportarunt, rati se tam stolido ambitu humanitatis nomen collecturos. Hactenus Risthoni narratio.

Guillelmi Parryi vita improba & mors peior. Machinatio fictæ coniurationis ab eo composita. Deinde proditionis veræ ad Elizabetham interficiendam. Quam proditionem dissuasisse illi P. Guillelmus Crittonus probatur. Idque testatur publicè Regina. Et mandat Crittonum è Turris custodia educi, tum suæ restitui libertati.

CAPVT X.

TERTIVM hoc anno in Anglia calamitatis actum dedit Guillelmus Parryus, cuius in historia nomen perpetuauit sua improbitas, futuri alioqui vt si nunquam in viuis fuisset. Gerebat se quidem, sed extra Angliam, pro viro nobili, nuntiabatur ex Anglia, ne fortunæ quidem esse mediocris; iuris peritia, titulo saltem notus, sed fronte plus valens, atque audacia quàm toto capite cæterum ingenio vafer, & si quis tunc alius ludificare, fingere, perplexari doctus, séque dolis inuoluere tàm multis & variis, quibus secum præstantes & innocentes viros inuoluerat, vt iis se tandem strangularit, quibus vero strophis, quàm breuissimè refero. Ab anno igitur superioris æui septuagesimo ad octogesimum cum fideum Reginæ ac morigerum præbuisset ingens illi ab ea stipendij & vitæ auctarium accessit, quam illi patibulo raptam donauit incolumen, cùm esset iam ad furcas damnatus, ob crimen tam propudiosum vt nec conscientiam (quod ait ipsemet) exprobrantem ferens, nec nomen oculos, deseruerit Angliam, data prius fide Vvalsingano, Cæcilio, aliísque Consilij Regij ministris. Futurum se illis pro exploratore, sed in Hispania præsertim, quod ipse denique vulgatum inter Catholicos cùm resciisset, nouam excogitauit vafritiem, quam sibi in Gallia & in Italia processuram felicius censuit ad emendandam in Anglia conditionis pristinæ fortunam. Lugdunum peruectus in Guillelmum Crittonum incidit natione Scotum, nuper illuc Camberio missum, mancipauítque se illi penitus, & magnum anteactæ vitæ dolorem præferens, efflictim rogauit vt se de pessimo Protestante, in optimum mutaret Catholicum. Sua hic egregia pietas, & pietati par Crittono prudentia præsto

fuit,

fuit, restitutus ab eo Ecclesiæ Parryus, & religionis instinctu Catholico velut syderatus, magnas quas animo versabat cogitationes Crittono cœpit peculiari fiducia credere. Sibi esse in animo quamprimum in Angliam redire, Reginam occidere, vnóque illo & pulchro vulnere, Catholicos omnes, ruptis catenis liberare, quos iam nimiùm diù sæua premebat seruitute, hoc quidem vt vellet, nullius egere opera vel manu, sibique seipsum sat esse; vt vero id posset conscientia minimè reluctante, egere consilio; quanquam & hoc sibi ex sensu doctorum hominum iam prope constare, non salua modo religione animi, sed laudanda etiam id posse fieri Crittonus ad hæc, sycophantæ responsi quid dederit, patebit paulo post iuridicè consignatũ. Inter hæc missus in Scotiam à Generali Præposito Crittonus anno 1584. in Batauorum nauibus capitur, & à summo fœderatorũ Ordinum Præfecto, dono mittitur ad Elizabetham quæ illum in Turris custodiã Londini tradidit, & venationis huius prædam tanti fecit, vt præter alia offerentem torque aureo donarit. Parryus tantum de Catholico gerens quantum vsus erat, vt tuto Italiam adiret; Lugduno Venetias descendit, percontatúsque de concepta insania ex nostris, & nominatim Benedicto Palmio graui (vt verè asserit, & doctore Iesuita) opem huius exposcit, ad inchoatum animo grande opus in obsequium Ecclesiæ Anglicanæ, tacitis interim eius negotij, & operis partibus, tantum aiens ad hoc sibi nihil deesse, præter suffragatores aliquot Theologos, qui eius conscium Pontificem facerent; nihil vltra moratus dicentem Palmius ad Campeggium remittit Pontificis Nuntium ad quem negotium ex officio attinebat, qui dum Papæ responsum expectat, quale sibi securè caueri Romam profecturus: petierat Parryus, conscientia sceleris hominem agitante, fictis apud Nuntium nouis causis Parisios euasit; vbi promiscua cum Anglis consuetudine familiarior nonnullis, & confidentior effectus, suum multis secreto scelestum & fallacem aperuit animum de Regina interficienda, si duos nancisceretur approbatores Theologos qui se apud Deum, meriti securum facerent, nec se præterea quicquam requirere, vel ambire. Indicati sunt illi Alanus Doctor & Robertus Personius, hunc ne coram quidem aspectu ferre sustinuit, non dico vt Doctorem, sed neque vt Anglum; Alanum admisit, cui adiunctus est Guillelmus Vvaytes, ortu eodem cum Parryo Vvallius, Sacerdos & ardore feruens Catholico, quem diximus à Personio bis adhibitum ad religionis Catholicæ procurandum in Scotiam regressum, cautè admodum, & vultu frigido excepit Parryum Alanus nec quicquam ferre cum eo egit quod esset momenti alicuius: suæ ergo perfidiæ spe falsus, fraudulentus, suspectum aliquod ex eo colligendi verbum, quo tantum virum, pridémque Reginæ maximè inuisum ficta sua in illam coniuratione inuolueret; iectam sibi ex Alani libro contra Iustitiam Britanniæ scripto mentitus est, necandæ mentem exsecrandam, eámque Vvayteſio (cui videbatur se totum pandere) non dissimulauit aperire, sed enim mentem hanc Vvayteſius immanissimi aduersus charitatem, & iustitiam damnauit sceleris, idémque fuit omnium quos consuluerat Catholicorum Sacerdotum iudicium, & re-

sponsum; idque adeo constans, vt hanc vltro Londini apud publici status consiliarios confessus intricatissimam fabulam, sui approbatorem parricidij, Sacerdotum Anglorum proferre, vel innuere potuerit neminem. Quod nisi ab conscio probéque sciente Camdeno taceri non potuit, qui confessionem illam Parryi, apud Holinshedium perlegerat, & quod scribo in ea expressum haberi de Personio, Vvaytesio, & cæteris: eorum nempe meminisse ad Camdeni saliuam minimè sapuisset à Catholica fide, & Societate nostra alieniſſimam. Corroborauit itaque Parryus ad suscipiendum facinus illorum alterum laïcorum nobilium quos pridem scripsimus tempestatis in Alanum & Personium fœdæ auctores fuisse, à qua exinde proritanda, & propaganda nunquam destiterant, tametsi fictè, & dissimulanter. Hunc Parryus nocte intempesta in palatium deduxit Ragazzoni, Apostolici apud Regem Christianissimum Nuntij, laudauítque illi hominem Religionis studio mirè acrem, & rei Catholicæ magno in Anglia vsui futurum; de quo Parryus ad Papam literas Nuntio tradidit, quibus significabat accingi se ad iter in Angliam vt esset rei Catholicæ vsui; cui vero? nihil certi designabat; sed industriæ, & opis quamcumque esset Catholicis allaturus nullum volebat in terris præmium solam à sanctissimo faustam rogabat benedictionem, & pœnarum plenam condonationem quas erat peccatis commeritus. Iis abundè munitus fraudibus quas strophæ probabilitati sufficere credidit, soluit in Angliam, insusurrato prius in aures Vvaytesij omine grandis mali quod hinc Iesuitis incumberet. Solo nempe videlicet illo ex nobili malè diuinabat infelix Ariolus, à quo virus hauserat odiorum aduersus Iesuitas, nihil Dei reueritus oculos, qui peruersè ab eo turbata, sic breui restituit, vt inde crescceret Societatis honor, suis ipsemet ex machinis in præceps rueret. Cæcilium monuit de suo reditu, arcana se ad Reginam ferre grauissimi ponderis, quæ à Cæcilio ad eam perductus ita enarrauit vt rebus suis opportunissimum credidit, ad faciendam Reginæ fidem: se à fautoribus Reginæ Scotiæ submissum; inductum, destinatum ad eam, à qua destinabatur occidendum; destinatum à Iesuitis ipséque adto Romano Pontifice; fidem rei facturas integræ peccatorum veniæ literas, quæ sibi Roma essent post hebdomadas aliquot reddendæ. Audiuit vultu verbísque intrepida & secura hæc aperientem, vel magni animi affectatione, vel robore, vel quod similius vero est, perspectum haberet Parryum solennem Sycophantem, & hanc eius de medio tollendæ susceptam ab eo tantam Prouinciam perfidiosum esse illius ingenij commentum, ad captandam apud se gratiam, & quod victui saltem quotidiano sufficeret, velut facinoroso vtrinque deceptori, proditori tamen suorum hostium. Paucis ab se hominem expedit; dum suos haberet bonos semper ciues, semper sibi subiectos, & fidos nolle de cætero conueniri de Religione, nec de Primatu Rom. Pontificis. Quæ tam diserta illius professio, & ab eius historico peculiari notata signo, non obscurè confirmat, quod inculcatum iam sæpius, repeto. Status publici Consiliariis, & Reginæ Ministris Puritanis capitales iras in religionem Catholicam, & Pontificem Rom. vomentibus leges illas

deberi

deberi sanguinolentas ab ipsis positas ; à Parlamentis stabilitas aduersus Catholicos ; accusationum calumnias tot tribunalibus traductas , admissas pro veris, & damnatione pœnisque Sacerdotum atrocibus barbarè crudelitérque vindicatas , hoc solum quod essent in regno Catholici præcones dogmatis, & debitæ Romano Pontifici Obedientiæ ; quæ si negassent , vel immiuuissent , iam nec erant futuri proditores , nec publici hostes , sed grati omnibus & optimi ciues ; ad hoc autem nefas sui contra fidem , & Pontificem odij cum eo, inducere non possent, nec in eo vellent videri Reginam diuersa sentire , instructiones primum capitalium causarum ad Catholicos & Sacerdotes spectantium priuatim ad eam deferebant;inde ad populum. Libris denique famosis ab euidentissima detortas rerum veritate, ad plebis ignaræ iudicium transformabant in causas rebellij,& proditionis iuratæ conscias , sed absoluamus de Parryo. Venêre quidem ad eum literæ quas sibi Roma reddendas dixerat , à duobus missæ quibuscum Parisiis in scelus condixerat , eas ipsemet ad Reginam illico detulit , testes eorum plusquam idoneas quæ fraudulenter commentus fuerat.Rescribebat ad eum Cardinalis Comensis, Pontificis nomine concessam illi quam petierat culparum veniam; laudabat eius in religionem Catholicam præclaram voluntatem , & eo quidem laudabiliorem , quò nullum in terra eius præmium ambiret;futurum tamen vt nihilo parcius hanc illi Deus rependeret. Verum enimuero, pro illa Croësi gaza, quam pollicebatur sibi reponendam, ne leuissimæ quidem expectationis quà niteretur verbum tulit à sagacissima Regina. Quare post vacuam anni vnius moram quo administranda credi sibi petebat bona quædam lucri sibi non parum allatura,desperabundus in præceps se dedit, & quod parricidio simulato nequiuerat ; vero, & serio assequi tentauit.Cum Edmundo quodam Neuillio ex iis vno qui offensum in aulam coquebant animum coniurat in Reginæ caput , condicítque cum eo de illa decem hominum manu occupanda , dum Londini propinquæ fiducia malè custodita ruri moraretur,cui tanto facinori vt Religionis colorem attineret, illud eius specimen in Parlamento edidit, quod esset multos non modo Catholicis , sed Protestantibus etiam sermones daturum. Admissus enim est veluti monitor vnius nomine ex communitatibus quæ ius habent loquendi pro infimo ordine; auditis igitur quæ perferebantur legibus , de quibus dictum est contra Iesuitas , & quæ magna omnium consensione sciscebantur, nactus locum dicendi , cœpit in eas acerrimè inuehi , crudeles & sanguinarias vocare, tot capitales sententias, & pœnas , regno pernitiosas accusare, inexpectata Doctoris triuialis audacia perculit vniuersos , nec satis mirari poterant , in homuncione noui oëstrum furoris retrouersum agi. Eam ob rem rogatus quo ita diuersus sibíque contrarius, ab se & ab aliis abiret; habere se multas , & maximas sententiæ suæ significauit rationes , sed cunctis qui aderant non promiscuè committendas, Consiliariis publicis libenter se illas crediturum : frustra illi fuit ad excutiendum carcerem tacita hæc prouocatio, vnde quicquid Consiliariis ab eo insinuaretur , Parlamenti iudicio breui redditus est. Nouis tunc spebus pellectus Niuellius vel hæreditatis

opulentæ, vel bonorum aliunde ingentium quibus potiundis Parryi proditoris coniurata opera facile carebat, eiusdémque exitium suis vtile commodis falso præuiderat. Accusaturum præuertit accusare instructæ aduersus Reginam coniurationis, cuius, (ne diu lectorem teneam) confessione stolida conuictus, damnatus, ad furcas raptatus, & pro more in oculis Parlamenti discerptus, & dissectus in atrio palatij Vvestinsterienſis, seróque tunc demum aduertit animum, plus se malitia quàm sensu valuisse, qui suis se ipse laqueis inuoluisset, dum aliorum studet fraude multiplici perplexos laqueos extricare; testatus de cœtero, adhuc in carcere, cum Personio se nunquam egisse; à Catholicis Angliæ, & Sacerdotibus nihil vnquam suggestum præter officium fidelis famuli & deuoti; post cratitio in plaustro, & ad patibulum confessionem ex qua erat damnatus liberam, vltro pernegauit, suóque signauit chirographo, paratus etiam iurando firmare, de inferendis Reginæ manibus, sibi nunquam in mentem venisse. Ad hæc stultè illam pro Dei citauit tribunali; stultiùs quod illic vadimonium proximè obiturus, ne verbo quidem animi pœnitentis, sed nec Christiani indicium dedit. Hæc summa famosæ Parryi coniurationis à Protestantibus Angliæ tot versuum cantu, tot diris, historiis, satyris celebrata, velut esset ex vero, hominum omnium manibus, octingeniis conserta machina, non autem hominis vnius contextus ex fraudibus merus ludus, merúmque mendacium, quo se nihilominus, & circumueniri, & teneri gaudent aduersus Catholicos quorum vni se Parryus similem videri per omnia voluit ad contexendas commodiùs fraudes suas, aduersus Papam, & Romam; & literas inde sibi, & ad se redditas ingentis in Angliam, sed ignoti boni laudatrices; quod bonum parricida nefarius Reginæ necem postea designauit; ex qua designatione suum captabat lucrum; huius tamen sceleſtissimi meritum odium atque inuidiam Societati pergunt hæretici hodiéque aspergere, quòd P. Codrettus Parisiis confitenti Parryo aures præbuisset, Lugduni Crittonus, cui se fingebat velle Catholicum viuere. Debet certè Societas Reginæ gratias, per quam, inuitis licet suorum animis, vbique gentium vulgatus est nostrorum sensus, atque inflexa mens de vitæ ipsius conseruatione, quàm euidentissimis sibi probationibus assertam cognouerat.

Tenebatur, vt dixi Crittonus carcere Londinensi, nec id fortuito sed planè cœlitus ad confirmandam tanti momenti rem Crittonum enim Parryus nominarat, fassus vltro, se virum adisse tanquam doctissimum, addere poterat, & Scotum, & Mariæ Reginæ Scotiæ imprimis fidelem, quam tunc Elizabetha detinebat captiuam; Crittonum inquam, dixerat se consuluisse de tollenda è medio Angliæ Regina; percontatum ex eo, religione salua fas esset, necne? Respondisse semper Crittonum, omnino nefas esse. Quam responsionem admirata Regina Vvalsinganum iussit ex Crittono de illa iterum quærere. Cui vt forma est iuridicorum examinum, innuendo magis quàm distinctè quærenti, negauit se prorsus meminisse, præterquam quòd lapsus memoria Parryus, Lutetiam nominauerat pro Lugduno, vbi Crittonum conuenerat. Paulo tamen post personam, habitum, & sermones

sermones Parryi animo repetens, redière omnia sigillatim, dedíque de iis è carcere ad Vvalsinganum has literas.

Obseruantissime Domine, cùm nuper à V. D. rogatus sum, vtrum me D. Parryus consuluisset an mortem liceret Reginæ inferre, nullius planè tunc in mentem rediit quod esset huic rei affine. Recensenti verò [illegible] facta minutius, recurrere omnia distinctè, & quem Parryus agendi modum inierat, & quibus vtebatur argumentis, & qua mecum agebat astutia, quam non ausim vocare perfidiam, etsi non poteram suspicari hoc nefas, aut ipsi, aut cuiuis alteri venire in mentem potuisse, respondi tamen ingenuè quod Theologia, & veri conscientia me docebat ad quæstionem propositam *Quod omnino non liceret* hoc ei bis saltem inculcato abscessi, paraturus iter Camberium quò eram postridiè iturus. At is postridie reuersus ex Collegij area in vnam scholarum me seducit, eadémque à primo capite resumpta quæstione, argumenta quædam responsioni quam à me audierat obiecit, primum ex vtili quod ex morte Reginæ in Catholicos esset rediturum, redimendos malis quibus arctabantur, & religionem Catholicam, suæ reddendam libertati; cui ego *non esse facienda mala vt euenirent bona* nec admissione peccati, quanquam leuissimi, bonum etiam maximum quæri posse. Intulit Parryus non esse in malis ponendum, quod tantum malorum de medio tolleret, tantùm eius loco substitueret bonorum. Ego vero, id solum & esse bonum, & in bonis censendum, *quod bene fieri, & legitimè posset, Deum magis amare aduerbia quàm nomina, quia in actionibus, magis ei placeret benè, & legitimè quàm bonum, ita vt nullum bonum liceat facere, nisi benè & legitimè fieri possit, quod in hoc casu fieri non posset.* Mihi tamen subiecit Parryus docti viri complures probari sibi contrarium non dissimularunt, idque fas esse iudicarunt. Forte, inquam sic illi sentiebant, voluissentque ad æternam multorum salutem, & temporariam incolumitatem, vnum aliquem occulto diuini iudicij periculo permitti, nisi fortè illos mouebant Catholicorum miseriæ lamentabilius, quam libri Doctorum, ex quibus constabat, nefas esse priuato rem huiusmodi attentare, nisi Deum id velle Deo ipso docente cognouisset, hæc vt à me audiunt, abscessit. Ex carcere Turris Londinensis, 20. Febr. D. V. &c. Guillelmus Creitchton.

Hæc à Vvalsingano in Reginæ manus, inde in publicum epistola prodiit, ex ea comperit Regina quam falso sibi ab suis suspecta fieret Iesuitarum natio vniuersa velut capiti suo inimica, cum ex iis vnus & Scotus, & ab Anglia longinquus, tam salutari consilio, eius cauisset incolumitati, nullo metu adactus exterius aliud suadere, quàm quod interius sentiret; tantúmque abfuisse, vt in suam necem Parryum inflammaret, vt ei potius in eam per se se furenti, extorsisset ferrum è manibus; errorem videlicet quo sibi licere tantum facinus suadebat.

His certo cognitis, resciuit Crittonus (quod ab ipso etiam acceptum in Gallia edidit Richeomus) Reginam exclamasse, qua potest

igitur veri specie dici, & pro firmamento, ac præiudicato eausarum omnium substruit, Iesuitas omnes in caput meum conspirare, si Iesuita hic, etiam extra Regnum, & procul in Gallia vitam meam tanto studio defendit? Moxque illum iussisse extra carcerem educi, cuius quidem imperij Camdenus haudquaquam erat laudem omissurus, vtpote Regiæ aduersus Catholicos lenitatis etiam vbi non apparet admirabilis celebrator, nisi tam perspicuæ veritati obstitisset fabula mirabilium literarum, cui plus fidei haberi voluit.

Crittonum siquidem à Batauis tentum epistolam quandam laceratam in mare iactasse; fragmenta, ludo permissa fluctuum, fortunæ prodigio, suum quodque in locum rediisse, & Mosaïco opere, laceratam restituisse epistolam. Sed è contrario absque vlla dubitatione constitit Crittoni ad Vvalsinganum epistolam, fuisse Reginæ mandato, regno toto vulgatum. Haud quidem magnopere de fama nostra laborantis quos tanquam sibi regnóque perduelles infamari per calumnias videbat, sed quod integritatem famæ nostræ, securitati suæ censebat conducere, quam apud Catholicos nusquam satis putabat tutam, nisi hac Iesuitarum doctrina muniretur; crimen esse nullis inferis expiandum de nece Principis cogitare. Ac responsa quidem huiusmodi sexcenta tùm à suis tùm ab extraneis facilè audisset, nisi parum à Caluinistis quibus illam sua ipsius vtilitas mancipauerat totam, nociturum fuisset, ea interrogare, & audire. Horum enim in Catholicos odium nihil æquè promouebat vt scelerate decepta eius credulitas cui persuadebant Iesuitas, & Seminaristas Sacerdotes, vnum esse coniuratorum corpus, proinde secluſa etiam Religionis causa, fas esse in illos mortibus & exterminio sæuire.

P. Ioannis Harti certamen, & victoria. Fidei eius integritas. Defensio aduersus Casaubonum. Mirum P. Ioannis Bennetti robur in tormentis. Responsa eiusdem generosa. Exilium reditus, mors post ann. 35. labores sanctissima.

CAPVT XI.

SACERDOTVM septuaginta exilium, duobus illorum faustissimum accidit auebant pridem in Societate vitam Deo sacrare, vtrique Ioannis nomen fuit, cognomen singulis Harti, & Bennetti, digni ambo huius & loci, & anni memoria, & honore Hartum quidem vox Dei prima exciuerat ante annos decem, cum Vvestono Comes Romam appulisset Iubilæi causa. Ingressus vrbem Vvestonus illico ad S. Andreæ Societatem induit tiro egregius, vigintiquinque tunc annorum; repetiturus paulò post Angliam, & ministerij sui vices agendo ferendóque splendidè nobilitaturus. Respondit Hartus vocanti Deo cunctantiùs, vtque ipsemet de se refert, secum ipse diu pugnans altercatus est volens nolens, prout illum sacer in Deum amor trepidiùs, aut ardentiùs agebat. Fluctuauítque in hoc ambiguo cogitationum iactantium ad mensem Iunium anni 1580. quo ex Collegio Remensi traiecit in Angliam cum P. Cottamo, ipsóque statim sui appulsus die captus. Londini publicum subiit tribunal, pro se suóque aduentu dicturus. Erat tunc forma præstanti iuuenis, nobili genere, & iam theologus Oxonij baccalaurea insignitus, tam viuacis, doctíque ingenij vt eum Camdenus omnibus in exilium pulsis anteponat. Quæ causa fuit consiliariis sperandi posse illum in partes Protestantium adduci & nunquam fortassis, aut prius, aut postea concepto consilio, remittendi hominem Oxonium ad Academiam magistram veterem, vbi primum foret, inter salutioris vitæ socios & amicos, magistrorum rationes, & disputandi garriendíque licentiam, si veri ac boni scintillam retineret: sed longè maiori factum miraculo vt trimestri toto in Catholicæ fidei vitæque exemplis quotidie seipso clarior, confidentiam stultam fefellerit consilij publici, quod illi proinde Oxonium Londinensi carcere mutauit, à Martio Equite nominato; inde breui ad illum qui erat in Turri pessimus transtulit; biduo post fame, & inopia eneruem equuleo addixit. Sed qui aduersus blanditias Oxonienſium, egregium iuuenem corroborauerat spiritus, idem illum effecit tormentorum victorem &

Dominum : cuius triumphi partem non minimam obtinet eius mater, vt stirpe nobilis, sic heroico spiritu femina, quæ impetrata libertate agendi cum filio, cupiditate martyrij calentem, incendit penitus, & celebrata est inter eximia decora Anglicanarum matronarum non vt rari, aut noui primis quoque afflictæ illius Ecclesiæ seculis exempli, sed ita in multis admirandi, vt suum in singulis pretium dignitatémque retineret. Post annum Hartus lenti martyrij carcerem, cum Brianto & Sacerdotibus quos ante meminimus, pœna damnatur violatæ maiestatis Vvrayo Iudice, Nouembris sexto & decimo; quæ dum ei differtur vt Campiani spectaculo ad furcas Tibornas raptandi terreretur, euentu planè contrario factum vt ferret magno cum dolore produci sibi moras eiusdem supplicij, ac dum fingeret carnifex, ipse agi ex vero credens, & serio, putabat illum sibi quoque in plaustro cratitio locum, & vincula parare, versabátque animo, quod narrauit ipsemet postea quantæ sibi foret consolationi Campiano, cui traheretur ad mortem comes, antiquum suum Societatis ineundæ desiderium aperire, dare se illi totum in tironem, eiusdémque familiæ sodalem, & multum confidere deuotionem hanc sui, apud Deum gratam fore, ac ratam, vt cui nihil deesset, nisi approbatio prælatorum, quam esset ab iis de cœlo obtenturus. Inaudita res, & nusquam gentium, forte nec vnquam inter Anglos visa damnatum ad mortem tormentis subiicere, haud noua quidem ad hoc emergente causa, vel inaupinata indiciorum luce, sed ipsummet ob crimen quo morti addictus sit. Vsurpata est tamen in Hartum ea barbaries, non alio nomine, nisi quod aduersus Prædicantis immissi absurdam importunitatem veri, & recti stetisset tenax, & animo inflexus. Scribit hoc è Turris carcere Kirbius, Sacerdos ille eximius qui paucis hinc mensibus fortiter pro Christi fide occubuit.

[Dominus, inquit, Hartus post longum, & strenuum cum aduersariis certamen, hoc Ianuarij decimo in subterraneum compactus est carcerem, quod renueret constanter vlla in re assentiri Raynaldo, quas ille suas miserias tranquillè perpetitur & quietè. Raynaldus porrò, inter suos tametsi emineat, & congrediatur nobiscum sæpiùs; sed vbi arma stringuntur pressius, suæ semper insciticæ fit magis conscius] sic ille, at carcer quem memorat fossa fuit subterranea pedes alta viginti, cæca, sepulchro similis; situ, putore, luto, graueolentia, & fame nouem illic dies maceratus, sub anni eiusdem exitum, eandémque ob causam, ibidem immobilis gemina compede dies viginti grauatus iacuit. Exin semestri post sua illa iterum in specu sepulchrali, mucida, & putente, dies marcere compulsus est quatuor supra quadraginta, interiecta semper inter has tormentorum vices denuntiatione mortis noua, hoc aut illo die, perduellium supplicio obeundæ. Quibus sanctissimus iuuenis felicibus Nuntiis ita gestiebat, vt ferre Optonus ordinarius eius tortor illam animi celsitatem, & hilaritatem oris non valeret. Hinc vero non possum vlterius progredi, nisi prius sincera & liquida fide, Isaaci Casauboni, pura, & picta retulero de Harto, & Raynaldo mendacia. Casaubonus igitur non imperitus, in Francia Grammaticus,

maticus, sublimis in Anglia repente Theologus, Regi linguam improbam habuit mancipatam ad exprimendos sensus illius improbos & Catholico dogmati, ac Iesuitis repugnantes. Vnde sua quadam benè longa, & Iacobo causas damnati Garnesi dictante (de quo sæpiùs deinceps) consarcinata epistola; Religionis ait immota constantia, sed prudenti tenacitatis eius moderatione Ioannes Hartus Iesuita, post crebros cum Raynaldo viro erudito, de vera fide, & necessaria congressus, catè tandem, salubri consilio statuit, vitam libertatémque retinere. Ob hoc etiam peculiariter laudandus, quod exsecratus sit Campiani obstinationem in potestate Romani Pontificis, propugnanda vel infinitate potiùs immensæ in terris potentiæ pertinaciter ob firmati, exemplo cœteris, qui subsecuti sunt præiuit. Quam solers & scitus Mynnecides! doctus onustam mendaciis nauim paucorum verborum complecti angustiis. Nam primum Hartus tunc noster non erat, sed esse solum adhuc cupiebat, dum certamen iniuit cum Raynaldo; libertatem vero inde Hartus minimè retulit, sed destinatum sibi fortuito inter Sacerdotes septuaginta exilium; haud quidem assensus præmium vlla in re Raynaldo præbiti, sed diribitorum arbitrium, qui Sacerdotibus ex omni numero captorum, septuaginta lectis, vitam dono, pœnam exilio mutarunt, intaminatis licet ab omni Protestantium, errore, ac fumo. Erat autem Raynaldus (qualem nobis depinxit, expertúsque fuerat Kirbius) homo planè indoctus, si cum nostris Sacerdotibus conferretur; neque vero illam Pontifici, negabat Raynaldus potestatem, quam æquè illi Protestantes, & reliqui negant hæretici, sed quam Orthodoxæ Theologiæ magna pars haudquaquam illi attribuit. Temporariam scilicet ad inaugurandos, & exaugurandos Reges, Monarchiæ supremi auctoritatem atque imperium; quam fuisse Harti disertam sententiam testantur eius ad Raynaldum epistolæ verba perspicua, quæ Cicestrensis antistes Lancellotus Andræi volens in sensum oppositum conferre, falsare illa interuertendo coactus est. Postremò tam longè abfuit vt in defensione pertinaci iuris huius supremi ad redigendos in Ordinem Principes Campianus vitam posuerat, vt ne interrogatus quidem de illo vnquam fuerit, vel auditus.

Sed fini iam cœpta iungamus de Harto videlicet, quem ad Societatis propositum sic Deus cœlitus animauit: videbat in somnis Campianum ad hoc sibi arcana admonitione plurimum instantem, quam illi Thomas Cottamus, Londinensis carceris socius interpretatus est; vnde mox proiectus in genua vacillantis diu propositi fluctuationem firmauit hoc voto, quod ante Augustum Iesu nomen delineatum sua manu in pariete carceris, transmisit his verbis ad Hayuuodum in Præpositi manus ab eo peruenturum.

[Sanctissimè promitto, ac voueo coram omnipotenti Deo trino, & vno in præsentia sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, S. Ioannis Euangelistæ, S. Mariæ Magdalenæ, Angeli mei custodis, S. Bonifacij (cuius tunc colebatur dies) & denique omnium sanctorum, & sanctarum, me, (si hæc mea vocatio ad Religionem profitendam, Reuerendissimis Patribus Societatis

à Deo profecta esse videbitur) velle in posterum sub moderamine & instituto sanctorum Patrum, in Societate viuere, atque adeò Christo optimo maximo quantum possum, studiosissimè inseruire: quibus propterea omnibus, & singulis promitto Obedientiam ad finem vsque vitæ meæ præstandam;] his ad Generalem Doctore Alano meritorum eius digno interprete perlatis, cooptatus est inter nostros Hartus, Martij decimo octauo eius anni octogesimi tertij, eductus ergo è carcere, & prima cum exulum manu ex Anglia pulsus in probationis domum Virduni in Gallia se recepit, vnde Romam accitus Iaroslauiam in Polonia mittitur, vbi nouis insudans sanctorum laborum initiis euocatus est ad palmam veterum, anno post Societatis ingressum tertio, Iulij nono & decimo venerationem nactus est apud Patres eius Collegij sepultum corpus, tum ob viri virtutem tot exercitum aduersis, tum ob repertum septimo post anno corruptionis expers ipsius cadauer, opinor Deo serui sui nobile spolium ea gloria decorante quod toties illud supremis obiectasset periculis, habuissétque perpetuo in forti, & sancta mortis violentæ suspensum expectatione.

Par huic in multis, in quibusdam diuersus, Ioannes Bennettus ipsius socius, in S. Asafi diœcesi, & Flintiensi comitatu maximè boreali natus. Carebat is quidem illa ingenij sublimitate, & doctrina quam in Harto docti mirabantur (quod eius laudi censurum paulò post refero) sed pensabat hanc tenuitatem, eminentia virtutis, & dos gratuita naturæ benè mirabilitérque compositæ; nihil eo mitius, & affabilius; nihil modestiæ cœlitum pietatíque similius, commendabátque has iuuenis virtutes, ipsa quoque oris pulchritudo animus vero, præ quam illa præferret vultus humilitas, & placidissimæ consuetudinis ratio. Ingens, & promptus in quoscumque casus, & pericula, esset pro Dei gloria eundum, quibus ad salutem animarum præsidiis in Prouincia Vvorcestrensi tàm fructuosè felicitérque vtebatur vt inde Reginæ ministris suboleuerit de aliquo illic raræ doctrinæ, ac meriti Sacerdote, quem tot vestigiis indagarunt, vt suos tandem in cassès illum induerint, cum familiaribus aliquot recens ad Ecclesiam reductis, quorum vnus narrabat deinde, cum Beauuedleij ad deliquium animi torquerentur, fuisse laxatis funibus, & adspersa in faciem aromathisa aqua, refocillatos identidem, vt vita integra crebrius torquerentur, & hoc crudelis obsequiis inuento produceretur eorum carnificina diutiùs. Bennetto Flintum ad fauces Deæ fluminis traductum dati sunt cognitores Guillelmus Hugo S. Asaphi Episcopus, & Georgius Bromleyus pacis in ea Prouincia conseruator, cum assessoribus, & hoc volui examen notare, cum superius monui Bennettum neque ingenio, nec literis excelluisse magnoperè; controuersis tamen de religione & Ro. Ecclesiæ primatu quæsitis agitari cœptus, sic respondit, sic instituit, sic idoneis auctoritatibus dicta sua probauit vt extricare se ab eo non posset Episcopus, & obmutescceret non semel. Egerétque Bromlei hominis laïci adhortatione, ne campo excederet, sectæque suæ honori deesset. Essent planè iucunda, si illa provt seruamus iuridice conscripta, legerentur; euidénsque hinc foret,

præstitisse

præstitisse famulo suo Christum quod tanto ante promiserat. nempe illi daturum os, & sapientiam, cui non valerent omnes eius aduersarij obstare, præstóque illi spiritum Patris adfore in eo loquentem. Porro se in illo multarum horarum prolixo congressu, generositas animi extulit, ab rationibus humanis adeo libera, vt omni procul hæsitatione, ambiguo,& metu Catholicum suum profiteretur sensum; quod de Ecclesia Rom. minus libenter audirent hæretici hoc inculcaret iis clarius; quæ autem auerent contra ipsum, de ipso cognoscere, proderet illa distinctius, atque audentius; se nempe Sacerdotem esse, missúmque ab eo in Angliam penes quem erat mittendi potestas Christi Vicario, ad promouendam salutem animarum,& Catholicæ veritatis propugnationem; quibus ille ad noctem dicendo prolatis, & suo munitis chirographo, ex omni adstantium turba dubitauit nemo, quin conclamata esset eius vita, erupítque ab iis illa vox sit tibi Ioannes! auxilio Deus. Quibus ille vicissim; & vobis sollicitas infundat salutis vestræ sempiternæ curas, vosque ad se benignè reuocet.

Hinc die postero insciius in supplicium abducitur quo nullum poterat Sacerdoti modesto iuueni, verecundo, atque innocenti detestabilius inferri. Concluso in quoddam castelli gurgustium, iuuenum manus inducitur, inquinatissima, & ex omni concreta obscœnitatum luto, tametsi nobilis. Hi suo è numero, impudentissimum, & impurissimum, obtrudunt coram, Sacerdoti castissimo, proscenium omne turpitudinis satyricæ explicantem, & cuius non posset corporatus Asmodeus agendo assequi imitaríque fœditatem. Hanc deinceps vir sanctus, quanquam senex, nisi dissimulata verbis communibus, propudiosa turpitudine, & cum ingenti horrore nunquam meminerat. Tunc vero totus in ruborem & lachrymas ibat, subibátque atrox animi tormentum, insultantibus interea spurcis iuuenibus, & inductum ab se sannionem fœdissimum hòc magis vrgentibus & dilaudantibus quò Ioannis oculos & verecundiam torquebat delentiùs. Ludo tandem probroso saturi iuuenes abscedunt, Ioanne miseram deplorante quam edit hæresis in suis sequacibus omnis honesti stragem, vt quibus omnem non solum auferat flagitiorum interiorem sensum, sed innatum quoque mortalibus omnibus pudorem, qui solet in nobilitate vigere acutiùs, & quicquid vel minimum dedecet auersari. Post hoc die Nouemb. nono, & decimo anni 83. reos inter complures variorum promiscuè criminum, in catena Iudicibus sistitur, iussúsque manum de more tollere, quantum potuit attollens *Eccam* ait, *in testimonium Iudæis & gentibus.* Sed abrupit clamoribus audiri volentem Bromleyus, nec præterea vsquam admitti, & loqui publicè illi concessum est, ob singularem vim, nimiúmque perspectam erroris confutandi, nec ora iudicum pertimescere solitam, nec eorum terreri potestate. Flintense igitur in Castellum remisso adiunctus est ad subterranei carceris altam specum, tibiis ex ferro vectis duplex quo ad Ianuarij quintum & decimum cruciatus, alio transcribitur non eripiendus pœna, sed pœnam mutaturus. Illic primum Atchinus loci custos, conuitiorum tempestate mediam per

horam deturpat, & onerat accedentem; solenni eiusmodi hominum comitate ac stylo, aduersus Sacerdotes Catholicos, quantumvis genere illustres, detumuerat conuitiorum ex nube grando, ad facta descenditur, crassa manus ambæ stringuntur manica, pedes solo duobus finguntur funibus, corpus omne, tortorum valido robore tenditur, attrahitúrque vt in equuleo, nisi quod stans, & rectum, in sublime. Horas nouem durauit, in ea violenti supplicij machina, in qua duo illum inuisêre, amici olim vt quidem putauerat, à quibus pro illa qua vulgo valebant potestate sperandum sibi aliquod cruciamenti barbari leuamentum existimauerat; at ij ex illa Caluini exedra profecti, quæ crudelitatem religioni, & merito deputat, infami fœdatum conuitio, iubent ad mensuram digitorum quatuor distendi, horrendo corporis iam afflictissimi cruciatu, sed magnitudine animi æquè vt antea vegeta, nec dolores suos, vel tenui gemitu laxante, aut cognitorum misericordiam fractiori querimonia pulsante: obtulit se illi adolescens Caluino dignus, conditione seruus, vtrinque idoneus ad eam quam ferebat consolationem. Sexcentis enim appetitum contumeliis & sannis, cum mille in eum exaggerasset probra, hoc demum ocyma concluſit epiphonemate, [cupertitioso Papistæ, deceptori simplicium & hypocritæ Sacerdoti, venire quidem ex merito quæcumque perpetiebatur, nisi forte deceret conuenientius, illum faucibus fractis suspendi, quàm manibus. Sub hæc idem è sacris literis proferre Anglicè, commentaríque pro libidine diuersa loca in Bennetum, qui cernens iuuenem sua tacentis patientia largius, & importunius ineptire, vocato ex carnificibus qui adstabant, nondum ait, Domine mi! aduertis animosum hunc de Oxonienſi gymnasio militem, scripturæ studiis & Theologiæ calentem, ambire mecum certamen de Religione? Huic ergo te quæso sedem ex aduerso pone, sed vsu, scitu, forma, meæ isti per omnia similem, esto etiam cum prærogatiua loci quæ illi debetur. Exaruêre illico hac petitione ventosa verba in ore iuuenis, & quasi reipsa esset addicendus suam aut Theologi, aut serui iactantiam mutus aliò transtulit: Bennetum nam imminebat nox, luxatis ossium commissuris iam non valentem insistere pedibus, tortores in carcerem referunt, vbi dies decem, inter dolores sæuissimos cum iacuisset immobilis, productus est alium quempiam ad fori Ministrum Amicium nomine, à quo placidè primum increpitus de pertinaci eorum silentio quos restituerat Ecclesiæ Rom. quos habuerat hospites; quibus operam suam præstiterat, quorum vsus fuerat liberalitate ad necessaria vitæ subsidia, quibus ille horarum nouem tormento quæsitis taciturnitate idonea iam satisfecerat, sed enim, ait, à Senatu sum iussus, eas tibi quærendi & torquendi machinas adhibere, quæ tibi ex capite duritiam eximant pertinacem; ex ore, non illud obstinatissimè repetitum. Et ego, vir sanctus à Deo, inquit, diserto imperio iussus sum *non timere illos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ac ne leui quidem morsu perstringere, *sed eum qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam*, quæ in verba paucis vtrinque dissertis; cras, inquit, Amicius sermonem, lingua longè diuersa repetemus. Fuit hæc

noua

noua sermocinatio, iteratio tormenti prioris tanta dolorum atrocitate functi, vix vt vltra tres horas produci potuerit, cum prius nouem tenuisset.

Digna planè quam suspiciamus admirabilitas diuinæ opis in corroborando sui huius athletæ animo aduersus debilitatem proprij corporis, & barbariem immanitatis alienæ, instauratis enim quærendo tormentis, quibus se pridie iactarat Amicius excussurum Benneto monosyllabas illas voces quibus omnia negabat, hoc nihilominus cruciatuum in æstu ringens licet multúmque indignans responsiones alias non tulit, nisi ante sibi reuulsam iri de pectore animam, quam vocē in fidam aut halitum suspicionem in Catholicos sinistram daturum. Quod visus est tam deliberato firmitatis Decreto asserere, vt lusæ tam diu operæ puderet cognitorem, & huc illuc identidem inops consilij; cursitaret: semel autem regressus in carcerem scrutatúsque si forte in ipso, aut pro se aliquid resedisset, in Breuiarium incidit. Erat hæc tota viri Dei supellex, & hoc illi mox exprobrans ostentauit. Atque hic se demum, nusquam præterea, supplicem exbibuit Benneti constantia rogans, & obsecrans vt sibi restitueretur, cum Regiis legibus nihil oppositum contineret. Cognitor vero, ne faxit, inquit, vt hoc recipias quo vtaris ad sanctorum inuocationem, hoc est idololatriæ Papisticæ cumulum. Ast ego, subiunxit Bennetus, faxo ne hinc lucri tantillum facias, nec ego damni tantillum capiam; precationis breuissimæ vice quam eram facturus, precando tempus decuplo producam. Interiecta dehinc breui mora, redit idem cum Zuingliano ministello Amicius, Dei seruum (si superis placet) in suis positum æstuantémque cruciatibus, ad disputandum stolidè inuitans; at ipse neque nunc inquit, mihi sat commodum; nec circulatorum hoc theatrum est. Abundè sit vobis in mentē reuocare prouocationes Campiani, æquas, & faciles, vestro cū magno dedecore à vobis reiectas. Qua monitione vulnus refricuit olim Protestantibus inflictum, nec dū satis tempore curatum; exclamat furens Amicius, & diras mille in Christi euomit Sacerdotem, claudítque illius eiúsque similium amenti execratione, improperans non posse regnum cum iis consistere, totos esse in tumultibus & seditionibus ciendis, & subducendis à iure Principum populis. Cui repente Bennetus, & hic tamen ait regni vestri status cui, vt creditis, nec ego inficior adlaboramus euertendo, si mihi spes & desiderium vaticinantur vera, velitis nolitis ruinam trahet, quam nos impellimus, vnum enim & solum Religionis falsæ statum ad hoc in eo contendimus vertere vt Catholicam, & veram, in auitum ab annis supra mille quadringentis restituamus thronum, hoc nos toto sudore & sanguine molimur, quod vbi Deo propitio confectum à nobis fuerit, habituri sumus filios vestros, tàm vtilis sanctæque operæ laudatores, etsi vobis nunc inpisa veniat, & omni crudelitate impugnetur, his & similibus audiendis, cùm Amicius ira rumperetur, nec ei ad vindictam suppeteret aliud præter vnam in carnifices potestatem, toto illam furore in Dei seruum exeruit, iubens, vrgénsque illum distenderent, distraheréntque omnes ossium iuncturas ea violentia, quam si horis plus tribus protulisset actum erat de vita, cedebátque

anima corpore, modis tàm atrocibus lacerato. Horas vero illas in Dei laudibus; in professione Catholicæ veritatis; & confutatione aduersariorum cùm implesset, refertur in carcerem; inde Londinum, noui carceris nouus hospes; Septembris demum vigesimo quarto, sequentis anni octogesimi quinti, cum Sacerdotibus triginta in exilium pulsus, Remos se recipit. Illic ea luce meritorum ingentium circumfusus, qua maximè poterat Societas omnis decorari, de se tamen adeò abiectè sentiens sic eam expetiit vt precario tantum, & beneficij summi loco eam sibi concedi posceret, quas illi preces qui successerat Alano in gubernatione seminarij Remensis Doctor Barretus commodauit; anno itaque seculi proximè sequenti Virdunum profectus tyronibus nostris adscriptus est Septembris sexto, annos iam natus sex supra triginta, quibus totidem superstes trésque insuper addidit, horúmque vltimos triginta quinque exegit in Anglia, spretis veteribus quas illi olim exilij sui sententia incusserat minis, proditorum supplicio luiturum si quando insulam attigisset. Sed cui placuerat antea eius magnitudine constantiæ in tormentis Anglos animare, ad æquam fidei æstimationem, & defensionem, voluit postmodum eiusdem sudoribus Catholicorum in iis augere numerum, & ardorem; in quo ad ætatis annum quintum supra septuagesimum laborauit, senili virtute, alacritate iuuenili, eóque spiritu quem illa temporum poscebat calamitas. Palmis demum omnibus insignis quæcumque possunt hominem verè Apostolicum ornare, opprobriis, vinculis, cruciatibus, laboribus, animarum lucris, & heroïcæ virtutis suppellectili diuite, Londini sanctissimè obiit, die Christi natali anno 1625. magno Catholicorum luctu, quorum fuit communis de illo sensus, quem Prouincialis peculiarem suum de viuente his verbis Generali expressit. *Vir pius, & sancto similimus, Confessor antiquus, non tam doctrina quam praxi, & integritate celebris.*

Tumultus

Tumultus Romani Anglorum Seminarij aduersus Alanum, Seminaria, Personium, & Societatem. Patres Henricus Garnetus, & Robertus Sothuellus Angliam subeunt. Lamentabilis Ecclesiæ illius vexatio. P. Guillelmi Vvestoni labores, pericula, & mira præter spem ab iis euasio.

CAPVT XII.

EODEM hoc seculi anno sexto, & octogesimo incruduere Romæ maiori strepitu, turbæ seminarij Anglicani aliquanto prius excitatæ, mali eius accessu quod solet ex intestino dissidio afferre bellum exterius, & ignoratione vtrobique veri hostis, aut amici dolosè simulati. Simultatem hanc primum accenderat inuidiæ fax, ab vsque Parisiis, & Londino manu iacta duorum quos memorauimus cum de Maria Scotiæ Regina scriberemus fuisse actum in Gallia, duorum, inquam, nobilium, hanc sui Romæ ventilabant flammam flatu assiduo magnarum in speciem apud Anglos alumnos cogitationum quibus auocabantur sensim à seminarij disciplina puerili magis vt suadebantur, quam heroïca, & sublimi qua se dignos rebantur; & regi volebant; spretis Alani, & Personij, sapientibus institutis, ad iuuandam seminarij præsidio Angliam. His Romæ tunc etiam à superiori anno præsentibus integrare sunt ausi supplicem libellum apud sixtum quintum Pontificem maximum, quem Gregorio XIII. paulò ante frustra porrexerant. Poscebant ea supplicatione, Alanum, & Personium supremo, & seuero imperio à rebus Angliæ attingendis arceri penitus; Sacerdotes eò nullos mitti, libros edi nullos qui hæreticis displicerent; inde Iesuitas ad vnum omnes reuocari. Societati, & seminariis Apostolico interdicto velut adamanti sic portas Angliæ occludi. Vt in eas eorum nemini pateret aditus, sic nempe casuram suapte sponte tempestatem bacchantis in Catholicos hæresis. Erat hoc vnum Cæcilij, & Vvalsingani votum, cum quibus auctores exitiabilis libelli, pars ipsi per sese, pars ipsi per alios miscebant consilia, nihil enim pronius videbatur quàm his defectam præsidiis Catholicam Angliam breui totam fore Protestantem, & maris mortui tranquillo somno fruituram.

Longior foret, ac lacinioſa huius negotij ab ouo narratio, quod

Episcopis duobus commissum est cognitione iuridica tractandum, cúmque vno constaret iræ iuuenilis domestico impetu, & furore, iis non ægrè placando, vel inhibendo remediis, quibus solet domari, mitigariue illa ætas; tot sustentatus est intercessionum externarum accessionibus, vt in causam euaderet solennem nec nisi iuridica sententia clausa sit. Exemplar illius archetypum seruamus, quadraginta nouem subscriptum chyrographis, seu conuictorum siue alumnorum, in quibus Sacerdotes decem; quorum testimoniis constitit cardo præcipuus pronuntiandi de tota lite, adiecto quod planè omitti non debuit; alios nempe extra hunc numerum qui secessionem à Patribus mouerant factionem fuisse quandam intractabilium, & instabilium, ingrati duritiem animi reponentium Patribus, pro seruitute laboriosa & libera quam eorum vtilitatibus propter Deum seruire pergebant iudicatum est, ab iis perperam factum, inhumaninate hac rustica illorum sudoribus, & curis repensa; longè porrò abesse, vt alumnorum oblocutiones ab turbulentis extraneis dictatas audiri oporteret; castigandos esse potiùs, & eiiciendos, restituendámque Seminario famæ dignitatem, & quietis domesticæ pacem quæ suo vitio, & seditione pessum deiecerant, vt reipsa executioni mandatum est. Diúque postea variis, & formidabilibus euentis exempla cœlitus in eos sunt edita qui vel socij factionis, extiterant, vel eam animarant, ex quibus nimium liquido coniici licuit, quàm detestabili spiritu agerentur. Duos tantum omissis reliquis hic pono alterum longinqua in Anglia cum fidei hostibus miscere consilia deprehensum; alterum huic non absimilem, ambos tribunal sacrorum quæsitorum quam erant commeriti damnauit pœna. Sed horum pessimus, Deo miserante respexit se tandem, & inter alia scelera, fraudes instrumento iuridico palam fecit quas in Alanum, Personium, & Societatem orditus fuerat, sui præterea ingenij ac styli fœtus esse duas illas inuidiosissimas lucubrationes, quarum vnam falso Dominicani vulgarat nomine; alteram vnius è Societate, quos inter se certantes committebat, inducebátque ructantes omnia, quæcumque ad rabiem facere censuisset qua tunc immani æstuabat.

Motis Seminario turbulentis, mota pariter cum iis iurgia, & restituta pax; verum enimvero, vt sunt sodalitia iuuenum leuia, materia impulsu facilis, & aura qauis difflabilis, in iis fere quies est tariot, & mirabilior, quam turbarum motus quos in iis excitat natura; nec enim deinceps defuere interdum eodem in Seminario quorundam turbelæ, factiones, & querimoniæ, postquam etiam de suis cœperunt moderatores habere Anglos, quod hoc anno est cœptum, amoto ab iis regendis Alphonso Algazzario, tametsi nihil ei deesset de optimo patre, nihil de optimo Anglo, præter Anglicum idioma: datus est illi successor Guillelmus Holtius, ad vocatus è Scotia, vbi ægrè manus Caluinistarum euaserat, qui iam illum habebant in vinculis; tunc fidei bono, pietatique prouehendæ strenuè insistebat; Edmundo Hayo, & Iacobo Gordono laborum sociis, dum sesqui hoc post anno missus in Belgium successorem accepit, Personium, & hic non

multo

multo post hoc est anno octogesimo nono Iosephum Cresuellium, cuius incidet non rara in rerum decursu mentio.

Ad hunc item annum spectant gesta Vvestoni proximè scriptis lætio ra & Catholicis mirè vtilia; & priusquam in manus exploratorum deueniss-set; Henrici Garneti, & Roberti Sotuuelli prosper in Angliam appulsus cui hominum pari, non facile ex æquo, & pari respondeat aliud, vt ex vita illorum & morte clarum fiet; qua huius historiæ bonam partem pro dignitate occupaturi sunt. Ambo Roma profecti quacumque transissent, felici excipiebantur adprecatione, & ominibus non vanis. Solennis cultus aliquando illis exhibendi, inter quæ asseruo Bellarmini nondum Cardinalis chirographum, commodius alibi proferendum, cuius illis tanti de cœlo muneris vaticinatio haud aliis videtur nixa fuisse prognosticis, quàm singulari quodam vtrique impresso charactere sanctimoniæ non vulgaris, qua Deo credebantur peculiariter accepti, & intimi: Caleti post primos vespertini officij cantus quod celebrabatur S. Alexio, Iulij sexto & decimo, conscensa naui, cum sole redeunte applicuere Dubrim inter, & Folkstum; felicique errore, sed nequaquam præuiso, die ante discessum in Angliam decimo ipsa in Anglia constitere, Dies enim decem quos Greg. XIII. de mense Octobri tulerat anno 1582. illic nihilominus censebantur, fiebátque vt Gallis Iulij sextus & decimus, numeraretur ab Anglis septimus. Leue id quidem, illud maius, proinde à Patribus diuinæ dispositioni singulariter attributum, quod ex ea dierum varietate in rem suam, tenendúmque aduentum commodè euenisset, vt eo Iulij septimo ingrederentur in Angliam, quæ tota tunc in Kantio maximè occupabatur memoria S. Martyris Thomæ, haud quidem sacris officiis colenda cum eam pridem Henricus VIII. sacrilega damnasset exsecratione, sed antiquis & opulentissimis nundinis, vbi facile fuit in conferto illo omnis generis hominum, vltro citróque commeantium, & conturbantium concursu, & recursu latere, ac turba illa mergi.

Primo igitur illo, & decumani periculi vestigio S. Martyris Thomæ auspiciis posito, via maximè trita, minúsque suspecta in inferiora se regni penetrant, diuersi tamen & seiuncti, ad vitandas nares suspicacissimas, & audacissimas exploratorum vbique insidiantium, Londini postridie cum sibi mutuo occurrissent, statuere inter se de carcere quem adirent, minus obseruato magisque neglecto, vbi ex Sacerdote cui se paulatim, & cautè crediderant, de cursu rei Catholicæ cognouerunt, de iis apud quos possent metu minori diuertere, quodque illis fuit intimæ voluptati, de P. Vvestoni fructuosissima, opera, in vrgendis religionis veræ incrementis; iámque illum aut Londini esse, aut propediem adfuturum. Ea porro clarebat apud Catholicos Vvestonus fama, vt quicumque illinc de progressibus fidei trans mare scriberent, Vvestono ferè tribuerent omnia.

Habemus ex Anglia (scribebant Remis alumni Angli, & Parisiis connectus eorum Procurator) habemus de P. Vvestono magna & mira quæ Deus per illum dignatur edere: conciones illius, & colloquiorum consue-

tudo domestica, plurimorum saluti prosunt; possessis à Dæmone liberandis, magnum conciliat Catholicis nomen; æquiparatur vulgo Campiano beatæ memoriæ, adeo illi est viuendo geminus, & agendo. Laus tamen eius meritorum minima, constabat laborum assiduitate in lucris animarum quamquam illustrius hominum oculos feriret; maior illa multóque augustior, continuare illam assiduitatem, morte semper à tergo instante; nec enim interdiu cuiquam poterat se tuto credere, aut à proditore, & falso fratre quenquam discernere; noctu non licebat nisi semisomni, & pænè arrecto, & apertis quiescere latebris ad vitandas fuga incursiones subitas insidiatorum, intempestas noctes captantium ad eum intercipiendum. Paucos eiusmodi periculorum euentus hic tantum refero varietate memorandos; si prius eiusdem & stylo, & fide ad viuum expressero, calamitosum eius Ecclesiæ tunc statum, tempestate quam olim fœdiori, bonorum, & corporum iactura præcipitantis in ruinam, idque duas ob causas altera intestina, extranea altera, quas nihil attinet hoc loco explicare. A postremis, inquit, Parlamenti comitiis fluxêre tempora, quibus nullum vnquam Catholicis lamentabilius, nullum miserabilius extitit, ne illorum quidem annorum crudelium, quibus immanius suorum sanguine Anglia spargebatur. Hanc Roberti Dudleyi Comitis Licestrensis; auctoritas & consilia Guillelmi Cæcilij, qui apud Elizabetham nihil non possunt, & agunt; in terram suis verterunt inimicum & solum patrium, in campum confecto prælio, strage, & mortuis instratum. Vbique odia, insidiæ, proditiones, aperta violentia, incursiones improuisæ, latrocinia nocturna, bonorum in fiscum rapinæ, abductiones pecorum mutuæ. Quis tam teter & horrendus carcer, tam altè, & barbarè defossus quem Christi Confessores, meliùs dixerim martyres, professionis suæ sacrosanctæ non illustrauerint fulgore? vias omnes & vinculos inopini, & subiti custodes obsident, manus illorum nemo vitat, scrutantur excutiunt. Interrogatis fatigant singulos; eadem vna, & condicta nocte, multæ interdum regni vrbes, domesticatim à scrutatoribus, improuisa, tacitáque indagatione, peruaduntur, & introspectantur; nullius hospitij, aut tugurioli receptus, quem exploratione curiosissima sursum deorsum non euertent; illic hominem nouum vel ignoti, & suspectioris, aut respondentem de se timidius, & minus expeditè, si deprehenderint, aut statim carcere, aut acri cingunt custodia; interim dum illum statuant tribunali, purgaturum suspicionem Catholici, & Sacerdotis Romani, iuit latè confictus in populum rumor conscribi hostiles aduersus Angliam copias. Paulo post in mari iam esse, & properare ad eam inuadendam, inde literas deprehensas quibus Catholici, sua cum iis hostium copiis ad perdendam Reginam iungebant auxilia, nouæ quotidie in eius necem, Catholicorum garriuntur machinæ; falsa pro certis finguntur conuenta, ad proritandum populorum in Catholicos odium, & vindictam. Mihi quidem Londini audire contigit lamentabiles questus Catholicorum pro certò expectantium condictam noctem inter Consiliarios Regios, qua impressione repentina omnes essent de medio tollendi, eam ob rem complures

plures relictis domibus ruri pernoctarunt, multi vltro citroque scaphis Tamesi, quoad dieſceret oberrarunt. Ferebantur & minæ à Cæcilio intentatæ, ſe breui Catholicos eò redacturum, vt opitulari ſibi mutuo non valerent, & lucro non minimo ducerent famem porcorum glandibus leuare, quo planè rerum noſtrarum ſtatu illud puto impletum Chriſti oraculum, *abſque ſynagogis facient vos, ſed venit hora vt omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Mitto libens quam multi Sacerdotum fuerint in carcerem compacti; quàm multis ad carcerem fabricandum locis deſignatus nobilibus maximè claudendis ſitus, quin & illuſtribus fœminis quæſitum à Regina, vt ſtatueretur carcer, ſed petitionem dicitur exploſiſſe, quærens num etiam attonderi has vellent in monachas? earum nihilominus plurimæ, & nobilium vxores, publica cuſtodia tenebantur. Aliæ priuatis in domibus, ancillari miniſterio fungebantur] huc vſque Vveſtonus. Quem fuiſſe ab inſpectoribus, indagatoribus, & aulæ canibus ſcrupuloſiſſima exploratione requiſitum perſuadet, ipſa quam deſcribit temporum ratio, & Apoſtolici operarij parta fama, qua vulgo, & merito florebat, eóque demum iam venerat, vt ſibi denſo in nemore, Londino haud procul metari latebras ſtatuiſſet, ne apud quem foret repertus hoſpitem, in idem ſecum maieſtatis læſæ ſupplicium traheret. Nam quoad ſe, iam Deo ſe totum permiſerat, in vtrumque pariter expeditus, vel pro illo mori, vel in ſtrenuo, & laborioſo eius obſequio viuere. Hæc deliberanti occurrit nobilis, vir ampli pectoris, & pietatis haudquaquam timidæ, inuitat vrgétque vrbanè reſtitantem apud ſe diuertat; ſurgunt ambo in equis ſub ſeram noctem, & in palatium deueniunt, leucis ab Londino tribus, & quo nihil poterat opportunius optari, ſitum media in ſylua. Die poſtero benè mane collecta in ſacellum familia omni vt ſacris intereſſet, nam præter Catholicos habebat neminem) en adeſt anhelus ex curſu nuntius Patri fugam indicit præcipitem; inſtare illi conſiliarios regios qui de illius receptu cognouiſſent, nec vitaturum eorum manus, niſi celeritate illos præuerteret, ſacris igitur omiſſis veſtibus ad quas in procinctu iam erat, latebrarum inopia, dum ſuppellectilem altaris feſtinant conuoluere, famuli in hortum ſe coniicit quo palatium cingebatur vbi à ſeruo admonitus inſtare ſatellites, nec teli adhuc abeſſe iactu; in remotiorem aufugit ſyluam, & nudo quod occurrerat, deſertóque mapali, ad ſolis occaſum latuit, humi affixus, & rimis parietum reſpectans identidem quà & quonam iter veſtigatores intenderent, immerſurus ſe in ſyluoſa inexplicabilia, ſi conſpicaretur ex aduerſo venire. At ij diu fruſtra luſtratis ſollicitè cunctis palatij angulis, & præda fraudati, deceptos ſe rati ab exploratore, vacui abiere. Huic vero ſub noctem miſſus ab amico adeſt cum equo viæ dux famulus, qui per callium ambages, & perplexa inuia, ipſum aliò in tutum ſubducit ad inuaſiones huiuſmodi ſubitas crebro locis etiam tentatas nulli prorſus mortalium ſagacitati obnoxias, præſultores videntur habuiſſe malignos ſpiritus, quanquam erat vbique tanta exploratorum multitudo, tam ingeniosè, malitiosè,

& suspiciosè lyncea, vt longè semotas indiciorum inanium notaret vmbras, nec aliis ad hoc dæmonibus egeret.

Ex his vnus nobilem è fenestra obseruans iuuenem, Vvestono se reuerentius proclinantem quàm ferret abiectus quo incedebat cultus, ergo, inquit apud se, occultat aliud præter id quod vulgares hi loquuntur panni; quod igitur nisi Sacerdotem? nec plura cum armis aduolat comprehensurus, nihil tale metuentem; sed enim iam euanuerat, & cautus iuuenis, responsis ambiguis, & iocosis requiritantem de illo ita circumduxit, vt eius forte non reperiundi quam ex opposito maiora illi præberet indicia. Grauius aliud quanquam valdè incautè creauit periculum socius: sacrificaturus ex occasione multorum in ædibus, orbiculatos ad hoc panes magna copia sibi parauerat, eósque socio ferendos tradiderat qui lino candido inuolutos sinu condit, nihil præterea de iis sollicitus; inde nunc bini; mox terni, & plures, equitantis succussu defluere, viámque spargere, adeòque viginti simul, ad fores, eius decidere qui erat eius oppiduli ministellus, post medium denique ex vno quem asportabat aura præ oculis conspicatus periculum pater, & præsens, & grauius imminens viam retexere volenti, ad eos tanto spatio relegendos; erat enim locus rusticis operis valdè frequens, animaduertit metendo fere occupari, fidenter itáque aggressus, illa Sacerdotis, & Sacerdotij vestigia ab insidiantium oculis remouere, humo panes suos recepit omnes occurrente vel conscio nemine. Alias item deprehensum mirabiliter Deus tutatus est, nam perinde vt exploratori repente inuisibilis euasisset, ex eius oculis prorsus euanuit. Aliquando ad illum intercipiendum perscrutatores conuenerant, per medios ipse fidens intactúsque pertransiit, viatorem assimulans vagandi cupidum, & videndi, cum senem vt iis descriptus fuerat expectarent. Verum inter tot istos, & sexcentos casus, nullus eum morti admouit propius, quàm à quo minùs timuerat. Sacris operatus in ædibus nobilis, digressisque iam ad sua qui ex vicinia eò conuenerant, monetur à famulo, turmam adesse satellitum & domum quæ ruri sita erat vallare, simul ab eodem reseratur illi subterraneum in cauum descensus, quem properantius subiens, & libris excepto Breuiario relictis, quam diligentissimè clauditur. Ingressi cubiculum milites, ex libris facilè diuinant, non posse Sacerdotem abesse longiùs, audiebátque iam ipsemet illos sibi de præda gratulantes, sed multo effusius, & petulantius, cum in angustissimo conclaui quod subterraneo imminebat cauo, & calicem, & supellectilem altaris totam inuenissent, tunc enim malleos, asciam, ligonem poscere, ad perfodiendum parietem, & tabulata dissoluenda. Hic vero secum iurgari Vvestonus, foretnè præstantius, & laudabilius Sacerdoti Catholico, aduersariis vltro se prodere, quàm ab iis inuitum, & trepidum, ac semi sepultum in triumphum, & timiditatis ludibrium protrahi. Sed nondum erat generoso athletæ destinata cœlitus diuturni carceris, & difficillimæ pugnæ hora, quare instinctus prudentiori consilio turmæ dux, & loci angustias accuratius dimensus, non est inquit, socij, quantum sit Papistarum

fodisse

fodisse hic latebras, vnius homuli capaces, & aperiendo ad eum muro pauimentóque incassum fatigamur. Dictum ratum, quærendo abstitere, & direpto Sacerdotis ornatu, paucos secum abegere captiuos, inter quos ipsum ædium Dominum, & seruum qui Patrem seruauerat. Vvestonus tam pronus & facilis inuentu, quam rectè & prope sub eorum pedibus latebat; sed excæcauit satellites improbos genius Vvestoni tutelaris; de illo interea quid factum, cùm ignoraretur ab omnibus, nam domi residuus præter feminas erat nemo, lugebant illum velut captum, & à militibus abductum; vicissim ille neminem sentiens qui sibi ad exitum sepulchri sui panderet catharacem, credidit quod sæpè fiebat, ædes etiamtum à militibus obsideri, hæsitque illic diem illum & noctem proximam, cum sequenti die in aures, & pedes arrectus, deerat siquidem ad iacendum locus, media hyeme, cæco, & humido in cauo; scalísque ad extremum conscensis, cum nec vocem vllius, nec vmbram, nec strepitum, rimis diu affixus, conspicari valeret; experiri cœpit, an posset extremis humeris sursum attollere barathri sui coperculum, & amoto illo in lucem prodire, víque magna, & crebra gomphis licet firmatum ferreis, viam sibi ad exitum pandit, non absque diuturno postea vtriusque humeri dolore, tunc autem periculo, ne confractis premendo scalis in ima corruens illic diu, & frustra liberatorem expectaret. Tandem ergo pannosus, & puluerulentus, & aranearum telis sordidatus, coram domesticis apparet, velut à mortuis rediuiuus, illum enim & captum putarant, & lugebant, quasi iam in carcere Londinensi clausum, & inter solitas morientem cruciatuum quæstiones. Mox refocillato nonnihil corpore securum migrat, quod mirum indeprehensus militibus licet circumpulantibus in omnem euentum, eius etiamtum capiendi.

Vvestoni labores in subsidium animarum. Severa vltio Protestantium vitam ducentium, falsa Catholica mortis fiducia. Vvestonus carcere clauditur. Antonius Babingtonus aliena fraude, coniurat cum aliis. Reginæ Scotiæ liberationem. Vvestoni potestas in malignos spiritus. Illius examen cum aliorum examine collatum.

CAPVT XIII.

TANTIS tam crebro defunctus periculis Vvestonus, nunquam tamen sibi ab iis aut retardatus est adeundis quoties foret vel à Catholicis vel à Protestantibus expetitus cordatis præcipuè ac sensus idonei ad percipiendam veritatem, ea tamen vbique cautione, quæ temeritati non plus tribueret quam feruori. Quare aures interdum confitentibus dabat inambulans velut cum iis familiariter colloquens, & more salutantis sub discessum absoluebat. Diuinam Eucharistiam in hospitiis publicis (vt minus suspectis) aut in syluis & ruri, pro necessitate temporum, & personarum ministrabat, reiecto nihilominus conditionis splendidæ ornatu, quam vir opulentus simulari ab eo voluerat, vt circumduceret eum suo sumptu secum ad lustrandas, & exolendas sacris Catholicorum domos; pompam illam vir Dei censuit Christi Sacerdotem minimè decere, religiosum pauperem multo minus, modos ei longè diuersos suppeditauit Deus, quibus conuersionem Comitis Harondelli, Philippi Huuardi magnificè ad felicem exitum perducit. Fuit is facilè inter proceres aulæ primus & nobilissimus; inter Catholicos, virtute ac meritis singulariter illustris, hunc necessarij arcani seruata cautione diuinis imbutum impertitúmque mysteriis, eo fidei sacrosanctæ ardore incendit vt paulo post tentus, libertatem gratuitam repudiauerit, quod sibi hac lege deferretur vt Archiepiscopo Cantuariensi adhæreret, fautori Protestantium insigni, conditioni sacrilegæ, annorum plus decem, voluntarium carcerem prætulit vbi seu veneno, siue longa malorum perpessione extinctus est. Quo vitæ suæ articulo eius memor cui salutem post Deum deberet, Patri suo Vvestono grati animi pignus breuiarium suum misit, donum quidem tenue Principis pro Christo pauperis, verum vt vulgo vocabant Catholici, martyris, idcirco maximè pretiosum hoc P. Garnetus cui creditum

creditum fuerat vt transmitteretur Vvestono in carcerem committendum hæreticis haudquaquam censuit, ne hoc ipso quod sacrum fieret illis execrandum.

Illorum ex numero quos aut reuicit disputando, & concionando aut Christo & Ecclesiæ reddidit, vnum ipsemet refert exempli æternum memorandi. Senex erat in paucis doctus, iurisque potissimum peritus, & quod ei exitio fuit locupletissimus, quem vnum ex suis factum Catholicæ desertorem, rationes domesticæ impellebant vellet magis hæreticus videri, quàm esse terebat assiduè nostros Theologos, quorum abundabat copia, sed refellendi vt plurimum studio, non probandi, rationum argutiis id agens solum vt nanciscerentur perplexæ, agitatæque perpetuo conscientiæ quietam stationem, quam in probabili Catholicorum, & Protestantium approbatione, persuadebat sibi vel inuito posse statuere. Conuenit senem malè feriatum, rogatu filij Vvstonus, eiusque se primum in notitiam dedit post etiam in familiarem, dissimulato semper Sacerdote, explicatisque illi Theologorum nostrorum sententiis, illam ei abstersit epiphoram qua sibi oculos gaudebat suffundi, vt posset, tranquillè duobus dominis seruire, quem errorem tam clarè Vvestonus illum dedocuit, suasitque tam indubitanter extra Catholicam spem cuiquam salutis nullam esse, vt magnis vocibus inueheretur aduersus hæreticos, tenebrarum auctores, veri hostes, & profligatores, qui regnum erroribus inuoluissent; violatores vocaret diuini, & humani iuris futuri, perinde incurios; vt si nulla restaret post hanc vita furias, dæmones, natósque in perniciem hominum, vt qui suos secum ciues desumi cuperent penitus, & perire; nihilque sibi deinceps cum iis fore iuraret hæc & similia indignans & ardens, cum vociferatus sæpius in eos esset, retorto mox in damna oculo, quæ illum manerent: vbi se primum Catholicum proderet, iacturam rei omnis tot sudoribus partæ, saginandos ea impurissimos latrones, vitæ periculum, mendicitatem filiorum, crudeli eorum misericordiæ supplicem, redibat, miser in iactationes pristinas, quibus sedandis statuit, denique præferre Protestantem, Catholicum animo premere, deceptione sui blanda, seruandis temporariis, & æternis, secum vtraque perdere. Verum enim vero scelerati huius, & desperatæ mentis cum probè agnosceret lethalem culpam, & intelligeret non posse nisi pœnitentiæ deleri sacramento, excogitauit stolidus diuina iudicia humano inuento eludere, illáque prudentia salutem in tuto locare, quam mundi huius prudentiam vocauit Apostolus, magistram consiliorum insipientium fatuam, quibus plærique hominum imbuti, videntur sibi plus Deo sapere; domos habebat duas Londini alteram, alteram suburbanam, quas alternis & statis anni vicibus incolebat, vtrobique in illic parauit sibi Sacerdotem, qui vtrauis in domo periculosè ægrotasset, præsto adesset morienti, & ab simulatæ perfidia hæresis, auditum absolueret. Dum ergo ex vna in aliam transit, morbi violentia repentè corripitur tam sæua; vt mori se sentiens, præcipitari iuberet, ad accersendum Sacerdotem, quem ex duobus in proximo habebat, ne impiatus interiret. Cursu itur, reditur, Sacer-

dos sistitur non iam moribundo, sed mortuo vehementia paroxismi lethalis, quæ in hospitium publicum eum compulerat. Sic duos alens Sacerdotes vt confidentius improbè viueret, vti neutro valuit vt fidenter, & piè obiret. Sequitur Vvestonus similia referens; sed mali huius pestilentissimi, stulta piæ mortis fiducia, impiam ducentium vitam, origo fuit amor caducorum impotens atque indomitus, quo multis deinceps annis sequentibus, Anglorum plurimi laborauerunt, Deo propterea tantoperè exosi, vt profana, & impiata morte confessionem luerent imprudenter eo vsque dilatam, ad quam domi vnum Sacerdotem, aliqui & duos in procinctu semper habuerant; horum vero tam multi exemplo terribili sapere alios docuerunt, vt possit ex iis volumen integrum compilari.

Cæterum Vvestonus his & laboribus, & periculis insudans, & immorans, dum redit Londinum de appulsu cognoscit Henrici Garneti, & Roberti Sotuuelis, suo quidem cum incredibili gaudio, sed multo maiori cum Robertum coram, nihil tunc minus expectans adesse conspexit, postque suauissimas vtrinque salutationes, Romanis nostrorum de rebus & accepit ipse, & de Anglicanis vicissim reddidit.

Re quidem vera difficile dictu est in regnum Angliæ an viri vnquam tres, de Societate tribus istis pares conuenerint, in quibus pariter & præstantia virtutis, aut doctrina excellens emineret, aut laborum splendor, & Religionis amplificatæ decus eximium, duorum sanguine confirmatum, & longo tertij annorum septemdecim martyrio magis quàm carcere, de quo inferius dicendum. Nunc mutua breui potitis consolatione moram omnem Londini iudicauit Vvestonus periculi plenam, quod sub omni saxo lateret scorpius; hoc est explorator plærúmque Catholicum indutus, reipsa desertor, & proditor.

Postridie igitur ad leucas decem, perduxit illos in domum Catholici religione ac sanguine nobilis, qui non verebatur, direptione bonorum, exilio, perpessionibus, & omni denique suorum prærogatiuo decorare nomen Catholici, mortísque adeò non dubia expectatione: nisi eam Comes Leycestrensis moriens præuertisset, illic pari exceptos comitate, & reuerentia dies octo secum detinuit; securitati fauebat loci solitudo, pietati sacellum ornatu egregio, hydraulis, & vocum symphonia locuples, partim domestica, partim suam vltro præbente operam; nullóque in iis nisi masculæ virtutis & Catholici roboris: vnus ab iis inter omnes suspiciebatur, pastor quem hoc duplici nomine domi habere honori ducebant qui sanctimoniam deinde, morte pro fide obita coronauit. Ibat tempus omne matutinum in officia diuini cultus; diurnum consulendo: quibus auxiliis iuuari res possent Catholicorum miserè afflictæ. Quo peracto Vvestonus suas sociis diuisit ad excolendum Prouincias; Catholicas assignauit domos eorum receptui promptas, iteratísque complexibus vltimis, & felici adprecatione suam quisque in sortem discessêre nunquam mutuo reuisuri. Desiderabatur Oxfordij Vvestonus, seu quod vulgo dicitur Oxonij vbi eius consilio & ope indigebat Catholicorum familia nobilis, & constans; qua charitatis

Charitatis opera perfunctus, Londinum versus remensus est iter, & cadente iam in noctem sole, de via regia deflectens, in solitariam amici domum recepit sese procul frequentia syluosis abditam, & voto suo veteri mirè aptam, sui nimirum colligendi, agendíque seorsum, velut extra mundum de se vno, & solo cum Deo, quod etsi pridem optauerat, sed ante aduentum sociorum, non sustinuerat, cum esset solus, Catholicorum necessitatibus deesse, at enim seruo suo Deus secessum destinarat in posterum diem, haud paulo magis ab interpellaturis, solum ad explendam meditando, & precando mentem diuturnùm, vix domi quam dixi constiterat, & adest prope vnâ nobilium par, notæ perspectæque virtutis, multísque precibus Londinum reducunt ad opem familiæ Catholicæ repentino ex casu graviter laborantis. Die proximo albescente, in vrbis conspectu, diuertunt ad sua nobiles; Vvestonus quò accersebatur, & erat domus foro vicina rustico, infrequenti situ, rarísque trito prætereuntibus: respexit nihilo segnius ecquis à tergo sequeretur, viditque hominem, & solum & inermem quod fori capitalis satellites non solent proinde sibi minimè suspectum, qui tamen pulsantem ad fores ædium assecutus, brachio prehendit, iussitque Reginæ nomine ad tribunal sequi, quod se vltro facturum respondit Vvestonus, tantum ne alterius loco & nomine per errorem comprehenderetur. Nullus hic error est, refert explorator; ipsissimus es quem volo Edmundus Vvestonus Sacerdos Catholicus, idemque Iesuita, Guillelmum enim Vvestonus in Edmundum mutarat, pro sua in P. Edmundum Campianum pietate ac reuerentia; restat igitur hoc tantum, opponit Vvestonus palam facias qua me potestate detineas; aliàs nec potes me per te morari, nec ego iubenti parere debeo: Eccum, infert ille, mandatum quod postulas, & sinu exemptam seriem nominum bene longam quos iussus fuerat capere legendam obiicit, sed in iis Vvestonum Edmundi nomine cum nusquam cerneret, negare fortiter posse ab illo iure teneri, & abduci; at ille constanter instare, scriptus foret inter alios an non, sibi sufficere quod quem iussus erat quærere inuenisset, dúmque inter se altercantur, litem breui bubulcus præteriens diremit, sublato siquidem in Vvestonum fuste aut sequere sis absque mora, aut ego te inquit ictum in caput vibrans, sepelibilem sterno. Sic proditione ficti Catholici deprehensus, & captus Vvestonus post dierum multorum insidias quas ei ad portas Londini tetenderat, vt ex datis ab exploratore sceleroso indiciis sisteret occurrentem. Gratulatus est sibi mirifice hanc prædam Vvalsinganus, qui à proditione, ad hoc eius caput anteuerterat emere, vt ad furcas Tibornas solenne de illo spectaculum ederet, ac si alias vnquam Catholicis maximè ignominiosum, (cuius se breui aperiet causa) aliunde Vvestonus pro grandi suo tranquilli animi robore pergebat lætus in carcerem, quam alacritatem augebat vicina spes sollicitudinis deponendæ qua semper anxiè stringebatur, ne cui suorum hospitum crearet periculum, eoque ab aduersariis intercipererur & loco, & tempore, ne illos sua causa in mortem, aut vincula raperent; cuius sui perpetui voti abundè compotem Deus fecit, & sic morarum di-

gessit momenta quæ pulsantem fores detinebant, vt sequi prius lictorem cogeretur, quàm panderentur fores; at non æquè illi processit quod sperabat, turrim nempe suæ huius viæ sibi metam, & terminum fore: illic enim & carcer crudelior, & immaniora torquendis fontibus inuenta, & truciores carnifices. Iam ipsi aliam Vualsinganus meditatò pararat custodiam in cubiculo duabus aperto fenestris, altera in forum proximè obuersa; in Tamesim altera, custode adiuncto milite à quo diu noctúque seruaretur. En autem illic peracti tridui nocte intempesta æra vrbis campana omnia, in sonos agi solennes & festos; mirari Vvestonus ad rei nouitatem; causam eius scitari à custode, qui nihil cunctatus hoc esse respondit publicæ alacritatis sonos ob deprehensam à regni Consiliariis Papistarum coniurationem oppido formidandam in regnum, & Reginæ caput, ad substituendam illi Mariam Scotiæ; reuocandum ad Catholicos regnum; statuendum in Sede Londinensis Episcopi Edmundum Vvestonum Iesuitam, nominauítque illi ex coniuratis aliquot sibi notos, iuuenes, nobiles, orthodoxos, ex quibus non temerè confecit, hanc esse vnam ex fabulis, Ministrorum fraude confingi solitis ad Catholicorum inuidiam, odia, & damna; ministerij vero sui commendationem ad populum & Reginam, sua toties fide ac vigilantia seruatam ex quo plebi daretur coniici, vexationes, & cruciamenta iure Catholicis infligi, non crudelitate, quam stropham Vvestonus inter consuetas sibíque diu notas, vel hoc ipso habendas credidit quod in ea personam induceretur agens præcipuam, partésque Episcopi Londinensis; sed hinc nihilominus angi animo cœpit ne grauissima tempestas Catholicorum rebus ingrueret vtpote Vvalsingani nimium conscius cui erat solenne fictis quas luberet rebellionibus, veri speciem certíque addere, ad hanc quidem se tantum argumenti & coloris tenere aduersarij censuerunt vt ei ingentem illi falsitatis appinxerint machinam, testibus quoque ad posteros eorum historicis, haud ita tamen ad sua commoda prudenter mendacibus, vt non etiam incautè, gestorum veritati auctoritatem fecerint, quam promulgauit postea Robertus Sothuuellus qui & rebus interfuit, & inter historicos Angliæ magnificè claruit; en ergo paucis quæ ex vero scripsit Antonius Babingtonus Dethikij natus in comitatu Darbiensi, familia nobilis, ingenio, literis, opibus nequaquam vulgaribus, præ cæteris autem synceri fuit, & candidi pectoris mirèque ingenui quodque in illum ardentius accendit tot oculos aduersariorum in ruinam veræ pietatis, & Religionis arrectorum, tenacissimus Catholicæ fidei.

Ob hæc mentis & ingenij decora, Valsinganus idoneum ratus est vt familiaribus sibi dolis in rerum nouarum studium ageret in quo multis cum similibus periret. Duos ergo de suis adolescentes legit, eruditiores cæteris perfidiosæ quam ei præstabant operæ, docuítque illos Balbingtonum qua circumducerent, donec in ruinam dedissent præcipitem. Aggrediuntur imperata, homini se sensim insinuant Religionis Catholicæ larua, graphicè personati; amicitiam eius captant, fidei ardore æstuant, eiúsque

que apud illum ſtatum deplorantes infelicem paulatim alliciunt, vt de remediis cogitationem, & ſermonem inferret, ac de ſoluenda tyrannide illorum, ac iſtiuſmodi, quos de nomine notabant miniſtrorum, totiuſque publici Senatus. Quid plura eò tandem appellitur vt clarè fateretur vnum ſupereſſe tot malis remedium, quo nullum iuſtius, & magis expeditum, liberationem videlicet Mariæ Scotiæ ex arce qua detinebatur, (quod paucis armatis pronum foret) & tranſmiſſionem in Gallias ad Duces Guiſios ipſius propinquos. Hoc ſolo vices rei Catholicæ vertendas in oppoſitum ſua ſponte, regni adminiſtros minimè dubios Reginæ poſt Elizabetham in regnum ſucceſſuræ, temperaturos maturè odiis quibus tunc furebant in Religionem Catholicam, nec fore immemores Reginæ ſummè Catholicæ geſtorum quandoque ſibi reddendam rationem, inductiſque animo ſenſibus quos ſolet in fatuis etiam ſpes, & metus acerrimos parere, abſtituros à Catholicis, vitæ ſuæ periculo vexandis, & profeſſuros ſaltem exterius conſeruationem Religionis quam oderant, hæc neque his plura, nec planè diuerſa Babingtonus ab emiſſariis perfidis Vvalſingani ſuggeſta non tantum probauit, ſed aliis item ad quatuordecim, rei peragendæ ſe ducem præbuit, haud quidem vt caput Elizabethæ peteretur, aut acclamaretur Maria in Reginam, (quæ duo ad ſummam inuidiam Proteſtantes non ſunt veriti addere, illorum vero hiſtorici, eiuſmodi cumulauere mendaciis, vt iis reuincendis ſufficiat auctorum inter ſe pugnantia, etſi alioqui non incredibilia per ſe viderentur, vera quidem & certa fraus duorum quos inſtituerat ad perfidiam Vvalſinganus, verè ab iis confictæ literæ, & legationes Mariæ Reginæ Babingtonum hortantis ad conficiendum negotium, & magnis promiſſionibus animantis, verè ab iis falſo ſpes Guiſiis attributæ, adfuturi præſto exercitus validi, ad fugam Mariæ tutò deducendam. Vera quoque arcani falſitas quo ſollicitari fingebatur ſcriptis & nunciis Rex Scotiæ Iacobus neceſſariis adeſſet præſidiis ad matris liberationem. Concinnata in hunc modum fraude, indiciiſque ſubornata veris, falſis, ad Catholicorum criminationem, & exitium; ad Mariæ Reginæ certam necem, proinde nunquam Anglorum dominio potituræ, Vvalſinganus eoruminſtructus diario quæ dicta, factáque quotidie fuerant, ſolertis ingenij ſolers, & fidelitatis meritum cœpit ſibi ex eo captare, iis palam nudandis tanquam recens conuentis, ſibi nunquam antea compertis. Babingtonus cum ſociis capitur, cognitorum ſubduntur examini, confitentes damnantur, ex iis ſeptem ſpirantibus, viuis reuelluntur vitalia anni 1586. Septembri menſe, die inſequenti, cum aliis ſeptem aliquanto mitius agitur quod efferatus horrore populus præcedentis diei carnificinam inſolentem abominaretur.

Spectabat interea Vveſtonus per ſeſqui ferè menſem qua ſolos, quà ſimul, quà illorum inſidiis vocati, in ſuſpicionem, duci, & aduerſo Tamiſi feralem barcam è Turri ſoluentem reis onuſtam Catholicis probè ſibi de facie notis, qui militari præſidio ſepti diligenti & firmo deportabantur Vveſthminſterium ad tribunal confeſſiones ſpontaneas, vel carnificum ex-

tortas brachiis ore tunc libero facturi ratas, auditurique mortis suæ supremum à duodecimuiris iudicibus carmen: confluxerat populi ad spectandos illos multitudo ingens, quorum ex obuersis in forum publicum carceris sui fenestris Vvestonus audiebat confusos, & rabidos fremitus; dehinc articulatè, horrenda in Papam, Catholicos, Mariam Scotiæ, Iesuitas, nominatimque in seipsum, quem nemo erat quin iuraret rebellionis huius architectum, fuitque necesse innocentiam illius esse in illo tribunali apertiorem meridiano sole, quam nec vulgi fama, vel ream, vel sociam reorum facere potuit, quod futurum omninò erat, nisi veri euidentia reos adegisset ad eam suo testimonio confirmandam: nihil omissum est doli, aut calliditatis à sagacibus illis versandorum reorum, & implicandorum magistris, quod non exercerent, vt suspicionis vmbra saltem in Vvestonum ex quatuordecim eorum deflecti responsis videretur posse; his tamen tam certis innocentiæ illius probationibus minimè saturi, quotquot Catholicos anno proximo contigit ad eorum tribunal produci, non destitére etiam extra causam quæstionibus fatigare vt de Vvestono syllabam expiscarentur aliquam, cui pro ingeniosa sua vafritie apud duodecim iudices adstruerent machinam coniurationis tentatæ aut proditæ maiestatis.

Tandem adit Vvestonum ex præcipuis vnus capitalium ministris; illóque de rebus Babingtoni leuidensè rogato, ac velut defungendi causa, sermonem detorsit in solennes Ecclesiæ aduersus dæmonem exorcismos, corúmque vim miram quam stupebant in illo etiam Protestantes, vt cui singulare tribuisset Deus ad spiritus impios possessis corporibus, & locis exterminandos imperium. Et circumferebatur de illo certa illustris facti & frequens fama magna, vi scilicet adactum dæmonem à Vvestono, vt ex arreptitio quem occupauerat exiret, post eluſa diu, & detrectata iussa, discessurum se denique, sed hac lege, dixisse, si per eum liceret in Elizabetham Reginam transire, cui Vvestonus; absit; téque ab ea quam longissimè, & vehementissimè arcero; quin illi potiùs felicia omnia & opto, & à Deo precor, ergo infert impurus spiritus, si per te licet, corpus tuum intrabo. Si per Deum licet, ipséque id iubet, bonis auibus veni reponit pater; sed enim cacodæmon haud sum ista stolidè furiosus, ioco dictum putato, nihilo si quidem apud te futurus sim melius quam in piaculari concha lustralis aquæ quo dicto mox ab energumeno discessit magnam aquæ lustralis, quam vt Catholica omnia profanant ministelli, & sacrorum exturbandos spiritus impuros, Ecclesiæ carminum publicè relinquens venerationem, ipsiúsque adeò Vvestoni. Qui translatus in ripam Tamisis alteram, inductúsque in honestam domum, sedere compulsus loco digniori, & tecto capite respondere iis comitatibus ab cognitore affectus est, vt illas Catholico Sacerdoti, & capto editas habiturus esset miraculo similes, nisi fictas facile aduertisset. Quærebat ex illo de primatu, quem sibi Regina capitis nomine in Anglicana Ecclesia tribuebat; de potestate Papæ in nuptiis Henrici VIII. & Catharinæ, fratris illius viduæ; de Babingtono, & Maria Scotiæ; sed hæc obiter ferè, aliud enim spectabant

rogata,

rogata, quàm quod præferebant, nempe vt Vvestono excuterent aliquid quo virum nobilem, cúmque locupletissimum, bonorum omnium iactura damnarent. Sed enim Vvestonus cautior in responsis, quam acuti forenses in quæsitis, nihil sibi excidere quod insonti posset officere nobili, quare intactis bonis, & innocentia integra, liber ab iis dimissus est. Vvestonus in suum carcerem, & sexto post mense in eum quem Clintum nominant perductus, magna quidem & sæua cognitorum suorum voluntate illum in destinatam reis insignibus, & enormibus coniiciendi turrim, si omnem se in partem agendo mali viri pilum deprehendere in illo potuissent, itaque Regina de illo sæpiùs inquirens, fateri demum coacta est Iesuitam Vvestonum probatæ perspectæque innocentiæ virum esse.

Maria Scotiæ Regina solenni iudicio capite truncatur, causæ iudicij huius quatuor. Huius mors, & virtus, etiam à Protestantibus celebratur. Societatem IESV quanti faceret, & quantum amaret.

CAPVT XIV.

INTEREA vero dum primos exigeret in suo carcere menses sex, longè grauior rerum moles Reginæ curas, Parlamenti consilia, & linguas populi occupauit causa videlicet toties memorata Mariæ Stuardi Reginæ ac matris Iacobi VI. qua Elizabethæ nulla erat sanguine propior, nulla post illam capessendo regno vicinior. Sonant passim historiæ, & theatra infelicissimæ Principis calamitatibus. Eius in Gallia, & Scotia infaustæ nuptiæ. Eiusdem illic à fratre Notho vexatio. Regno pulsæ fuga; exceptæ ab Elizabetha consobrina proditio, & carcer annorum octodecim decies sexies mutatus; ærumnarum sæpè lenitate, & acerbitate variatus, semper tamen à tantæ personæ dignitate alieniissima, quam frustra dixerimus innocentem, cum vocabulum hoc Elizabethæ conscientiam nunquam momorderit, nec consanguineæ nomen amabile ad pietatem permouerit. Mariam potius innocentiæ titulo nihil grauius onerauit, cum motus Principum externorum omnes, & intestinæ coniurationes prætexi crederentur innocentiæ nomine ab oppressione liberandæ, quod suis quicumque rationibus priuatis attendebat id omne Mariæ nec Sociæ, sed neque conscíæ molitionibus, & crimine aggredi putabatur. Anni octogesimi sexti medio Octobri, conuenit Londino Forthringayum Northamptoni

castrum Senatus quem ex vtroque Parlamento Elizabeth ad quadraginta septem in consilium legerat, ad cognoscendam Mariæ causam, quæ illic sub cruda Amicij Pouuleti custodia seruabatur; cuiuscumque porro futura esset modi formæve cognitio, & examen causæ. Deliberata certò mortis sententia iam erat in Mariam, quam crimen quadruplex, sed alienum ream fecit. Primum ingens & potens fortuna procerum maximè aulicorum, quos Elizabethæ caduca iam ætas vtpote annorum quinquaginta trium, & hæredis defectus monebat pro se esse sollicitos, & reuocabat in conscientiam præteritæ gubernationis, cuius esset ab ipsis Maria potita iure sceptro, & gladio repetitura rationes. Ad hæc in ista Scotiæ Maria Protestantium Episcopi, spectabant illam Elizabethæ sororem Mariam Angliæ Religionis Catholicæ seueram vindicem; seipsos vero, tanquam alteros ad palum ardentes Cranmeros, quare illis hi metus excussere funestam sententiam expedire rationibus omnium, & securitati mortem innocentis, vt nocentes securi viuerent. Præ cæteris autem Regij Præfectus ærarij ad Examen Mariæ quam ardens accederet, quantumque sua interesset, eam de medio tollere, testatus fuerat editione impudentissima libri ab se Anglicè conscripti. Quo abiudicabat post Elizabetham regni ius à Maria, tametsi filia natarum maximæ Henrici VII. Anglorum Regis, & Regis Scotiæ Iacobi V. contra vero ius idem attribuebat liberis, Herefordij Comitis, Henrici eiusdem secundo genita prognatis, quod iis se matrimonio copulasset, induissétque personam Maiestatis Anglicanæ capacem. Cuius libri auctori decretum erat hoc operæ præmium vt viuus configeretur clauis ad portam Palatij regiam, quod suos in pannos transferre purpuram tentasset, & rectas sanguinis regij lineas in successiones obliquas transcribere; sed huic supplicio interuenit, vnius ex primoribus aulicis perfidia impotens, qua datam Norfolciæ Duci, Arundelli & Penbruci comitibus fidem fregit, aliísque ex veterum Anglorum primarij sanguinis. Sed nihil potentius in Mariæ causa iudicum animos euertit, ipsa eiusdem inexpugnabili, sempérque incassum tentata constantia, quam nec ærumnosus annorum octodecim carcer; nec vitæ improbus aut seruandæ amor, aut perdendæ metus; nec duorum simul Regnorum certa spes Scotiæ suæ iungendorum à recta deflectere veritatis Catholicæ regula valuit, multo minus ab ea reuocare. Prædictum enim sæpius & denuntiatum palam ius recuperandæ ab ea cum regno libertatis, haudque quam legum vel rationibus, vel Principum gratia constare; sed protestata nouarum specie doctrinarum, quam haberet ad manum expeditam; ab ea tamen sic semper abhorruit vt ab eius sectatoribus pro inimica timeretur, ausúsque illi sit Caluini assecla Kentij Comes post eius Examen his verbis exprobrare; futura fuisset vita tua, religionis nostræ vita, quam esse intelligens summam & totam damnationis suæ causam mirè se sensit animo reficí, fuítque hæc princeps ratio qua infimi Ordinis patronus Pucheringus asseruit, nefas esse ab Elizabetha, cognatæ Mariæ vitam condonari, sed ingentis è contrario meriti eam de medio tollere, quòd religionis veræ (hoc est Caluinismi) victura esset periculo & ruinæ; Papismo

pismo videlicet cum lacte imbuta, nec vnquam deinceps à sacro illo diuulsa fœdere, & professione exosæ veritatis; sequebatúrque idem exaggerandis calamitatibus, & animarum toto ferè orbe infinita iactura si regnante Maria reditent Angli ad fidem Catholicam; redituros enim cum illis pariter, & Scotos, & Batauos, & Germanos, & Gallos, potiturúmque illis denuo & Papam, & Romam, hoc est (sacrilego scelesti illius politici stylo,) mancipaturum illos conclamatæ animarum suarum saluti.

Accessit tertium ad præcipitandam hanc mortem facinus, manifesta vis, & iniusta in lite instruenda, formandísque actis & titulis ex quibus esset carnificis gladio caput regium Mariæ addicendum, quam etsi optabant hæretici, quod esset Catholica in viuis non esse, sed fassi sunt tamen posterísque narrarunt fuisse iniustè damnatam, nec potuisse aliud ex cognitione illa causæ. Sequi ad quam afferebatur præiudicata damnatio, oportebátque vel ream vel insontem mori quam Elizabethæ vtilitatibus eiúsque Ministrorum conducebat in viuis non esse. Huius ergo iudicij æquitatem perfregit vis illa potissimum quæ à Nauo & Curlo Mariæ Scribis ducta est extra morem omnem in causis Principum seruari solitum, quorum salus, & innocétia nunquam in tuto sit, si scribis eorum secretioribus habenda sit fides, pronis pecunia & tormentis à vero deflecti. Fuisse vero huiusmodi Nauum patria Scotum, natura simplicem, & Curlum externum origine, ingenio malum quod obiecit quidem, Maria & indiciis, ac rationibus in testes quam contestata est fortiter, tam iniquè reiecta. Saltem igitur committerentur, vt coram ab illa conuincerentur calumniæ & falsi; quod ipsi adeo negari non poterat; vt eo negato acta causæ omnia irrita fierent. Sic enim prima lex Parlamenti Elizabethæ anno decimo tertio sanxerat, *Neminem esse in iudicium vocandum de pernicie in Principis vitam intentata, nisi ex testimonio, & iureiurando duorum legitimorum testium, qui essent coram reo sistendi.* Negatum id tamen Reginæ est, quod esset iis falsi reuinctis necessario absoluenda. Inde itaque crudo perculsa monito, de paranda morte, sub ferro carnificis; vt mentem masculam à fœmineo dolore temperauit, ita non potuit scribis suis duobus Nauo & Curlo non vehementer indignari, quærens ex iis quid tandem se fieri? & quæsito mox subdens, quando vnquam vel vbi terrarum & gentium, Reginæ caput damnatum est seruorum eius testimonio vænali, & empto? de coniuratione Babingtoni cuius illam insimulauerant, negauit sanctè se quicquam vnquam, vel sciisse vel olfeciisse. Nec dissimulauit sibi nimium notam texturæ huius manum, cum Vvalsinganum ex aduerso sibi ad profligandam causam inter iudices considentem appellans, sunt, inquit, hæ vestræ non meæ coniurationes, vestris in me domúmque meam artibus concinnatæ nec tacitè admodum per aulam & vulgus ferebatur, Amanuenses Mariæ duos, ab Amanienſi Elizabergæ emptos, extétque vnius illorum apud Camdenum Elizabethæ historicum repetitio impudens pacti ob proditam dominam præmij. Et scribit disertè idem historicus Reginam ferro carnificis periisse, *Amanuensium absentium qui pretio corrupti videbantur testimoniis oppressam.*

Quartam denique Maria criminis alieni culpam luit, temeritatem duorum nobilium, magna confidentia, magnóque ambitu susceptam educendi eam ex Anglia, sed tam ineptis, & indignis administratam modis, vt pro expectata libertate in perniciem miseræ principis demum exierit, sunt hæc duo turbulentissima ingenia quæ Anglos Doctori Alano, Seminariis, Personio & Societati sic inimicarunt, vt inde se semper in alios latius fuderit illa pestis, nec annus postea fluxerit ab eius contagione sat vacuus; sed non possunt hæc scribi sine legentium nausea. Hic tantum omitti non possunt officia perfida linguarum quibus suspectos Mariæ fecerunt, Alanum Personium, Lesleum Archiepiscopum eius apud Regem Galliæ legatum, ipsósque Principes Guisios, quorum hominum fide ac sapientia, tota primum, & vires nitebatur. In consessu quidem Parisiis de re Catholica apud Anglos, & Mariæ statu inter eos coacto (ex quo duo illi merito excluſi, eo væsaniæ proruerunt) valdè probatum est illud Personij, nihil prorsus omittendum ad asserendam Mariæ libertatem, sed ea obseruatione perspicacissima, vt quod visum esset in eam rem efficacissimum, & occultissimum, eius tamen haudquaquam vlli damno esset futurum si minus procederet, vel minus celaretur, quod erat iis illam iuuari præsidiis, quæ forent extra nocendi periculum. At enim huic tum saluberrimo, tum solertissimo magnorum virorum consilio, tractatoribus iis duobus nouis acquiescere non libuit, vt qui nec viribus, nec consiliis valerent, nisi ad elaborandas coniurationes. In partem igitur obstinauêre contrariam, priuandi Elizabetham corona & capite; vtrumque Mariæ asserendi; nec defuêre iis iuuenes stolidæ ac leuis armaturæ, quos suasu suo egere in furcam & sicas tortorum præcipites, ipsis interea securè in Gallia proditiones suas versantibus, dum aliorum periculo eas in Anglia promouerent. Hinc apud Regem Christianissimum iusta illa Elizabethæ expostulatio, quod duos in regno viuos ferret immanes sicarios, & vitæ suæ perpetuos insidiatores, maximè vero postquam Parisiis, Londinum misissent Ioannem illum Ballardum nomine, de quo hic plura non vacat addere. Vnius tragœdiæ tam multiplicem texturam etsi Maria ignorabat, ei tamen tota sic tribuebatur quod instrueretur in eius gratiam, vt ea incolumi, desperaret de vita Elizabeth, & teste Camdeno, *constare diceret salutem suam sine illius exitio esse deploratissimam*, audiretúrque apud se identidem vocem illam anxia, & cogitabunda dentibus terere, *ne feriare feri*. Quanquam fuit supremus ad sanguinolentam quam horrebat, & differebat cataſtrophem apparatus, ius dolosa & perfida ei à Consiliariis admota, illi enim quandoque ex condicto, seorsum singuli tam multos, domi, & graues tumultus finxere, tam certos foris & propinquos ad liberandam Mariam motus, & tam vrgens capitis discrimen, vt veris falsis denique cesserit, manúsque cruentæ sententiæ commodarit, dumtaxat vt clam se, ac velut insciа executioni mandaretur, se quin etiam inuita peractam rem credi voluit, vsurpata quadam ab vno ex scribis inferioribus potestate, quod qui putarit credibile, nihil ei possit, vel absurdum vel incredibile videri: at longè aliter Dauisonus quod ab se gestum

fuerat

fuerat probauit Vvalsingano, & hanc sui facti rationem in vulgus edidit.

Regiis itaque nudata ornamentis, & immani vt fertur custodis barbarie, in cultum plebeiæ redacta fœminæ, Febr. 8. caput ictu resciſſum duplici in manu carnificis reliquit anno ætatis sexto, & quadragesimo, carceris octauo & decimo, æui octogesimo sexto apud Anglos, qui annum inchoant à quinto & vicesimo Martij. Robore animi vitam clausit pari assiduis, & duris casibus, per quos illam piè, constanter, inuictáque in malis prudentia, si qua vnquam Regina traduxerat, vt omnino ex veris, Elizabethæ licet historicus eius celebrarit Religionis constantiam solidam; excellentiam Pietatis, generositatem pectoris insuperabilem, formæ vero præstantiam eminentem, iudicio tamen non imparem, laudum quas tulit ab aduersariis pars summa, maledicentiæ minimam non æquat, quam eorum linguis & calamis, Religionis Catholicæ odium in eam affundit quem pietatis heroïcæ honorem promerita est apud Deum. Non regni modo, & caræ libertatis, vitæque adeò inexpugnabili contemptu, sed eius in Scotia sua, & debitæ sibi Angliæ finibus fidei, & honoris ardore inexplicabili: qui fomes extitit Puritanis, & Protestantibus, dehonestandæ probris infamibus illius gloriæ cum nihil ei iam restaret sanguinis quod hauirient, Principem in iis affectauit locum Buccananus, secundus inter suos Puritanos, Mariæ post mortem carnifex suo illam crudelius necans, & lacerans stylo quam alius ferro. Ex quo vt nomen is retulit periti & docti carnificis, sic illa Reginæ omnium optimæ quæ homini mortalium pessimo tam esse inuisa potuerit.

Vix de amputato Mariæ capite vulgatum fuerat, cum totam Londinum, in hilaritates adulatio exciuit, in lætitias festorum ignium, & campana æra solenni sono strepentia vna cuius forte præ omnibus pectus ea gaudia blandius peruadebant, veste lugubri laruata, per suos historicos ea dixit quæ famæ suæ putauit commoda. Annos de cœtero quos inde transegit numero sedecim Mariæ metu expedita: satin' habuerit quietos non libet curiosius hic rimari. Tantum dico quod dixit ipsamet cùm fateretur peioribus se carnificibus, & doloribus traditam, discruciari, & distrahi; quam quos Mariæ immisisset.

Iam Reginis ambabus vt fuit semper oppositus in Religionem Catholicam animus, sic & in Societatem IESV affectus, & genius. Elizabethæ cordi æquè nihil fuit quàm vt nos exterminaret ab Anglia, quod nouem testa est rescriptis. Nihil æquè ardebat Maria, quam nostros in Scotia habere, extántque illius ardentes literæ quibus Personio, aliísque nostrorum conuersionem adolescentuli filij Iacobi, Regníque ipsius enixè commendat. Sibi autem priuatim, & propriè nunquam passa est ex nostris deesse aliquem, tum pietatis in Deum promotorem, tum consolatorem carceris ærumnosi. Legitúrque nunc etiam fragmentum epistolæ qua se vni eorum discipulam tradit, petítque ab eo libellos pios, documenta rerum diuinarum, & regulam eas meditandi; quæ claudit his verbis. Ego licet indigna

pro Societatis vestræ sanctæ conseruatione in eius obsequio, meas Deo preces porrigam tam ardenter, quam opto viuens, & moriens placere diuinæ maiestati.] nec vero ab nostris procul tantum sibi animæ acciuit solatia, sed ex iis vnum per annos aliquot in carcere habuit Sacerdotem, medici habitu & professione, qui tandem agnitus in exilium pulsus est, ac demum proximæ morituræ poscenti, ac roganti rogata est copia Sacerdotis, cùm essent tunc omnia Sacerdotibus capti plena ergastulis verum perpetuus carceris socius & indiuiduus animi consalator, vt eriperetur ei ab aduersariis non fuit in eorum potestate cùm adesse illi vbique ignorarent.

Secum enim Christum in augustissimo Sacramento circumferebat semper aureo vasculo ad pectus, & suas cum eius doloribus miscebat lacrymas, & consolationes, illúmque supremo dehinc vitæ articulo, supremum, ac summum malorum omnium medicum, ac remedium suis manibus sumpsit, quod ei licuisse haudquaquam dubitant viri docti, & putat Suarez, id ei fuisse à summo Pontifice facultate amplissima concessum.

Certant Catholici Angliæ Vvestonum redimere carcere. Obstat iis fortiter. Voluptatibus animi à Deo illic refouetur. Subiectus examini, instructis sibi quæstionum ancipitum se periculosis euoluit decipulis. Cum Protestante concertans ministello, Sacerdotes confirmat duos vacillantes; Alanus sacra purpura insignitur ingens Alani de Anglicana Ecclesia decus, & meritum.

CAPVT XV.

ERepta viuis Maria Scotiæ, & formidolosis timoribus quibus ea insonte, & tranquilla vltro se Anglia vexabat venitur ad Vvestonum, cuius etsi necandi causam supremum tribunal videbat nullum, sed acciturum facilem credidit, & promptam ab distincta explicatione diplomatis quod Pius V. promulgarat, non ancipitis quidem illa, & conditionibus arbitrariis incertísque suspensa, sed fixo disertóque iudicio & responsione in casus incertos vtrimque certò definita, in quibus altera confitentem olebat reum, suspectum altera; tenebatur Vvestonus carcere quem Clinkum vocitant; huius infimos specus

&

& fossas occupabat nequissima perditorum reorum colluuies. Claudebat media Regio, omnis generis, ætatis & sexus Catholicos, tam promiscuè, & confertim congestos, vt etiam illic multis annis marceret vir cum suis liberis, & vxore, quem explorator auarus & perfidus vt carius venderet, reum initio Sacerdotij fecerat, nec de miseri causa exinde tot annis cognitum fuerat. Superiora carceris incolebat Vvestonus cum Nicolao Smitheo Sacerdote, narrátque ipse de se toto, & amplius quo illic egit anno, diem sibi fluxisse nullum quem vitæ postremum non crederet, vel tribunalis Vvestmintherien sis, & Tiborni patibuli auspicem, passim adeò palámque ferebatur sic illi decretas à Consiliariis furcas esse, vt conceptam mortis in eum sententiam ad eius examen, & cognitionem causæ secum ferrent. Quibus populi dictis à nostris PP. Sothuuello & Cornelio tantum fidei datum est, vt conuenirent eum in carcere grauissimis literis, digníque scribentium virtute, & sublimitate argumenti, his eum & socium ardentes hortabantur ad decus martyrij, quod tanti esset ad rei Catholicæ splendorem, bonúmque animarum, & dignam ad hoc assumerent pectoris generositatem. Verum vt est doni prorsus gratuiti prærogatiua martyrij, hanc Deus interea Sothuuello ipsi, & Cornelio insciis destinabat, Vvestoni carcere annorum septemdecim, & exilio contentus. Obstabant anhelis Vvestoni desideriis Catholici omnes præsertim nobiles, quibus parentis loco erat, & ad obtinendam eius libertatem adeò nullis parcebant machinis, vt non sint veriti ad hoc etiam admouere intercessiones primorum aulicorum, in quibus tamen repertus est nemo tam lubricæ tentator aleæ. Quin & ex iis quidam, si de latrone, inquit, homicida, sicario, pirata res esset, auderem, aleámque tentarem spe forsitan aliqua, conficiendæ rei. Iesuitæ nomen, etiam innocentis, atrocius aliquid apud Reginam sonat, nec ausim in eius auribus id nomen efferre. Nec erat incassum, & inanis hic metus; nam si suis Legatus Regis Christianissimi studiis ab Imperatore Turcarum euicit ne nostros eiiceret, vel suis apud Christianos ministeriis arceret; Elizabethæ ingratiis id factum exoratúmque est: nam suis apud Principem illum officiis in oppositum ardenter institerat. Quid ergo ab illa domi suæ fuit expectandum, quæ tam procul, & domi alienæ tam infensum in nos gereret animum.

Nobilitatis Catholicæ tam pia & feruida studia in Vvestoni liberationem latere illum non poterant, sed vbi accepit eò procedere, vt larga multorum contributione certaretur de illa redimenda, scripsit ad illos, vehementer dolens, & partim quod contra rem suam venirent increpitans, partim rogans infimis precibus, ne immoderato erga se amore, damnum sibi conscisserent iactura omni maius, & honorem sibi præriperent iam forte de cœlo proximè imminentem, suos eiusdem Ordinis, & animi fratres abiecta patria & caris omnibus semestres ambire, & procellosas nauigationes, in expectationem sudoris aut sanguinis pro Christo fundendi, fore nunc beneuolentiæ crudelis hac se repente tam pretiosa spe ín rem propemodum vertenda priuari, & grandiori suo quam illorum sumptu caput

sibi seruari, coronam adimi, haudquaquam sibi viam eiusmodi signasse, tot omnis generis, & conditionis Catholicos, & sacros, & laïcos, qui iaminde ab Henrico VIII. Religionem veram suis mortibus propugnassent. Subdebátque sibi eorum molitionibus si emitteretur è carcere inuitus, non suffecturum os deinceps ad ferendos hominum oculos, & linguas ac suimet pudorem, miserationem, & horrorem.

Inter hos conatus eximendi è carcere Vvestoni, verisimile est partem habuisse Principem fœminam Comitem Arondelli, pietate quoque illustriorem quam sanguine, dissimulata quidem vulgari habitu personæ dignitate, cum eius visendi facultatem ab eo exorasset, & à carcerario emisset, post multa de animi rebus, paratam se obtulit ad eum quocumque tandem aut modo, aut pretio liberandum; cui subridens pater. Me, inquit, Domina alienum æs carcere non tenet, quod abs te dissolui debeat; tum rationibus è sublimi ductis, auertit illam ab eo consilio illi quidem perhonorifico, sed sibi minimè congruenti. Sic durans paranda, vt loquitur, extrema quam quotidie expectabat hora, varia cœlitus animi voluptate reficiebatur, cuius pars extitit non parua trium animarum ad rectum conuersio ex carcerarij ipsius familia; & sacrificij diuini continuata diu celebratio, qui enim subiecta custodia detinebantur Catholici, ad pulsum & horum Vvestoni, supellectilem sacram aptabant funi è superiori fenestra demisso, recipiebántque re diuina peracta priusquam cœlum albescceret, vt Sacerdoti quem secum habebant celebraturo in promptu esset.

Sed fuit eo effusior, quo minùs præuisa lætitia, qua omnes pariter Christi natalem celebrarunt. Erat in iis vnus olim hæreticus, & Catholicorum, in carcere custos. Hic arte sibi nota & familiari recludendi seras, piè vsus nec minùs celeriter, ante mediam noctem omnes sui carceris socios transtulit in superiorem Vvestoni custodiam, vbi multis cum lacrymis, & alacritate sancta diuinis operam dedere. Vvestonus omnes audiit confitentes, omnibus in trium sacrorum aliquo sacram Eucharistiam præbuit. Omnes demum, qui prius eduxerat doctus pandendarum forium artifex iis eadem industria suo quoque carceri reddidit.

Post mensium aliquot mortis aut vitæ moras ambiguas, vocatur improuisus ad examen Vvestonus. Ponuntur ei ob oculos Biblia sermone vernaculo è schola Caluini vitiata, vt tactis iis iuratus sponderet se clarè atque ingenuè ad interrogata responsurum, & respondit etiam clarius quàm vellent; cæterum negauit omnino iuraturum, non quod recusaret ab deprauatis & falsis Bibliis testimonium verò asserere, aliáque vt ipsi rebantur, editionis vulgatæ poscceret; sed vobis laïcis, mihi Sacerdoti, satin' air, videtur hoc esse idoneum tribunal, cuius tanquam legitimi, auctoritatem iurando sanciam. Responsionum mearum fidem quod attinet, hanc vobis securam præstabo: eius pignus habere Sacerdotis promissum, iureiurando cuiuis apud me non impar, si quæsitis vestris conscientia integra satisfacere potero, faciam libenter, & candidè: si Religioni & Catholicis videro obfutura, de iis ex me nec flatum, nec fumum exprimetis, sic ille animo & vultu

vultu nihil discrepantibus ab illa verborum libertate. Quare omissa quam poscebant iurisiurandi cautione, venitur ad interrogata, quibus illum tam multis (consederat enim forensium capitalium series bene longa) tam perplexis, longinquis, caprioſis, tam densè ac pressim mutatis vicibus lacessiuêre seorsum singuli, vt horas quatuor solidas quærendo tenuerint, nunquam eo vel vnguem deflectente à responsionibus sinceris & perspicuis, si fas esset, sin autem à religioso Christianóque silentio: nunquam propterea hærente ad quæstiones malignè compositas ex conditionibus futuri dubiis, qualis inter multas, quas esset in partes iturus, Hispano Angliam inuadente, quod tunc magno parabat molimine, cuius ictum quæsiti facile fuerat exire, si se forensis improbitas intra facti lineas concluſisset. Pronum siquidem erat expedire se ioco, & dicere in neutras iturum, cum obseruaretur ab suo carcerario tam belle, vt passus quatuor prodire sui non esset arbitrij. Sed volebant de mente illius ferre sententiam, vrgebántque quod esset facturus si iuris sui foret. Quare ille, si rogaret, inquit, bello sacro, cuiusmodi plurima gessêre Christiani, quid sim consilij capturus; suppetet & illico responsum conditioni meæ idoneum, quam ea bella minimè dedecente de bellis cœteris abest à me tam procul vt cogitem, quàm à Sacerdote, vt velit transire in militem. At enim, resumit alius callidius vafer; ponamus arma quæ minatur Hispanus Religionis titulo moueri, quibusnam tunc accessurus sis, Hispanis? an nostris, aut si te arma & bellum non iuuant Sacerdotem, & religiosum, etsi sacra, & religiosa; quid consilij daturus sis, petenti quibus accedere debeat? Cui, nihil cunctatus, nec hæsitans Vvestonus: de me, inquit, hoc certum, & indubitatum habetote, hoc rerum articulo nunquam fore me cuiquam auctorem consilij ex quo possit religioni Catholicæ detrimentum sequi, cuius dicti vnius plena breuitate, satis ab se factum, & interrogatis censuit, & conscientiæ; nec adduci præterea valuit vt explicatius aliquid aut subtilius adderet, nec vero illorum intererat aliud audire quo illum morti addicerent, cum haberent illum pro Christo & fide Catholica confitentem reum, quam confessionem in procinctu erat vt apud duodecimvirûm tribunal iteraret. Remissus inde suum in carcerem, expectatissimus iis venit Catholicis quos carcer infimus claudebat, scripto enim ab eo dari sibi responsa plurimum rogarunt, quibus satisfecerat quæsitis, sibi videlicet ad idem tribunal vsui futura, à quo se in horas vocatum iri opperiebantur.

Pendente in hunc modum Vvestoni causa, en illi repentè in carcere nihil tale cogitanti vir nobilis qui sua vel superioris potestate inde illum inducit, vbi expectabatur à Protestante ministello scientiæ nomine inter suos insigni, & hunc ad te inquit Theologe! Theologum pariter adduco, vt tu Vvestone, pro sua doctrinæ præstantia de capitibus aliquot fidei docentem placidè audias, & discas de iis quid te oporteat sentire, cui Vvestonus comitatibus omissis: ego, inquit, vt discam hac ætate, quid à me credi oportet, egeo nemine: ergo, infert nobilis, inter vos soli de iis conferte. Miratus hic Pater, hoc si mea causa fit, tempus ait, & opera luditur; sin ad ve-

ritatis luculentiorem perspicientiam cur nos soli? caret nempe Academiis Anglia? & theatris ingenij; Londinum, vbi se veritas magnificè proferat, nisi ad hoc mavultis abstrusam perpetuo quærere, vt inuentam peius abscondatis? sunt, inquit nobiles, sunt certè theatra producendæ in publicum sua cum gloria veritatis, sed ab iis arcetur vestra vox, ne illius efficacitate minis multi ad eam deficiant. Viámque illi proposuit aliquanto diuersam, & sedatiorem Theologorum sex Protestantium, & Catholicorum totidem, concertatione disputandi minori strepitu eodem spectantium quò magnis tumultibus, Academiæ frustra contenderent, quod libenter quidem, sed hac lege admisit Vvestonus, vt suos pars vtraque haberet notarios proprios, qui ad singulas quæstiones argumenta exciperent singula, & eorum distinctè solutiones iis adiungerent, communi vtrinque, & eadem fide. Qui possent vincerent, cæterum acta disputationis ederentur legitimis auctoritatibus firmata; sed hic parum tenax propositi nobilis, hoc demum est ait, velle simul & nolle, statímque sera obductis foribus, in quartam post horam redituros ambos intus conclusit. Erat Minister hæreticus, quod in eiusmodi literatis rarum, affabilis moderatíque ingenij; cui proinde sua modestè proponenti, solutiones similiter contentione procul claras subdebat & solidas; paucísque vtrinque non magna, nec tota vi exceptis & repulsis conuincebat, vt illam tunc Pater solitudinem doleret disputationis. Verum ignorabat adesse qui auditent, tametsi latentes, nec æquum erat tam vtilem glorioſámque pugnam sua victoria, & fructu carere.

Inter alia certatum, interpretatio sacrorum codicum an esset cuilibet permittenda, qui se vt pro certo Caluini asseclæ profitentur, ad hoc animo fingit spiritum sanctum habere præsentem, & quoties lubitum fuerit, vilem ex officina sua opificem, ex lauatrina mulierculam docente hoc spiritu interpretari Dei mentem. Quod tam validis Pater, & perspicuis argumentis falsum probauit & friuolum, vt Ministrum haberet, non secum modo sentientem, sed fatentem sincerè atque fideliter esse prorsus nobiscum sentiendum. In confessionis sacramento, & aliis quibusdam, multa sibi quoque nobiscum placere concedebat, aliqua non item. Regresso denique horas post quatuor nobili, nec sat Caluinista, nec satis Catholicus abscessit; suo Vvestonus carceri redditus, Philosophabatur apud se cui bono, & à quo, commissus esset solus cum eiusmodi homine, & solo, & tamdiu? cui post triduum adhuc ambiguo amicus adfuit visendi gratia, ignotus quidem, sed miræ comitatis, qui sermone illato de obita disputatione, optatóque illius exitu, cum animaduertit loqui se Patre peregrina; narrare ortus est Sacerdotes fuisse duos quos metus tormentorum, & prædicantium fraus in transfersum agebant, desertores propediem futuros, quanto Catholicorum dedecore ac dolore, tanta Caluinistarum insultatione & triumpho; latuisse illos in contiguo disputantibus conclaui suspensis auribus perattentos; visam esse illis tam clarè, & inuictè soliditatem Catholici dogmatis à Patre exponi; eámque sibi vim Christianæ generositatis animo infundi, vt parum abesset identidem quin latebras rumperent ad obiurgandam Ministri cæcitatem,

tatem, & suam ipsorum cum gratulatione deplorandam, ex qua Dei beneficio sentirent se à P. Vvestono liberatos, atque in posterum expeditos ad veritatem fidei, quam ante odissent per mille supplicia & mortes propugnandam.

Hinc suam didicit Vvestonus nec solitariam fuisse, vt indoluerat, nec absque magno operæ præmio disputationem, duo enim illi Sacerdotes, & quod inuicem sanctè pepigerant, & pariter Deo simul promiserant, magna fide magnóque exemplo præstitêre. Alter non diu post data pro Christo vita inconstantis notam quam vacillando contraxerat sanguine eluit. Londini alter conscenso pulpito quod ad crucem extat cœmeterij S. Pauli, coram multitudine alia omnia expectante, palinodiam altè canens execratus est Caluini errores, statímque propterea furente in eum populo, raptatus in carcerem, & compedibus oneratus. Estque hic ille de quo aliàs Antonius Titellus, felix si quam subinde facilè hauriebat diuini spiritus potentes, & violentos motus, tam constanter fouisset ac fortiter; non fuisset eius vitæ cursus fluctuatio perpes, & deformis, nunc in martyrium assurgens, modo se in apostasiam retorbens, quoad eius demum tacti miseria Catholici transmisêre illum in Belgium, vbi eundem vitæ, & inconstantiæ sortitus exitum, mirum quod diem Catholicus, & pœnitens clauserit.

Annum hunc æui 87. dignè coronabit vocatus ad sacram purpuram Alanus, magna Sixti V. Summi Pontificis gloria, qui tanti eum fecit; summa Personij voluptate: qui se tunc Romæ votorum compotem gestiit, quibus Philipo II. institerat vt eum poscceret Cardinalem quanquam sibi potius Alanus hunc honorem quam cuiuis alteri debuit, nec minus illi decoris contulit, quam duxit ex eo splendoris. Verum hanc lucem meritorum refugiebat eius modestia, æquitatem spectabat fidissimi, & amantissimi Personij ea fructuosè vtilitérque producere. Ac circumscribamus licet viri egregia in Ecclesiam merita Seminariis duobus Duacensi postea Remensi; æstimemúsque illius in ea sumptus, labores, curas, defensionem, tutelam, pericula, non rerum modo sed & vitæ ipsius, conficiemus profecto, quantumcumque honoris, gratuitum ad hæc promerita non fuisse. Duacense quidem, scribit auctor illius temporis, primogenitum fuit inter illa, quæ sacrosanctæ synodi Tridentinæ constitui iussa sunt mandato. Hoc plus mille numerum Sacerdotum, annorum tractu nonaginta suppeditauit Angliæ laboranti, quorum centum ferè quadraginta, vita & sanguine, Catholicæ fidei quam prædicauerant subscripsêre. Nec vsquam priùs aliunde Angli excolere patriam suis sudoribus missi sunt, quàm ex Duacensi Collegio viam iis feciissent, & complanassent centum Sacerdotes.

LIBER QVINTVS.

Classis Hispanorum Angliæ imminet, magnisque propterea Catholici arctantur angustiis; infestum Dudleyi Leycestriæ Comitis in eos animum, & minas inexpectata mors præuertit. Vvestonus Londino Vvisbicum transfertur, obitérque desperabundum in morte Catholicum in salutis fiduciam reducit. Angliam subeunt PP. Oldcorneus, & Gerardius qui Falconerij vocabulo delusis custodiis admissus ingreditur.

CAPVT PRIMVM.

CLASSEM illam Philippi secundi graue pridem & grande tonantem, anni huius octogesimi octaui Iulius explosit in Angliam, vbi mari viciſſim terráque alacriter opperiebantur illam Angli, sed impugnaturis eam terra ne opus quidem fuit in conspectum prodire congressibus quatuor ventorum, peritia nauium, & armorum naualem victoriam Anglis integram dedit. Dum vires vtrique in prælium reparant, tanquam victi, missique sub iugum Catholici miseris modis opprimuntur, eósque nudum Catholici nomen domi apud suos, pertinacius traducit pro hostibus, & proditoribus, quam facta fortia contra hostes, pro generosis fidíque ciuibus ac nisi eorum in gratiam insinuasset Reginæ Deus sensus mitiores quam quos eius nonnulli coquebant Senatores; actum erat de illorum vita, & à propria suorum strage, qui fingebantur cum hostibus sentire, auspicabatur externam victoriam; quin & ipse Leycestrensis Comes, cuius tota erat & Reginæ, & Regni potestas, iurauerat ante annum vertentem non fore in Anglia Papistam nisi capite truncum. Iámque illum Regina maiori amoris quam consilij instinctu præfecerat Angliæ, & Hiberniæ Proregem, tametsi hoc diploma ne exiret: auctores fuerant Reginæ Cæcilius ærarij, & Hattonus cubiculi præfectus, ne ambitione impotenti Proregis quem creasset fieret ipsamet Proregina. Sed futuri

futuri præsagus & arbiter Deus, damnis occurrit exitialibus quibus non poterant tristiora quam à ministro illo timere Catholici Septembris quarto sceleſtam animam vomuit, veneno an ferro domestici famuli, dubitet si volet Camdenus, certè anni eius non vidit finem quem præuenturum se Catholicæ fidei clade vltima iurârat. Immenso post mortem nominum pondere deprehensus est fisco obnoxius, cui propterea leuando bona eius omnia sunt adiudicata sublato è viuis tam immani. Protutè interquieuêre tantisper Catholici, quemadmodum & biennio post extincto Vvalsingano; illo vt sui quoque illum notant politicarum perplexationum, & ambagum magistro vaferrimo.

Iam ex malis quibus per hos motus armorum vexatus est Catholicus innocens, fuerúntque pars apparatus ad bellum Hispanicum, ea solum quæ ad nos spectabunt referam. Imprimis igitur delibatus est ex omni carcere Sacerdotum delectus, quorum esset apud Catholicos præcipua veneratio, & fama, iussique sunt extra frequentiam hominum, ac propè extra Regnum in Castellum Vvisbicum compingi, & putentibus illis ergastulis sepeliri. Ex iis fuit Guillelmus Vvestonus, idcirco in viuis seruatus, ne morte illius maiorem in modum proritarentur Catholici, quibus vnicè quidem erat carus, sed hanc ipsam ob causam, amouebatur ab ipsis longiùs, ex regula suspicioſæ semper in peius politicæ, ne si quid forte incideret, suo consilio, & auctoritate Catholicos posset in damnosum aliquod facinus mouere. Denuntiatur ergo illi Reginæ nomine Vvisbicum migratio in extremis ferè Cambridgiæ finibus. Dantur illi tres dies, ad captandum ostiatim ex amicorum pietate viaticum, cum adiuncto sibi ad latus milite quod nisi vltro ex auaritia concessum fuisset, optasset ipsemet, omnesque Catholici caro emptum. Postridie si quidem laïci habitu, (Londini aliter non licebat) visere passim Christi Confessores, tum Sacerdotes, tum laïcos quacumque custodia tenerentur, cum mutuo sensu incredibilis consolationis; inde pari nummorum dimisso custode liberè quo vellet excurrere dumraxat, vt suo se carceri ante noctem referret, tantùm satelles hæreticus credidit hominis sanctitati, vitæque suæ periculum in fidelitate ipsius securè deposuit. Hac solitudine oberrandi, vsus est magno bono Vvestonus, reuocando præsertim Catholico nobili ad fiduciam salutis. Iacebat desperabundus in extremis séque iam velut dæmonibus datum in prædam vociferabatur, quibus nec delirans, nec imaginosè, sed reipsa spectabat refertum cubiculum, iusto in hominem planè sceleratum Dei iudicio & salubri exemplo ejus similium. Sudauit plurimum apud eum Vvestonus ne se priùs damnatum (quod ille obstinabat) quam iudicatum statueret, Deo confideret, nec peccata cœtera, grauiori omnibus desperatione oneraret. Rogaret veniam, hoc tantum, dare seipsum, pro illo vadem veniæ obtinendæ. Deus tandem, insignis fortassis opere aliquo miseri permotus suauem Vvestono suggessit curandis hominis rationem, quærit ex illo de culpis anteactæ vitæ, & velut narrati expressas, format pedetentim veri sensu doloris in idoneam confessionis sacræ materiam quam vt serio in-

choauit, vidit impuros qui lectum arctabant spiritus paulatim abscedere Ac tanto longiùs, quanto pergebat vlterius pertexendis quod cœperat peccatis, quod tandem omnes conclaui excluſi, respectabant subinde ex foribus, eíque iratis vultibus terrorem & minas ciebant. Referebat hæc ipse adstantibus se videre, iis enim illa quam sibi potiùs cernebat; solutus denique à peccatis omni pariter absolutus est, & paucas intra horas mira salutis fiducia, & serenitate animi obiit, sacro viatico Vvestoni ministerio instructus. A quo paulò quam spiritum efflaret curiosius inquisitus, vnde illi cogitationes tam desperabundæ, tantúsque horror exhomologesis tum Catholico licet, & multos iam annos, pro fide Catholica molestias carceris perferenti. Pœna, inquit, vocibus moribundis meo sceleri apta, & debita; pergebam miser in carcere, accumulare offensas in Deum perpetuas, nunquam tamen illas Sacerdoti, nisi mutilas & ex parte pandebam, mali dæmonis astu stolidè persuasus, non confessionis sacræ diuina efficientia, sed voluntariis pœnis peccata deleri.

Aderat dictus profectioni dies, Sacerdotes duodecim ex diuerso solerti carcere traduntur præsidio militari Vvisbicum deducendi, tota ad eos effunditur Londinum, Protestantes mixtim, & Orthodoxi; ad spectandum illi, hi ad salutandum, colloquendum nutu, poscendum demisso capite faustam eorum adprecationem, & sublatis in cœlum oculis assiduas apud Deum preces. Quocumque porro diuerterent humanissimè supra spem habebantur, debili ad fores custodia, & hac magis ad inhibendos insultus aduersariorum, quam Catholicorum in eos pietatem. Vvisbiscum abacti, Gubernatori arcis committuntur, à quo die postero, solennibus nundinis magna ignominiæ pompa in castellum ducuntur, sua quique in ærumnosa ergastula detrudendi, & suspicioſa diligentia seruandi, iis in lautumiis commorantem Vvestonum haudprius reuisemus, quam eum indignè turbulenta quædam ingenia, & à Ministris regiis decepta, vndecim post annis in Londinensem Turrim reuoluerint cruciabilius seruandum, & arctius, tunc autem de viri sanctimonia, at innocentia, rebus gestis, & tolerantia referemus quæ vtiliter legantur, nec sine admiratione. Hanc interea Londini vnius iacturam, pensauit duorum aduentus. Ioannis Gerardij qui magnitudine gestorum per annos octodecim, nostram hanc locupletabit historiam, & Odoardi Oldcornei laborum eius, & carceris, mortísque beatæ cum Henrico Garneto socij.

Natus est Ioannes Gerardius (apud Belgas Tomsonus) in Prouincia Dalbyi, Licfeldiensi Diœcesi, Patre Thoma Gerardio, sanguinis, fidei, & carceris nobilitate illustri, à Magistris Catholicis (quorum vnus deinde Societatem nostram complexus est) eruditus est Latinis & Græcis ad annum ætatis sextum & decimum in Collegio Excestrensi Oxonij nominatissimo. Sed illinc breui coactus excedere, quod communionem de profana Caluinistæ manu recusaret; triennio post in Galliam transiit, facultate tunc nobilibus facili ad linguam vsu condiscendam, Remis egit, sed extra Collegium Alani, quod vti studiis illius obfuit non parum, quæ præter

scripturam

scripturam eiúsque interpretes fermè alia non tractabant; vice versa eius pietati contulit plurimum, ad quam ductores habuit magnos illos Bernardum, & Bonauenturam, quorum perpetuò terebat opera. Ibidem egregium iuuenem Deus illi obtulit in familiarem, quem adegerat accisa valetudo ad tyrocinium nostrorum relinquendum, vt natiuo cum cœlo pristinam hauriret sanitatem. Eorum inter se necessitudo omnis deliciabatur in diuinis rebus; & hinc primum Ioannes desiderium concepit Societatis ineundæ. Alterum orationis quæ mente peragitur, magisterio est imbutus, cuius deinceps illis horas non metiebatur clepsydra, sed sapor pietatis.

Exacto iam Remis triennio, post non longas Parisiis moras, Rothomagum adiit, vt recèns illuc appulsi Personij exoraret opem ad Societatem obtinendam, qui ante omnia illi auctor fuit vt in Angliam remearet, rei domesticæ ita componendæ, ne qua foret de illa tum quosuis in casus, tum in perpetuum vel sollicitus, vel memor; confecto post annum negotio dum furtim ex Anglia cum Catholicis aliis in Galliam redit, fœda quinque dierum tempestate vento demum vela permittere compulsus. Dubrim iterum subit. Inde ipse eiúsque socij pro fugitiuis tenentur Catholicis, quod nullo essent muniti commeatu; Londinum mittuntur ex legum & Parlamenti scitis. Coniectis in compedes cæteris; nobilitatis fortè causa Gerardio parcitum, sed datur materno auunculo Protestanti euertendus, tentatúrque ab eo cassis conatibus, vt vel semel in hæreticorum templo videndum se sisteret, quod vnum ex eo poscebatur. Exhaustis in irritum auunculi artibus, suis illum pro more fraudulentis, frustra pariter periclitatus est Londinensis Episcopus Elmerus, ac demùm Reginæ Consiliarij à quibus Equite Martiali (nomen est carceris) clauditur ex quo bis ad tribunal productus suam inuicti Catholici firmitatem ea defendit generositate, vt inde sua insigni cum gloria, mulctam retuleritl bis mille florenorum, & perpetui carceris, sed potentium amicorum intercessione post annum liber, dato si quando reuocaretur ad tribunal, qui repræsentaret illum vade: vadem nactus est vt genere nobilem, ita Catholici pectoris amplitudine capacem, qui quicquid se tandem futurum esset in posterum, fugam ei permisit, Romam ergo peruectus, in Seminarium Anglorum à Guillelmo Holtio ducitur, vbi quæstionibus controuersis, & Theologiæ de moribus cum diligentem dedisset operam, Sacerdos consecratur, paucis illi ante legitimam ætatem mensibus condonatis. Cumque illi ad votorum culmen nihil deesset; præterea nisi vt adscriberetur in Societatem, die fausto susceptæ in cœlum Deiparæ hoc seculi anno 88. à Generali Aquauiua in eam coaptatur cum fido sodali Eduardo Oldcorneo, diéque eodem mittuntur in Angliam Religioni fortiter excolendæ operam nauaturi.

Augi cum essent ad mare Nordmanniæ nauim conscensuri, crebris terrentur vndique nuntiis, totam metu anxio Hispanorum, suspicacissimis, & timidissimis custodiis vallari Angliam, nec solum portus, sed & plagas desertas & auias, quin vrbium quoque in ipsis mediterraneis, & apertorum aditus pagorum septos, & quisquis accederet, vel Anglus vel externus

nisi aliunde sat notus, suspicionem de se facere Catholici, proditoris, & hostis. Interrogari à custodibus plurima, post ad seueriores Radamantas duci; acuratiori examine introspiciendos. Angliam denique tunc esse vndequaque impenetrabilem, astu potissimum & arte ad eius ingressum egentibus. Pari nihilo seciùs animi celsitate ac Dei fiducia, pergebant nostri vltra ire, per quicquid periculi obstaret, cum à Generali Præposito monentur, inter se videant, consulant, quod in commune ambobus maximè probaretur, id agerent. Condicunt igitur cum Nauarco viro bono, & fido, qui se illos spondet securè transuectos, expositurum vbicumque vellent, & vero per triduum tractus secuti boreales, vtpote quo magis Londino diffitos, & solitarios hoc minus custoditos, stetêre in anchoris è regione deserti littoris ad quartam noctis horam, séque in illud Scapha surdo remigio eiecêre.

Erat nox illa necessaria magis illorum timori quam itineri commoda, cæca, pluuia, frigida, vt solent in illo aquilonari gradu Octobri exeunte. Tam securi, quam recti tenebris, hærebant incerti quo verterent, quoad illis prospectum à mari interiora satis longum monstrauit nascens dies. Illuc se per calles fortuitos immittunt, sed infeliciter adlatrantibus ad eorum strepitum villarum molossis, & viciniam omnem excitantibus. Quare proximam nacti syluam in eius densiora se induunt, & illic madidi rigentes, taciti sustinent quoad die iam claro Londinum versus diuidantur, sorte viam legunt quam prior iniret quæ patri obtigit Oldcorneo, mox tenue illud quod secum tulerant partiti viaticum; sylua emergens Oldcorneus ad mare regrediebatur, nec multum processerat cum nauim aduertit modicam Londinum vela explicantem, cursúque præcipitat adiungi vectoribus quasi minimè ignotus, sed in nauis illius expectatione; nec suspicionem mouit homo ex mediterraneis veniens, nec scrutatus est ex eo quisquam quis esset. Sed nauis ingressum tam facilem quem ei audendi libertas propè familiaris dederat, ardentior pietas tantumnon abstulit. Dum verba nautarum spurca, sacrilega, morésque improbos, crebra inferorum, & mortis inculcatione castigat. Verum iis, tam comem, tam se beneficum, gratúmque præbuerat, vt dicta illius quantumvis aspera bonam in partem acceptá vtiliter coquerent eíque quocumque nauis ferret etiam Londinum ductores, & fideiussores securi fierent, velut vnus foret eorum ex numero: sic tanquam ludibundus rogante nemine, vel morante loca omnia persuasit, persuasis vbique custodibus esse illum nautis pridem notissimum.

Impediriores habuit Londinum accessus Gerardius, vt qui terra veniret, luce palam & in omnium oculis; nec suum homini etsi crebro felix, ingenium, in discrimina valuisset, nisi Deo peculiariter iuuante. Progressus si quidem cum sole, suæ illius è syluæ penetralibus latebris, cœpit data opera transuersis campis inerrare. Commentus sibi futurum tutius, quod suspiciosius videbatur, cernens enim ex aduerso procul rusticorum turbam, séque illos videre dissimulans, circumspectare, suspicere, figere

oculis

oculis arborum procera, & maxime denſa, ſubſiſtens, retrocedens, quærenti ſimilis, & quærendo feſſus deinueniendo quod quæreret deſperanti! dein longè adhuc à ruſticis Eia vos? pueri! ecquid forte hac vobis circum apparuerit volans falco peregrinus, argenteo ad pedem cruſmate, nigricante pluma. Partitis hoc & illo colore alarum extremis, pergebátque illis auem deſcribere, vt erat eius aucupij à puero tum mirè experiens, & tum eorum naturam, alitum, ingenia, indoles, domituram, morbos, educationem apprimè callens, quibus eximie ſæpiùs diſſimulauit Sacerdotem dum ingreſſus domos hæreticis mixtas ad Catholicos iuuandos ita proprie ac ſcitè artis eius ſingularia omnia explicabat, vt excellere in ea crederetur, Sacerdotis autem, nec pilum habere hic negant ruſtici falconem à ſe viſum doléntque requirentis ſollicitudinem inquietam & cum eo ſparſis ſublime oculis, in cacuminibus arborum aliquoties fruſtra quærunt ipſe viros ſimplices præteruectus iter ſequitur oberrans, & aucupans & miſſis in ſepes lapidibus, notóque in auras clamore, ac vocibus, ſuum qui nuſquam erat falconem ad reditum, & prædam ſollicitat. Millia octo quaſi vagus explerat, cum maris nauſea, noctíſque proximæ fractus incommodis, & fame triduana quam illa aucupij ficta ſed laborioſa ſimulatio acuebat, in diuerſorium ſecedit, narráuſque de falcone quod conducebat tegendæ fabulæ, cibo reficitur, ſed cautè præuidens, ſe ſolum, & peditem, & malè à veſtibus paratum, habitum iri pro errone, & improbo, quales ferè illic eiuſmodi cenſentur, paſsímque illi facturos moras cuſtodes viarum; emit vile iumentum ab hoſpite, quo poſtridie vectus in oppidulum venit paucis milliaribus diſſitum, vbi à cuſtodiis rogatus quis? vnde? quâ causâ? ſuam illam de amiſſo falcone repetens fabulam haudquaquam ſatisfecerit, ductúſque propterea vt Gubernatori, de ſe reſponderet, inuenit illum cum ſuis in templo Caluiniſtis ingreſſúmque ad illum ingeniosè declinauit. Prodiens itaque Gubernator parúmque illius reſponſionibus acquieſcens, tametſi, confidenter & liquido editis, reiecit illum ad conſeruatorem pacis (quod erat perinde, ait ipſemet narratis, vt eum carceri mancipare & conſecuturis ad hunc pœnis deprehenſa certo falconis ſtropha, & Sacerdotis aucupe perſonati, quod diu latere non poterat. Laboranti eius negotio in hunc modum, extra opis humanæ remedium, ſuccurrit momento diuina bonitas, fecítque illum dicendi lepore, & agendi, Gubernatori ſubito gratioſiſſimum, ſic vt eum attentè contuens, fers, ait, quiſquis es fronte tam nobili literas tuas commendatitias, nec te aliter committam apud me haberi quam deceat nobilem, & præclarum virum; & vero amplam ei fecit quocumque mens ferret commeandi, oberrandíque facultatem; inde vſque Londinum, peculiari hoc, & claro tutelæ cœleſtis præſidio circumſeptus peruenit incolumis, moras ei nectente nemine. Fuitque hoc noſtris illic adeò ſolenne, vt inter inſidias, proditiones, repentinos caſus, & mortis pericula, tranquilli agerent opis huius adeo ſingularis minimè dubij, & tutelarium geniorum; magniſque expliciti nodis capitalium diſcriminum; induebant ſe in alios etiam capitaliores, & perplexiores, ſi ſalus vnius animæ affulſiſſet, quoad dura, & longa

perfuncti expeditione hostibus traderentur, postremam eius partem expleturi morte pro Christo alacriter mediis in cruciatibus obeunda.

Gerardius vt breuiter dicam Londino iam proximus, in socium incidit mirè beneuolum, & comem, sibique tunc opportunissimum, capiendus omnino nisi eum, licet ignarus periculi socius in suburbanum hospitium secum perduxisset; quo superueniens ab vrbe senex, pauca verba dixit, in quibus dum ludunt familiares hospitij, ex iis intellexit Gerardius Catholicum esse pietate insignem, toleratóque haud pridem pro Christo carcere. Seductum itaque tantisper, de consilio & auxilio modestè interpellat. Ab eo fidenter Londinum inducitur, & viro nobili offertur eóque Catholico, cui se admodum cautè Sacerdotem fassus, è Societate, optatissimus pridem illi venit, & tanquam cœlo missus. Exceptum illico in suburbauum suum paucis Londino milliaribus secum ducit, nobilíque excultum schemate, quo sibi veterum comitatum elegantias natiuas perbellè aptabat ad Garnetum; misit eius Præfectum missionis, sed in equo sublimem phalerato ex pulchro seruorum comitatu: hic quantum fuerit inexplicabilis vtrinque gaudij, salutationum, gratiarum, res ipsa loquitur recepto contra spem Gerardio quem dies iam multi frustra expectatum persuaserant aui mala iter iniisse.

Illuc Oldcorneus dudum Gerardum præuerterat; itémque Sothuvellus, capitum quatuor paruus numerus, sed illustris, & cui simul parem ægrè inuenias, siue vtilitatem spectes illius Ecclesiæ, seu priuatam illorum gloriam, siue Societatis nostræ decus. Tribus enim illorum beata mors pro Christi obsequio, & Catholici nominis obtigit; tot spasmos, & vitæ deliquia, inter atroces cruciatus, tamdiu quartus perpessus est vt ei mitius futurum fuerit semel mori. Nunc dum inuicem consolantur mutua consuetudine, cautíque ac fortibus monitis operarios nouos præmunit, & roborat Garnetus ad ministerium; adest Christi Natalis cui cum Catholicis celebrando, funduntur in diuersa; & Gerardio quidem, iure assignatus est nobilis, qui primus fuerat eius hospes cuius ab lare diuinis per eum beneficiis cumulato, cœpit in latam circum messem effundi animarum; inde in partem Angliæ maximam, vbi octodecim per annos, Catholicæ fidei alios reddidit; alios extulit ad perfectam virtutem hominis Christiani, ordinúmque religiosorum, nonnullos etiam ad martyrij apicem, quem illic fastigium vocabant charitatis. Ex his carptim vt foret occasio, pauca libabimus, foret alioqui iusti voluminis, iusta omnium simul narratio.

Galliæ motibus Seminarium Remense disturbatur, & Duacum transfertur. Augense penitus concidit. Fundandis aliis incumbit Personius, Vallisoleti, Hispali, & S. Audomari. Quod vltimum floret nobilitate, numero, pietate, ac literis. Moritur Vvalsinganus. Eius odia in Religionem Catholicam.

CAPVT II.

CRESCEBANT cum annis clades nostræ, sed hoc 1589. cum debiliori ex Anglia surgerent, quam vt possent illic rem Catholicam perdere, accessere iis vires ab externis, Galliam vniuersam eiúsque ordines, imperij ambitus, cupido improbæ libertatis, dominij ardor, & Religionis studia in partes, factiones, & arma vrgebant suorúmque ipsius viscerum lacerationem. Hoc rei turbido publicæ, ac priuatæ, Seminarium Remense Galliæ diu tam honorificum, tam vtile Angliæ, penitus concidit, eius alumni veluti naufragi nuda in Belgium tulere corpora, & Duaci, vnde illos item tot retro ab annis arma ciuilia, in Galliam egerant denuo confederunt. Sublatis dehinc è medio Guysiis Seminarium Augense quod vna eorum fulciebatur beneficentia, vna deletum est. Versabatur inter hæc Robertus Personius in aula Regis Catholici, de mandato Præpositi Aquauiuæ, ad componendos fluctus quos refractaria quorundam è Societate ingenia partus illius degeneres in eam mouerant, præfocaturi omnino parentem optimam, si tota quam ex seculo captarant impunitate vti licuisset. Audiebatur ab eo perlibenter, & æstimabatur pro viro capacis ingenij, eminentísque iudicij, & virtutis, qualem in Lusitania nouerat & laudarat. Quam ille Regis beneuolentiam solerter adhibuit ad rem Anglorum Catholicam variis subsidiis leuandam, inter quæ fuit Seminario Duacensi attributus in annos census, aliorúmque fundatio, quæ per magnas sollicitudines, & labores, magnitudine præstantis animi, & prudentis, & Regis ardenti commendatione denique confecit, sed eo potissimum auspice, & ductore, cuius si desit propitius oculus & manus suscipiendis rebus, & agendis, alia omnia frustra sint. Fuit enim ostenti diuini, apud se Hispanos sustinuisse placidè Anglorum domos, & sodalitia cum Anglus & hostis idem ab iis censeretur, damnísque ab Drako

nunc maris Præfectum, nunc piratam agente afficerentur frequentibus. Nam & deprædabatur classes ab India, & naues in portu Gaditano ante biennium multas incenderat, & Lusitaniam paulò ante aggressus, multa illic tum diripuerat, tum ceperat loca, nec Vlyssiponi capiendi aliud ei defuerat quàm fides proditoris; singularis tamen Regis Catholici pietas, communis Ecclesiæ quam propriæ suæ vtilitatis amantior ad earum domorum institutionem suis inditionibus largè contulit, quas norat tantoperè, Religioni Catholicæ conferre, huic vero tam piæ liberalitati, respondebat ex æquo virtus adolescentium Anglorum, qui studiorum vitæque omnis fructum alium non spectabant, nisi vt caras inimicas licet, repeterent patrias, iisque ad fidem Catholicam, & salutem iuuandis sudores, & sanguinem donarent: cuius suæ mentis, votíque irreuocabilis dedere publicè certum pignus, cum die solenni ad altare teste omni qui aderat populo clara voce iurarunt magnum sanctissimúmque iusiurandum, quo sui illius propositi generosam sancirent firmitatem: illorum quidem viuendi ratio eiusmodi erat, vt qui tyrocinium ponerent moriendi pro Catholicæ veritatis, & animarũ vita. Ob hæc breui post Hispalis suum illud sibi Collegium gratulans, mira de illo scripsit ad Clementem VIII. summum Pontificem, intérque cœtera, iuuenes illos cùm prodirent monstrari solitos, *Tanquam Seminarium martyrum.* Nec dispari laude splendebat aliud Vallisoleti Collegium quod Philippus II. sua cohonestans præsentia, cum Græca, Hebræa, & propè omnibus quas nouit Europa celebraretur linguis, vna illa respondit, qua Principes animum, alia quauis plenius exprimunt, beneficentia scilicet noua, & insigni: accedebat his quoque matronarum nobilium tenera charitas, quæ iuuenes illos provt appellebant alium, alia suscipiebant alendum & fouendum matrum loco, quas vltro reliquerant.

His adoleuêre incrementis hæc Seminaria quæ si semper mansissent Anglorum nostrorum credita gubernationi florerent etiámnum numero, virtute, ac literis. Nullum tamen par Audomarensi in Belgio, quod fuit item Personij opus qui, vel vnis tantum his Seminariis statuendis plus Angliæ profuit, quam si nunquam ex ea recessisset, huius quidem condendi hanc habuit causam. Parabatur in Anglia noua lex in eius perniciem si vnquam alia, vt Catholici pueri ex parentum sublati gremio, Caluini didascalis traderentur ad annum vsque decimum septimum. Hinc fore vt ætas à teneris, errore imbuta, & qui solent errorem consequi morum prauitate, vix nisi miraculo reuocaretur ad bonam frugem. Esse igitur non salubre modo, sed necessarium, ætati illi minusculæ asylum pandere, futurúmque ex proba illius in studiis, humanioribus & piis, pia morum educatione supperterent qui Romam, Hispalim Duacum, & Vallisoletum quot annis mitterentur ad superiores scientias, quæ illic solæ traduntur addiscendas. Constare ad hæc non rara experientia sani magistra consilij prouectiores ætate qui ex Anglia venirent olere nonnunquam natiuum allium, & erroribus olim, ac licentiæ assuetos quam Oxonij hauserant, non esse satis in veritate Catholica (quam Duaci, & Romæ susceperant,) vitáque constantes, lapsúsque

narrari

narrari iam nimio plures, offensionis in populum magnæ, & desertiones, in propudiosa proditionum obsequia, & quæstus sacrilegos locatas. Contra vero quos charitas, & patientia, & dexteritas magistrorum non mercenaria, sed gratuitò exquisita erudiisset à puero: & pro annorum accessu, præceptionibus congruis pietatis, & literarum imbuisset, euadere in vitos securæ in omnes occursus fidæque constantiæ, vsúque illo assuetæ probitatis diuturno, ab iis semotos quæ possent illum corrumpere, in naturam transire alteram insita meliorem. Quæ fuit Personio causa Seminarij huius extra Galliam statuendi, per quam nunc latius Caluinismus ferro, & impudentia grassabatur, & hoc præsertim æui anno octogesimo nono, post necem Henrico I I I. ab impiissimo illatam proditore armis & iris ardebant omnia. Hæc curas Personij sagaces verrere Audomarum Belgij ciuitatem, Angliæ vicinam, nunquam non retro Catholicam, frequentem portubus Angliæ proximis, & Anglicano affinem cœlo eiúsque haustui, cuius erat habenda ratio non leuis cum de pueris ageretur, alienæ auræ temperiem noxiam facile sensuris. Regis ergo Catholici gratia, & Religione singulari sapienter vsus Personius, sui huius consilij effectus est compos aduersantibus, licet eius operi nonnullis, etiam publici ministris suspicionum vmbras subueritis; sed Deo eius prudentiam, subsidiis peculiaribus animante, cuius vnius obsequiis illa veluti Angelorum instituebatur in terris domus. Cœpit itaque lætísque dum vixit profectibus, vidit cœpta feliciter crescere, operæ suæ fructu adblandiente coram, & oculos reficiente optato sanctóque spectaculo Anglorum plus centum, ingenuitate puerili, nobilitate, ordine disciplinæ, pietate referentium totidem beatos genios, & virtutum literarúmque arma, veritatis hostibus debellandis iam tum mouere incipientium hinc totis latè confinibus in honore & fama, schola Audomarensis, etiam apud summos Anglorum proceres, nouo quodam prodigio, edictis minacibus vetantes pueros eo mitti; simul inuidentes huic eorum institutioni, de qua non temere induco animum, vt credam peculiater ab se dictum existimari voluisse S. Albani Vicecomitem, eundémque Angliæ cancellarium Baconum, quod de omnibus generatim Societatis I E S V, Collegiis, Academiis, & scholis asserebat, cum de recta iuuentutis educatione loqueretur. *Quæ nobilissima*, inquit, *pars disciplinæ, reuocata est aliquatenus, quasi postliminio in Iesuitarum Collegiis, quorum cum intueor industriam, solertiámque, tam in doctrina excolenda, quam in moribus informandis illud occurrit Agesilas de Pharnabazo talis cum sis, vtinam noster esses.* Ac de nobis quidem comiter & honorificè, sed vltima de suo illo desiderio verba in auras ventis portanda iactauit.

Educationis huius pretiosæ laus Princeps debetur Ægidio Scondonckio, Belgæ, patria Burgensi, secundo huius Seminarij per annos septemdecim Rectori, cuius etiamnum viget memoria, tanquam viri cum quo inter sexcentos vnus vix reperiatur comparabilis in illo iuuentutis nobilis, & patrij spiritus magisterio aptè dignéque sustinendo tam opportunè illis ordinem temporis, horarum momenta, occupationum vices partitus est; tam

multiplici, fructuosáque industria, literarum pietatísque variauit officia,& modos, vt ardens alioqui ætas, & impatiens regulæ, tenorem illum disciplinæ in articulos, & puncta diei prope scrupulosius contextum ferret non solum patienter, sed iniucundissimè obire. Adiecit & illud generosis ingeniis ad studiorum gloriam ingens calcar æmulationem, crebrúmque specimen literarij progressus publicè ostentandi, in quo proprium erat depositio quolibet argumento, improuisos, atque imparatos expeditè seu Latino quis posceret, seu Græco si mallet sermone dicere. Seminarij deinde, administratio Anglis Patribus vt erat æquissimum commissa, prouectúsque iuuenum, ferè nobilium, numerús ad ducentos,eadem qua cœperat fundationis primæ institutione ac regula, quæ cuiusmodi esset Rectore Ægidio, dicat is qui suis ipsemet oculis spectarat Tobias Matthei Eboracensis Archiepiscopi filius, multis inter Anglos titulis celebris,Roma Londinum redux, cum ex itinere substitisset aliquamdiu Audomari in Seminario, sic de illo Romam ad Personium scripsit carissimum animi sui patrem. Hoc nostro in reditu multas vrbes, eásque insignes vidimus, nihil mirabilius Seminario Audomari posito, inter omnia quæ vsquam, & vnquam spectaui loca, & simillimo, quo inter superos, aliquando me spero potiturum. Tanta illic pietas, ordo tantus, tanta alacritas, dignus planè alumnis tam egregiis Rector, & alumni tanto digni Rectore, nec scio an ij plus eius amori debeant, an iis ipsemet? quantum enim virtute promouent, tantum eius existimationi, & gloriæ addunt. Ita ille datis anno 1607. à quo anni fluxére sexaginta quibus primam illam natiuæ disciplinæ constantiam Seminarium id tenet, eiusque testibus gloriatur tam multis, quàm multos suorum segete religiosos ordines locupletat, ob consimillimum vtrobique viuendi morem, nec laboriosum ex vno virtutis colendæ genere in aliud transitum.

Nec rerum fluxêre vacui, nec operum steriles anni quatuor consequentes; sed gestis præstantium hominum decedit plurimum, nisi cum suis integra nexibus, referantur. Idcirco libenter à truncis & mutilis in præsens abstineo, ad aliena quod attinet, quanquam hæc etiam nostra sunt, continet hic annus sæculi nonagesimus, obitum Francisci Vvalsingani, toties & semper in perniciem rei Catholicæ memorati, quem adulatores eius historici sagacissimum quidem vocant indagatorem coniurationum, sed addunt etiam earundem in Catholicorum exitium astutissimum inuentorem, & concinnatorem, quod nefas sanare se putant, imo & probare necessitate patriæ pietatis, quietis publicæ, & Reginæ tuto conseruandæ. Ad hoc falsis vti debuisse, & per infamiam & mortes Catholicis optimis, & sanctis Sacerdotibus, ex confictis proditionibus illatas grassari ad vnam aliquam, quæ forte vera deprehenderetur, hísque, licet innocentium mortibus, & cognitionum seueritate tam crudeli deterrere mortales à rebellionibus mouendis. Quod olim sibi iuueni responsum, à Iurisperito Protestante (Campiani damnandi cum cœteris iudice) scripto reliquit Thomas Fitzherbertus. Campianus, aiebat, euidentissimè, & ad omnem iuris probationem

bationem insons & innocens fuit. Quid igitur arguebat Thomas, hoc monstri est? aut vestra hæc quam portentosa religio, quæ reos pronuntiat, morte damnat, infamia notat homines euidentissimè innocentes? at is mihi disertè respondit, ob securitatem regni non licere id modo, sed frequenter etiam debere. Hæc Anglus nobilis, & qui annos Elizabethæ omnes implicatissimos rebus publicis & priuatis euoluerit, omnes inueniet vno vtili circumscriptos per fas & nefas æqualiter quæsito, quoties vtrumque ad vtile pariter faceret, ac velut in plano depressionibus locorum exprimendis omnes cadunt vnum in punctum lineæ, palatiorum, carceris, tabernarum, templorum, indiscriminatim ad vnum singulæ descendunt. Sic Elizabethæ scena omnis regia, & quicquid in ea editum, puncto immobili, consiliorum omnium mensura, & Regula vtili scilicet nitebatur sacra & profana; religio & arma; Parlamenta & leges; consilia & tribunalia; & qui apud eam tanti erat, delectus Ministrorum, qui eius artes etiam intimas diuinarent, & ad eas agendo tenderent, ac vt de aliis sileam tam multis, quorum nolle me penitus meminisse ab initio sum professus, vnus eorum extitit Franciscus Vvalsinganus, in Religionis, & Catholicorum ruinam natus, solúsque omnium complexus venena, haud sibi aliter quam serpenti futura vsui, hoc est non suo cuipiam pabulo vel bono, sed alieno tantum odio & malo. Sua enim se in Catholicos perdebat rabie, ac dum ij dolerent, suos flocci habebat dolores viginti millia librarum quot annis in diuersissimam, & perfidissimam exploratorum colluuiem ab eo consumpta, scriptum est, eodem quo mortuus est Aprili mense, in delatores, in falsos Catholicos, in testes paratos iurare, quicquid iurari popposcisset, in apostatas sceleratissimos, factionum auctores, nobilitatis inquietæ faces, & rerum duces in religione nouandarum, quas ab se postmodum sagacitate sua mentiebatur deprehensas. Illum quidem nobis Camdenus effingit tam pauperem, & tot nominibus exhaustum, vt mortuo sumptus defuerit, non dico ad funus hominis supremæ in regno dignitatis, sed neque plebeij & proletarij, eius velut nequissimæ bestiæ cadauer, noctu, furtim, nullo pacem precante, nullo comitante in altum sepulchrum proiectum est.

Infelix exitus Puritani, Anglicanæ Ecclesiæ Reformatorem ambientis. Probrosum edictum in Sacerdotes Seminariorum. Magnitudo animi Virginis heroïnæ quæ subterraneis latebris, septem è nostris à morte seruauit.

CAPVT III.

MONSTRIS duobus aucta est Anglia hoc anno Christi regnantis post sesquimillesimum, nonagesimo primo. Vtrum altero peius non facile dixero, nisi quod alterum in rei Catholicæ damna diu vixit; alterum vix natum, condigna mors abstulit, ab hoc vt initium ducamus, fuit Guillelmus Hacketus de fœce populi, homo vilis; Edmundus Compingerus, vir nobilis; Vviggintonus, inter hæreticos ministellus; & quartus nescio quis Arthingtonus. Hos inter iurata fuerat instauratio Ecclesiæ Anglicanæ, sublato ex ea non quicquid modo esset Catholicum, sed Catholici aliquid ex Luthero præferret, cunctísque in ea redactis ad formam Ecclesiæ Geneuensis, & merum putúmque Caluinismum. Nihil fingi potest in Deum, tam impiè, tam sceleratè in homines, quod cœpto facinori promouendo non accurati adhiberent. Hacketus heri flagitiis inquinatissimus, hodie sanctus fidem periuriis facere, Deum secum familiariter colloqui, & se arcanorum cœlestium explicatione perpetua beare, cuius capax non esset, quicquid in cœlo erat mentium beatarum. Dæmones salutis inuidos, quam ipse Angliæ, orbíque deinceps vniuerso, iubente Deo afferebat; in se crudeliter sæuire, à quibus inflictos ostentabat liuores, & prædicabatur à tribus sociis, multis supra Ioannem Baptistam sanctimoniæ paransangis longè sublimior; eodémque præditus spiritu Principali quem habitatorem Christus habuerat hæc & his maiora Vviggintono ministello, pura in luce de cœlo ostensa: suos vero Prophetas duos, Arthingtonum, & Copingerum, alterum esse misericordiæ, alterum iudicij præconem, quibus etiam illi possessi deliriis, die quodam repente, mediam per Londinum tanquam legione correpti dæmonum prodiere furentes, & prædicabundi, cúmque vix per turbam quæ iis confertim adglomerabatur in forum maius euasissent nundinatorium, curru obuio pro pulpito vsi, diuinam in primis noui sui Messiæ Hacketi naturam dotésque mirabiles populo denunciauêre, dehinc scirent ab eo decretum nullum fore deinceps in mundo Papam.

Hacketti,

Hacketti, ac Dei mentem esse, vt Ecclesia Anglicana ex Protestante ad perfectam amussim Geneuensis in Puritanam mutaretur, peste alioqui, & fame, & bello peritura. Quod procliue iis fuit tunc ariolari, cum de sollicitandis populis, & iam inter se statuissent, & spargendis in seditionem libellis ardenter id agerent, quibus docebant licere cuilibet Reginam solio deturbare, ac substituere illi, quem Europæ totius monarcham vnxerat manu sua Deus, Guillelmum Hacketum. Primus populi furor in cancellarij Hattoni impendebat caput; & Riccardi Bacroftij Archiepiscopi Cantuarienfis, quod essent apertius Puritanorum inimici, ab his ventum iri ad consiliarios Regios stellati tribunalis, si vel auderent (pro suo munere) digitum mouere, aut contra se flare; omnes tollendos è medio. De Regina futurum quod erat solitus in eius imagines Hacketus, quotquot occurrissent, punctim cultro centies fodiens. Hos cum prima spiritus belluini rabies publico ostendisset, capti mox damnatique, patrata iam miseri, & concepta in longum luerunt scelera, Hacketus præsertim, qui toruis in moriens, in cœlum oculis, vindictam Deo sub furca minabatur, nec prius abstitit horrendè illum execrari, quam illi capistrum cum voce fauces elideret. Sic tota cum eo factio considit, quod hic præcipuè aduertendum, vt intelligatur eorum crimen, non tam iis fuisse proprium quam turbulentissimo, & sanguinario genio hæresis Puritanæ, capitibus Principum inimicissimæ, nec hi primi fuere quos illa omnem exosa dominationem, & rebellis Geneua induxit ad stringendum in Reginam, Episcopos, & Proceres ferrum; Regnique, ac Religionis perturbationem, & destructionem. Retro pridem alias periculosius coniurauerant Caluinistæ, fouerántque doloso silentio, rebelliones concinnatas, suspensi semper in occasiones, & opportuna erumpendi puncta; in eo nihilominus, forte numero plures Catholicis; Religionis certè instinctu impio Reginæ, & Regno inimiciores, nec legum sæuitia, nec pecuniariis ad sanguinem mulctis, non exiliis, equuleis, carcere, probrosis mortibus actum est, sed sua quietis, & tranquillis relicta est quies, & nihilo ferè in regno ægrius agere permissi, quam si experiti.

Contra menses abierant tres tantum ab Hacketto, cuius seditioni Iulius fidem imposuit, cum edictum publicè prodiit quo nullum ab annis tribus & triginta, maleficentius, & inuidiosius, ærarij Præfectus commentus fuerat, eius enim vt insignium pictorum opera, characterem artis, & ingenij præfert. Ac minatur quidem Anglis Catholicis probrosè, sed Sacerdotibus maximè Seminariorum, & Iesuitis, in quos ita præfatur. [Expositio turbarum, quas aduersus commune regni bonum moliuntur, Seminaristæ Sacerdotes, & Iesuitæ, furtim ad hoc ingenti numero, toto regno sparsi, vt religionis specie proditiones agitent grauissimas; Reginæ nomine promulgata, cum necessariis ad occurrendum tanto malo remediis.] Cum autem certò constaret auctori, cœteríque regni Consiliariis, nec sagacitate capitalium Ministrorum, nec multitudine quæstionum & atrocitate, nec solennibus, & priuatis in Seminaristas, & nostros iudiciis, potuisse

vnquam vocem aut syllabam deprehendi, ex qua coniiceretur prauus eorum in Reginam, & regnum animus, sed eos per vim iniustè damnatos, quam nec ipsi negabant, capitalis apud illos iuris professores, & arbitri; detergendi sunt oculi ad perspiciendam causam ex qua induxêre animum pro indubitato deinceps id habere, cuius nullum in præsens tenerent indicium, nihil ex præteritis præiudicatum, aut probatum.

Fuit autem causa decreti huius non alia, quam Reginæ timor, in consilium perperam ipsismet à Consiliariis ascitus, in quo prudens alioqui,& alias Regina, & virilis omnino animi, se tamen fœminam præbuit, eius vero Ministri quanto illi ardentius addicti, tanto eius in animum sensúsque transformatos. Idcirco & ipsi arbitrati sunt certam fidem deberi timoribus ex suspicione ductis mala vtique, & fallacissima in cogitatis dictísque alienis ex præoccupato argumentatrice, nunquam planè illorum Senatus regij capitum, ita expers consilij, consilium visum est, ita sannis patens Europæ totius vt in eius Edicti conformatione. Quot in eo verba, totidem aberrationes manifestæ, quique illud dictauit, tam parum vidit, vt nescierit cogitare ad voces singulas conuictum iri se impudentissimum calumniatorem. Quod non distulêre Philopater & Pernius aggredi libris duobus egregiis quos si legit Edicti scriptor, vel homo non fuit, vel seipse illic ex viuo, & vero descriptum exhorruit.

Equidem haud possum ambigere, quin Christophorus Hattonus ille olim Reginæ in paucis intimus, & Cancellarius, sin minus religioni, at saltem pudore mendaciorum ictus, quæ tam multa, tam pernicioſa, tam aperta Edictum collegerat, promulgationi eius constanter obstitisse, & hoc superstite penes ærarij Præfectum hæsisse; vbi vero illum seu venenum, siue offensio Reginæ, seu calculus abstulit toto mox regno promulgatum præconum vocibus, & tubarum sono Edictum pependit. Tandem vero illud quid fuerit tam nouum, & insolens quod Reginæ cogitationes eiúsque Ministrorum adeo miserè confudit, eccum eodemmet ex edicto expressum. Gregorius XIV. è gente Sfondratorum creatus Pontifex, hoc nempe quod erat, & quod ambabus valebat clauibus, armis, pecuniis, in Hispani obsequia, in Angliæ damna, in auxilia Galliæ aduersus Hugonotos Catholicorum oppressores, sed Anglis hæreticis cognatos destinans quid aliud agebat, nisi Reginæ & regno Angliæ denuntiabat bellum? & hic valdè lepida est, illa ingrati animi quam Gregorio obiicit macula, cuius decessores cum sinu hospitali sæpius Gallia exceptos defenderit, suísque præsidiis iuuerit laborantes; nunc loco gratiæ, inquit, pro collatis in eos & Ecclesiam Ro. tranquillæ pacis, & diuturni secessus vtilitatibus, appetereretur à Gregorio belli damnis. Quasi sit mortalium quisquam tam stolidè cæcus, vt ignoret summos Pontifices nihil vel Hugonotis, vel sectæ cuiuis infensissimorum hostium, quales hæretici, prorsus nihil debere, sed piissimis Galliæ Regibus, & religiosissimis illorum populis, inter quos nulla tunc hæreticorum fœx, quibus tam iusta nunc belli clades, quam iusta illis auxilia debebantur.

Sed

Sed in armis Galliæ veris nec metu confictis nullam Regina Iesuitis, & Seminariis Anglorum partem attribuit; in falsis Hispanorum, partem iis pessimam, quæ proditorum est, assignat, & imputat, & falsa hic nomino quæ extra Reginæ cerebrum, & suspiciones, prorsus in Angliam nulla parabantur.

De his tamen Regina, sic scribæ sui calamo loquitur. [Scimus, inquit, Regem (Hispaniæ) totum incumbere, in secundos armorum euentus, quibus parat in annum sequentem regnum nostrum terra marique impetere, habet in manu subiectum sibi Papam & suis aptum è nutibus; habet seditionis Duces præcipuos (Alanum paulo post & Personium citat) nobis quidem subiectos; sed ingratos, & in Anglia natu viles, qui magno suo labore, magnis sumptibus Regis, promiscuam quandam iuuenum solutorum colluuiem legunt, patriæ proditorum atque rebellium, quos egestas, & conscientia flagitiorum patratorum, debitique supplicij profugos extra regnum egit. Iis Romæ, in Hispania, locisque aliis designata sunt quæ vocant Seminaria, in quibus tamdiu scholasticis erudiuntur sophismatis, quoad iis imbuti penitus, clam nostras repetant ditiones, vbi amplissimis à Pontifice Rom. facultatibus muniti, persuadeant omnibus, ausis secum versari, & colloqui, defectionem à nobis nostrisque imperiis, Hispani exercitus spe certa & proxima, ditaturi suis victoriis illorum esuriem, & subiectorum nobis bona in eos omnia exaggeraturi. Quamobrem hosce Sacerdotes suos, sed imperio nostro obnoxios, magnis adigunt Sacramentis ad euitandam quam iis natura ingenuit, erga nos obedientiam, & fidem, deuouendámque Hispano ad exercitum aduentantem, omni ope iuuandum. Hoc efficacius vt præstent, & simpliciorem popellum captent propensius proditionum fatores callidi, pontificia quædam secum huc ferunt diplomata, quibus paradisum suis promittunt sequacibus; alia vero obstituris minantia inferos, & fulminantia execrationes.]

Post hæc ad remedia venitur, haud quidem Angliæ personandæ, sed Reginæ ac suis, ab imaginosa grauedine curandis. Fuêre porro ea remedia quæ absque nausea, recantari sexcenties non possint, nouæ toto regno inquisitiones, & pœnæ, vt nec possunt nisi cum tædio, præmissi textus verba singula configi cum nihil sonent prorsus nisi aut erroneum aut fictum, præter paupertatem alumnis Seminariorum iuuenibus obiectam, sed ortu quo, qualíve editam? dignus est audientia scriptor, qui conuitium hoc apud Anglos, & quoslibet alios mortales purgandum suscepit.

De paupertate, ait, quæ Anglis iuuenibus ab Edicti scriba vitio vertitur, idem est planè, vt si fur, & prædo, quos nefariè omnibus spoliauit, nuditatis quam fecit nomine illos derideat. Si victus inopia ex Anglia fugiunt, vel excellentissimis ingeniis abundat Anglia tam multis, vt nullo sint apud eam in pretio; vel est tam inops vt egeat quibus illos alat. Ex duobus his si neutrum verum: planè tertium & verum, & in dubitatam Edicti scribam egregiè mentiri, dum mendicitatis ignominiosæ, nostris iuuenibus impingit calumniam. Ita res habet, plærúmque sunt pauperes, sed minimè

inuiti; esse autem vt velint, amor facit Religionis Catholicæ, quod paupertatis genus nihil gloriæ officit, quin multo est venerabilius, esse Deo fidelem, & pauperem, quam infidelem, & diuitem. Si ergo patribus sunt nati Catholicis, sequi necesse est vt sint etiam pauperes, diuites non forent alioqui, eorum in Anglia vexatores; si Protestantibus orti parentibus, & hinc item illos clam iis profugos necessaria sequitur, egestas eóque adiguntur, vt ne quam iis præbeant fugæ nobilis, & præclaræ vmbram, parte librorum & vestium vendita, pecuniolæ nonnihil conficiant ad traiiciendum mare; quod si nummos excedat decem (quibus plures non licet extra Regnum efferre,) mirum si ab custodibus portuum, & scrutatoribus, immunes discedant.

Et hæc de illo anni nonagesimi primi famoso Edicto plus satis, nisi eius quoque addere gratias Reginæ deceat, quæ illud imputauit; & arcanorum ipsius intimè conscio à quo conscriptum est; quòd naturæ iure responsionem extorserint, qua omnes illius reuincerentur calumniæ, & Personium Philopatri nomine, simul cum Pernio libros in lucem emittere coëgerint duos, dignos sanè coëmi longè pluris, quàm solo terriculo in quod expectatum ex Edicto damnum euanuit, adeò multa de innocentia, virtute, & sanctis operibus Anglorum Sacerdotum, & nostrorum, & qui prodeunt ex Seminariis adstruunt; adeò multa iis planè contraria de illorum aduersariis, proprio nomine, conditione ciuili, malignitate artium, & turpitudine factorum descriptis, luci orbis totius exponunt, cui dedicatum est duplex illud opus, vt in iis obiectum animi sui vultum, vitæque agnoscant. Petat sanè ab iis, si quis auet ea distinctius legere, mihi vel pauca interdum indicare etiam graue est.

Nunc in cœptis pergamus. Expectabant in horas Patres minacis Edicti latens apud Præfectum ærarij latens fulmen, nec dubitabant occursum iri Reginæ timoribus, perscrutatione omnium angulorum, & domesticatim de nomine occupatione, artéque describendos quicumque vbiuis in Regno degerent, defuturam proinde familiarem iis latebrarum opportunitatem; quibus tantum abest, vt exterriti sint, vt confidentius etiam quàm priùs egerint, experti nimirum, quo plures sibi ab hostibus laquei tenderentur, hoc sibi plures à Deo exitus aperiri. Quod recens probarunt illo ipso die Octobris octauo & decimo, quo Edictum erupit. Mos est, (lex potiùs) in Societate, vt quos nondum solennia, seu postrema vota ei obstrinxêre quod nisi (post annos experimenti multiplicis, & laborioſi non agitur) sexto quoque mense instaurent promissa quibus se statim à tyrocinio Religioni, & Deo in pepetuum sacrarant. Hoc se saltem triduo comparant, solitudine, meditatione, pœnis spontaneis, rationibus animi, quem sibi Præpositis candidè fidelitérque nudant, & confessione semestri expiant. Huic officio vt satisfacerent Sacerdotes nouem ad portas Londinum, variis ex locis conuenerant Henrico Garneto Præposito. Die Lucæ Euangelistæ sacro, religioso, quod dixi, perfunctos munere, & iam discumbentes, sic affatur Garnetus. A prandio statim, neminem teneo, abire illico qui voler, potest,

potest, nec enim, ait, longiorem moram securam vobis præstitero. Nam quòd legibus nostris sanctissimis conueniissemus facturi satis, peculiari prorsus Dei tutela cingebamur, nec me quicquam habebat sollicitum, etsi plures duplo vnà fuissemus, nunc iungamus licet nostras Deo curas. Hæc de recta prudentiæ & pietatis regula Garnetus, videtúrque ad hæc tam serio illis edicenda instinctus diuinitus, & iis quatuor sub meridiem abeunt; superueniunt paulo post alij, & septem conficiunt, postridie omnes sub auroram præter Garnetum discessuri, iámque duo illorum sacris operati, ad iter in procinctu erant, cum repentè vallantur multitudine armatorum; ab eorum Duce, & paucis aliis fores occupantur. Erat palatium de more procerum in suburbano rure, pertinebátque ad matronam illustrem natalibus, Catholico robore, intimáque in nos beneuolentia, cui erat vnica matri quam simillima proles virgo, iisque digna dominis familiarium ingens turba. Deprehensi, & vnum restare sibi ad opem confugium rati, si moras hostibus ingressum vrgentibus necterent, arma corripiunt, ad portam consistunt: in sicario, & latrones, magnis vocibus opem vocant; velut crederent tales esse; contra satellitium forense, fœx vilis & ignaua, vociferari se à iudicibus missos, Ministrorum mandata, & Reginæ nomen ingerere, quæ vt eluderent famuli, fingebant se ficta credere; dúmque sic illis ingressum contenderent, Patres, cum familia cœtera, nudato quam celerrimè altari, subterraneo cauo recundunt omnia, quæcumque poterant sui indicium faceret, séque adeo ipsos numero septem, tuto ibidem simul claudunt, dissimulato ingeniosè cauernæ ore, & aditu. Post quæ demum virgo quasi sola illic esset palatij domina, fenestra prospectans, quærere indignanter quid hoc hominum esset? curvè horam legissent prædonibus solennem? fori satellites si erant. Num sic propterea rustici, vt locorum dominas iuuenes, honestas & nobiles irruptione subita obsiderent, somno adhuc, & lecto detentas, si mittebantur à Capitalium cognitore, proferrent audenter eius chirographum. Quibus dictis, suos iubet arma ponere, illósque admittere. Erat autem virgo in hos casus merè idonea, vultu, & animo virilis, velocísque ingenij ad elidendas occasiones eiusmodi subitas. Suis itaque matrem latebris contutata, dominam agere, audénsque capitalium nomine adesse, qui Patres iuridicè peterent, sic animo exarsit, vt ægro, viribúsque accisis, teneri nequiuerit quo minus surgeret, audénsque, perinde aduersarios exciperet, circumduceret tota domo, deluderet, obiurgaret, vt si nunquam melius habuisset. Verum hic si vnquam pia illi ars sua opitulata est; stantes enim ad iter instrati tot equi, vestésque, tam variæ, quæ Patres opperiebantur, iam profecturos, vehementer suadebant indagatoribus, esse illic homines à familiaribus diuersos. At illa dolens, & questa grauiter quod eo die, horáque venissent, quæ profectioni quam inibat moras iniiceret, essétque sibi non parum incommodatura; accelerare interim reliqua suos iussit, dum seruaturos domum, exploratores deducebat, quos, vt vellent paululùm festinauit etiam rogauit. Bellè, mirè, solerter, & ingenuè omnia, sed in-

cassum, & frustra, ni Deus peculiariter adfuisset, suúmque illum operatiorum septem thesaurum sub terra seruasset. Malleis ferreis suspectos parietes, & solum pulsabant aperiebántque satellites ; calcabántque non semel cauernam quæ prædam tegebat , eiúsque os aliud quidlibet interpretati, quàm quod erat. Sempérque in eius latera malleos impegerunt, auscultántes iis in eam impactis, num quis exitialis bombus responderet. Domi denique in penetralibus, dum supellectilem sigillatim excutiunt si quid forte librorum , sacratum iconum , aut reliquiarum offenderent , incidere in perelegantem Sacerdotis ornatum, & sacram pixidem Deo illis eorum vsum, ita occultante vt absque præda domo excederent , pecuniolæ mercede exigua contenti , quæ scelesto eorum labori minimè debebatur. Paucis inde horis Patres etiam abiere, quo illis Deus suam cuíque sortem mortis, aut hostium, placitum foret destinare.

Patris Thomæ Mettami carcer annorum septemdecim. Opera fructuosissima. Beata mors. Ioannis item Brushfordij.

CAPVT IV.

CECIDIT ea sors, ante sex alios in P. Robertum Sothuuellum hoc seculi anno nonagesimo secundo, nósque de illo suis locis. Nunc Thomas Mettamus nos sibi vendicat, nec auditus antehac, nec ostensus, etsi noster ab annis forte duodecim, sempérque in Anglia, sed nunquam , non carcere subinde huc, & illuc mutato sepultus. Fuit illi postrema Vvisbici custodia, præcedentium ærumnosissima , excoctámque hoc anno , tolerantiæ ardore illius virtutem , cum corpore vitáque absoluit. Venerabantur maiorem in modum , Angli Catholici copiosam viri scientiam , heroïcos spiritus, & fidei merita, annorum saltem septemdecim parta martyrio , hoc est tam barbari tormento carceris tam diuturno , vt producta illic Sacerdotibus Catholicis vita, lentum mori esset non diu viuere.

At vero tàm erat Ministris publici exosus , vt eum excluserint à beneficio illius clementiæ quam orbi vniuerso in laudem Reginæ celebrarunt cum ante annos septem septuaginta Sacerdotes iussit è neruo dimitti liberos ; Mettamum iam illic decennem , nondum eius torquendi saturi tenuerunt. Porro quæ tamdiu, tum egit, tum passus est, illustrum facilè, historiæ nobili materiam darent, si legerentur alibi quam in libro diuinarum æternarúmque rationem. Vvestonus illius per annos aliquot Vvisbici in compede socius, nonnulla obiter de illo adnotauit præterquæ ferè nihil nobis supereſt.

Erat

Erat Mettamus præter Philosophi, & Theologi gradum iuridicè partum, Hebræis, Græcis, Latinis, historiis, omníque peregrina, & antiquaria lectione tritus, quibus solidioris sapientiæ ornatur, & splendescit corpus, sed pluma hæc erant ad illas Apostolici animi supremas, & arduas dotes quæ hominem sui perinde, vt nihili faciunt contemptorem, Dei vnius animarúmque æstimatorem iustum, & veracem His ille ad Sacerdotium impulsus, repulsus in Angliam, in salutem animarum ardentissimè incitus, captus, carceri mancipatus, mortem quotidie gratiæ loco opperiens, vixit quotidie velut vltimùm viueret. Londini quadriennium in Turri exegit, hæsurus diutiùs, nisi impar ferendis natura, moueri loco coëgisset, malis alioqui proximè opprimendum; mutatur ei turris in alium carcerem, datúrque necessariæ alicuius opis, & victûs facultas quæ vitam producens, cruciamenta simul in longum proferret. Quanquam ipse concessam facultatem paulò liberioris laxitatis ad solatium animi potiùs quam corporis retulit: illo enim priori quadriennio carceris in Turri, propositum ardens susceperat, vel olim susceptum incenderat, vitæ si Deo visum, in Societate exigendæ, sin autem, mortis obeundæ, id arcta defossus cinctúsque custodia, significare potuerat nemini, tunc vero haberi laxius, vt cœpit, Patri Thomæ Darbiscir Anglo in paucis amico Parisios scripsit, commendauítque infinitis precibus. Thomas à Mercuriano Præposito Generali, tam præclari amici narratis dotibus, non ægrè impetratum tulit, extántque literæ Mercuriani ad Mettamum quibus Maij quarto, anno eius æui vnde octogesimo, & carceris quinto adscribit illum in Societatem, ex quo item illum ei accenseo, non, vt alij scribunt, quadriênio seriùs, cùm Mercurianus sequentis Aprilis die decimo quinto, hortetur illum magnoperè, vt illas sui vexationes, tam multas, atque assiduas, in argumentum virtutis traducat, & meriti, reputétque sibi non iam promiscuè cum turbis, sed propiùs, atque perfectiùs ex Societatis instituto ferendam esse post Christum crucem.

Post hunc è Turri carcerem Mettamum, subinde alium atque alium mutasse Vvestonus memorat cum nouis semper ærumnarum accessionibus. Cicuratis enim patientia, mansuetudine, & innocentia, hæreticis suis custodibus, & deliberata barbarie in Sacerdotes Catholicos antea efferatis; lictoribus aliis quibus erat ignotus, pœnísque proinde nouis tradebatur, ex qua tamen vir Dei mutatione crebra carceris, & pœnarum, consolabatur animum suum non mediocriter quod in illa recenti flagitiosorum colluuie semper inueniret quos Christo, & sibi lucraretur, aut quorum ludibriis, odio, & insolentia nouis ipse meritis augeretur, Frequentes demum cum ministellis & Prædicantibus concertationes ex quibus abibant inscitiæ propalatæ ignominia suffusi, cum triumphabundi, Mettamum prouocassent; grande illi nomen, & pauendum conciliabant apud illos, eámque fortassis ob causam, & concursum multorum, eius consilium in diuinis, & animi rebus poscentium; censuere Ministri Regij haudquaqnam diutiùs Londini ferendum, sed Vvisbicum inter lectos alios relegandum, scholam nempe dolorum, & patientiæ extremæ. Locum alias descripsi,

dabo alibi vitæ calamitosæ molestias quam illic degebant Christi Confessores. Illic tres è nostris Collegiolum conflabant, numero minimum; collegarum præstantia, cessurum pauciſſimis. Erant ij Vvestonus, Mettamus, & Pondus, quibus accessit & alius; omnes longo multorum annorum probati carcere, & cruciatibus variis, omnes desiderio patiendi recentes, & vegeti; omnes perpetuo aduersorum sapore alactiores postremis perpessionibus quàm primis. Etsi autem esset viuendi ratio Vvisbici Sacerdotibus communis, magna laude virtutum insignis in carcere, sed iis nostri addebant disciplinæ obseruationem, quam sinebat, locus, meditationes, examina, oblationes de diuinis, arbitrarias etiam, & vltroneas afflictationes; quas sibi quisque pro viribus corporis, ad molestias carceris adiungebat. Iis immorantem, & iam sexagenario vicinum Deus ad se Mettamum euocauit, non laboriosa ægrotatione, nec cuiquam lethali, nisi quem carcer annorum septemdecim confeciſſet, cuius diuturnis miseriis defixo semper in Deum animo, & lingua placidiſſimè obiit, procul eo labore qui vulgo mortem comitatur, præter quietem in domino, nihil sensit: quod autem Vvestonus putauit 1594. fato functum, eius obitum seriùs consignauit, re autem vera nonagesimo secundo, & Mense Iunio excessit.

Simili exitu tentati miseriis, vt tunc Vvisbici moris erat, complures per annos martyrij, extinctus est Ioannes Brushfordius, anno consequenti. Romæ quondam alumnus Collegji Anglici, & Sacerdos, inde probationis adscriptus tyro, quod plus satis nobis est, vt eum Societati nostræ asseramus, etsi morbo coactus, vitæ genus, & cœlum mutauerit, nam & in Angliam Apostolici muneris ardorem secum tulit, & quod vnicè interest constantem spiritum religiosæ pietatis, quo suam nostris iungebat operam, in procuratione animarum, suíque propterea, tam incuriùs corporis, vt accedente ad solitam illius imbecillitatem custodia, crudáque illic aduersariorum afflictatione consumptus sit; annum agens tricesimum quartum. Iuuet autem hic eius obiter mentio, ad elucidandum id in quo forte non pauci cæcutiunt, habuisse nos scilicet in tyrociniis tempus aliquod iuuenes Anglos eximiis dotibus permultos, sed malè composito ad hoc nostrum cœlum temperamento, & valetudine, nec pares viribus ad laborem religiosæ disciplinæ, qui propterea remissi in patrias, sanctimoniæ tamen suæ, & conuersarum à se animarum experimenta illustria præbuere, & multis decori cruciatuum palmis, & ignominiæ, supremam quoque interdum retulere, morte pro fide fortiter oppetita. Verum seu studio domiſſionis Christianæ, seu grati animi nobilitate contestati, se sua omnia, primigeniis illius spiritus ignibus debere quos hauſissent à Societate, quanquam essent tunc ab ea seiuncti, vt debent vibrata mobilia impetum, virésque imprimenti.

Noua à Parlamento proposita leges aduersus Catholicos Recusantes. Horrenda vexatio tractus Borealis, & Catholicorum, maximè fœminarum in ea perferenda robur. Misera illorum conditio quos inde in Belgium malorum calamitas expulit.

CAPVT V.

ANNI huius in partem venit, conuocatio Parlamenti, Londinum indicta, licet autem hoc Ordinum conuentu nihil esset Catholicis formidabilius, ob leges inde prodire solitas; verum in hac infima orbis parte nihil funestius cõiunctionibus maximis stellarum errantium quæ natura vel situ habentur maleficæ, nunquam vero aliàs peiores influxus iis minabatur, si Ministris duobus sua processissent ex voto consilia; duabus, inquam, rei Catholicæ pestibus, patri, & filio, vtroque pessimis in Catholicos studiis, paríque potentia in iis crudeli executione depromendis. Henricus Garnetus qui præsens aderat, singulorum apprimè conscius, præfatur sibi paulo altius repetenda, quæ sunt ab iis in hoc Parlamento gesta. Et Parlamenta, inquit, instituto, vsúque veteri, eiusmodi erant, vt liceret cuiuis liberè proferre, quod prudentia, & publici amor, auctoritásque ordinis suasisset, nec de propositis in partem alterutram legibus, vel tacitis in eas dicteriis, vel propugnantibus inter se illarum argumentis quicquam foras efflabat. Nec admittebantur in ea famuli, aut quouis modo factionibus variis addicti, aut Principis homines à quibus sibi quisque metueret, ne deferretur ad Principem, si quid in eius sententiam obiecisset, vel timeretur vis suffragiorum libertati, verbo, re, nutúve inferenda. Nunc longè aliter in iis res agitur. Vtriusque consessus exedræ duo præsunt Reginæ intimi; primariæ pater; infimæ filius, vterque gratiosissimus, eíque addictior, quam ipsa sibimet, si duabus exedris adesset. Proponuntur ab iis approbanda, verum eo stylo, vt iuberi magis quàm consiliis permitti eorum approbatio videatur. Aiunt neminem solidi capitis, patriæ amantem, æquum prudentiæ regiæ ac sapientiæ æstimatorem & iudicem, ac sui denique satis studiosum, dubitaturum de legis propositæ iure, æquitate, & vtilitate in commune bonum, nedum obstiturum, illius confirmationi, tam necessariis igitur laudatam titulis, quis ausit in examen vocare? sic legum suarum Parlamentum auditor sit magis quàm conditor; si

quos indoles tenax animosæ ac veræ libertatis in oppositum mittat, reprehensione, ac minis, inhibiti, iubentur tacere, quodque officium fidelitati & conscientiæ exsoluere cœperant, in eorum damnum, & aliorum terrorem conuertitur, vulgantur eorum suffragia, arbitrariis cuiusque inusta morsibus, referuntur nomina ad Reginam velut infidelium ei Ministrorum, & occasionibus improuisis, virtutis suæ constantiam tanquam crimen luunt. Ob hoc Ministros hosce duos sua violentia, Parlamenti, passim, & publicè vocauit *Correctores*, aliàs verius *Oppressores*, hactenus ex Garneto.

Percurramus nunc illa tot in *Recusantes* & atrocia decreta, nihil vt ita sæuum sonuisset, totis quibus iam regnabat Elizabeth triginta quinque annis. Petebant illa Catholicos, quibus quanti erat anima, & salus, tantum à Caluini, & cœna, & templis, concionibus, & cantibus abhorrebant. Leges nouem in supremæ classis, propositæ fuerant consessu; in imæ, duodecim, peiores & numero & reipsa. Nempe *Recusantes* ante Iunium ineuntem (& voluebatur tunc Februarius) nisi frequentandis Ecclesiis satisfacerent Reginæ mandato, re sua omni mobili nudarentur; immobilis vero duabus tertiis partibus, hæreditatis item ad quam essent vocati duabus tertiis; & iure nominum quibuscumque alios haberent obstrictos recuperandorum, eorúmque in locum subiret fiscus, si nubat fœmina *Recusans*, ne esset dotis capax. Ducens illam vir ex Recusantibus, duas perderet bonorum tertias, quæ ipsa domum afferebat, emptiones domorum, prædiorum, & talium ab Recusantibus peractæ, irritæ cederent: legati præterea cuiusvis, & hæreditatis collatio irrita; contractus omnes, secreta conuenta, & translationes bonorum in alios. Pensitationum ab aula, munerum, attributionum, duabus tertiis mulctentur; seruos domi si tenent Catholicos, denis, quoque mense in singulos libris, quæ ad æris Romani nummos redeunt ferè quadraginta. Si maiores septennibus filios, Protestantibus tradantur educandi; si multarum istarum pressi grauitate, Reginæ mandatis parêre, maluerint, profiteantur id populo coram, primum in templo curiali, tum coram Baronibus, & muneris præfectis in hæc verba. [Ego N. N. me verè agnosco, & demissè fateor grauis in Deum offensæ reum, ob spretam hactenus, regiæ potestatis piam, & legitimam gubernationem, templis abstinendo, & officiis diuinis, contra quàm iubent sanctæ regni leges, & statuta, dolétque hoc mihi grauiter, & animo tenus. Agnosco, & sincerè contestor Romanum Episcopum, & sedem, in Reginam, & Regna, & ditiones Reginæ nihil habere, nihil posse; & omni procul simulatione, colore, spe legis laxandæ promitto, & contestatò denuntio, seruaturum me in posterum Reginæ leges de templorum frequentatione, & cultus diuini, eásque omni contentione defensurum,]

His, & similibus tam multis icta est sensu miserationis Parlamenti pars ingens alioqui Catholicis inimicissimi, nec dissimulauit hæc sibi displicere. Quo animaduerso duorum alteruter qui has leges condebant; si cui vestrûm, infit, cautiones hæ in legem scisscendæ seuerius aliquid videntur sonare, Reginam si lubet adeat, prouocétque ad eius tribunal vbi argumentis

quæ

quæ tenet arcano pectore conuincet non fuisse cum Recusantibus, mitius, aut remissius agendum. Addidit vero ex parlamentariis alius, quod multi auditum, esse sibi commune dictum voluêre: si est Papistarum tam detestabilis natio, vt nobis depingitur, absoluamus nos quantocyus & regnum ea peste; sin res, & facta, & vita eorum ludi nos mendaciis clarè probant, sinamus illos sua sibi habere, vnde vitam pergant honorificè ducere. Baro quin etiam Grayensis apertè Catholicis infestus imperare non potuit, quin audenter & liberè diceret, fuisse sibi antea persuasum, premi Papistas, vt emuncti vitali sanguine, neruóque elisi decumano, non possent digitum pro religione in regnum mouere. Nunc postquam tot legum obruebantur pondere, tam immani vt esset earum vnaquæque intolerabilis per sese, plusque ipsi mouerent omnibus misericordiæ quam timoris, manifestum esse non vexari in iis fidelitatem regno & Principi suspectam, sed religionem Deo fidam & vexantibus odiosam, si enim illis sit integrum misso in templa Protestantium pede vel oculo, calamitatum quibus obteruntur vim tantam redimere, patet profecto vnum in iis plecti crimen quod nec velint videri nec esse Protestantes. Placeret necne quod aiebat, ex veris certè loquebatur, & tam perspicuis vt magno non esset opus acumine ad ea capienda, idémque cum eo sensére tam multi vt proposita illa ad vnum & viginti, frustra contenderit in leges perferre qui hoc magnopere satagebat. Ad rem tamen ipsam quod attinet exigebantur inhumanius ex Catholicis, quam leges ipsæmet, præsertim ad septemtrionem, in Lancastria, & Eboraco, Dunalmo, Northumbria, & per tractus Scotiæ confines. Imperitabat tunc illis Prouinciis Gubernatoris munere, Proregis maiestate, tortoris barbarie vir magnus, cuius in Catholicos furorem gratuitum, expertus est hoc anno P. Riccardus Holtbeyus, scripsitque partem eius lugens. Nouam is sibi Ministrorum conscripsit familiam priori maiorem, & crudeliorem, exploratores, scrutatores, exequendi Præfectos, iussorum curatores, lictores, carcerarios, varia nomina, munus vnum, carnificis scilicet quod exercebatur ab omnibus. Ampla cuique istorum potestas erat, citandi, raptandi, claudendi quotquot nacti essent Catholicos *Recusantes*, nullo ætatis, sexus, & conditionis discrimine. Iam eò nobiles imbecilla pietas egerat vt semel quotannis, Protestantium adirent templa, ne in extremam redigerentur egestatem, at hic nouis illos oneribus obruit, sistendi se nempe bis in hebdomada, Protestantium cœtui; communionis cœnam admittendi de manu hæretici ministelli; iurandi horrendum iuramentum, quo se obligarent, ad excludendum domo quemuis Sacerdotem, & Catholicas vxores carceri mancipandas, tyranno implacabiliter sæuiente, cúmque iam essent ergastula vetera clausorum multitudine conferta, iis sextuplicem adiunxit carcerem; Eboraci partim, partim quatuor in castellis, vbique laxum & capacem; nec est quis adeo ferreus, vt absque lachrymis earum quem subdit indicem perlegat fœminarum quæ illuc ducebantur; nobiles, maritæ, grauidæ, & paulo ante puerperæ, cum suis inter brachia pupillis, viduæ, decrepitæ, virgines, puellæ infantes, tristi spectaculo raptatæ ibant in carce-

rem non custodiendæ, sed excruciandæ locorum molestiis. Nec semel contigit, aliquas illic vterum ponere, nullo præterquam Dei subsidio, & beneuola magis quàm vtili Sociarum miseratione, iam è domesticis commoditatibus, cum miseriæ carceris nonnullas morbo & lecto affigerent interdum etiam extremis propinquas, labor erat iis ad sanationem à Magistratu impetrandis, & longus, & propemodum insuperabilis, nec obtinebantur nisi datis pignoribus, & vadibus fore vt valentes restituerentur. Victus illis & ineptus, & carus, vtrumque pro crudelitate, & auaritia custodum, viri similiter nobiles, in eundem cum vilibus, & proletariis compacti carcerem, filiorum item discruciabantur præsentia, & fame, & duritie carcerariorum, quæ fuit aliquibus labendi causa, tum viris tum fœminis, sed harum vix vni, in virorum decem miserabili lapsu, adeo in sexu debili robusta virtus eminebat, & dicere liceat, vix Christianismus fœminas vsquam vidit in Catholicæ fidei propugnatione Anglis fortiores; & quidem nobilibus, & illustri sanguine prognatis. Ego quidem in censu annuo tabularum quæ mihi ex Anglia venêre, habeo ad manum exempla earum continua, & facta virtutis heroïcæ, pietatis solido fundata ad omnes conflictus immobili. Sunt vero huiusmodi vt si colligantur quæ nostra, solum gesta sunt ætate, qui nascentis Ecclesiæ tempora ignorant, referri sibi ea putent, eiúsque de tyrannis, suppliciis, mortibus, victorias, & triumphos; inter paucas tamen quæ malis cessêre, aut virorum importunitate, aut teneritate amoris in filios, fuit quæ statim vt pedem in Protestantium templum tulit, tanto facti horrore, suíque icta est, vt fœtum quem gerebat, illic eiecerit immaturum. Alia eodem horrore, prope subito mente capta, nisi ægrè multósque post menses illam integrè non recepit. Palatia interim, & ædes hoc solo reorum titulo, & captorum quod essent Recusantes, velut Reginæ, ac patriæ proditorum, diripiebantur & expilabantur in prædam Gubernatoris eiúsque satellitum. Quin & domos subire ad deprehendendas latebras Sacerdotum (quod prætexebatur potissimum ad deprædationem locupletum, vt iure direpti viderentur) aliud nihil erat, nisi turbam latronum irrumpere, qui oblatas vltro, conclauium omnium, & scriniorum quorumcumque reiiciebant claues, aiebantque sibi alias esse artes, & organa, quibus nulli satis vectes aut seræ obsisterent; erántque illa secures, & mallei, quibus perfringebant diffindebántque quod clausum occurreret, vocabántque id aperire. Latibula porro quibus se pater familias cum vxore, filiis, & qui domi tunc esset Sacerdote, abdere consuerant cum supellectili sacrorum, frustrabatur iam vafra malignitas. Dimetiebantur primum foris, post vero intus palatia, tum si compositæ mensuræ, malè inuicem responderent, igitur aliquod inreriectum latêre conclaue, aut cæcum penetrale certo concludebant, cuius abstrusum rimantes aditum, nullus erat suspectus paries quem non effringerent, spe fortuita inueniendi quod quærebant. Ad subterraneos autem specus retegendos tintinnabulum adhibebant, cui pulsato, caui, aut cameræ responderet bombus. Hæc si recidissent inania, obstinatione diuturnarum morarum instabant cœptis, & ea denique euince-

bant,

bant, ad cubicula omnia, & traiectum omnem, & scalas pertinaciter excubabant, dum victi fame qui laterent parentes, filiorum deficientium haud vlterius dolorem perferentes, prodebant sese, & inquisitores accersebant, suos tanquam qui factarum sibi morarum rabie indignati, & insolescentes latebrarum expugnatione, sanctos illos pallidos, exsuccos, & iam semianimes omni contumeliæ genere & molestiarum onerabant, longè tamen inhumanius si forent in iis aliqui Sacerdotes, quorum lego non paucos apud matronas hospites, & alumnos, quas sæuitia inexorabili Comes furcis appendit. Nihilque propius fuit quam vt pœna eadem inuolueretur Ioannes Tollopius qui Holtbeyum ex operariis nostris vnum domi secum alebat; sed is comite nobili filio, natu primo, cum esset profectus longius ad baptismum infantis quem ritu Catholico Protestans recusauerat tingere, domum in reditu prospexit, excubiis cinctam, intellexítque ab aduersariis occupari, qui forte operiebantur, dum se in casses neglectim induerent; at hi quantum fuga, & pedibus valebant abdidêre se in siluæ condensum penetrale, vbi dies duos, & noctes delituêre arrecti in omnem strepitum, quoad eorum vestigia insectatores desperassent. Nobilis pariter cum vxore filio paruulo, & nepte annorum tredecim virgine, famulísque duobus, subterraneæ cryptæ angustiis, & inedia triduana, indagatorum & obsidentium pertinaciam vicere, quorum denique securi suo illo è sepulchro erepunt semiuiui; paulóque post è silua Holtbeyus cum nobili filio, natorum maximo.

Comes inter hæc Gubernator suo impar in Catholicos odio, partes suas vicarias in superiori Northumbria Finicchio integrè totásque tribuerat; sui nimirum crudelitate dimidio; sed plus dimidio, excogitandis calliditatibus nunquam antea cogitatis ad intercipiendos repente Catholicos. Inter has fuit cum noctis medio accendi iussit in cacuminibus montium ad hoc designatis ignes irruptionis Scotorum nuntios in Angliæ depræda-tionem; quo indicio monebantur solenni ex lege armati occurrere, qui confinium illud incolebant ad eos in suam Scotiam retrudendos. Collectos ergo paucis horis ad centum quadraginta Finicchius qui tunc aderat præsens ad vsque auroram illos sustinuit, minimè quidem in Scotos ducturus, qui nulli prorsus erant, verum in tria palatia Catholicorum nobilium, quæ partim foris iubet ab iis obsideri; partim secum inuadi; vnde quantam voluit secum prædam tulit; quàm multos reperit Catholicos abduxit. Has vero tàm subitas, & inopinas strophas fecerat sibi tam familiares, & frequentes vt nulla industria & celeritate tutos se ab iis putarent Catholici, quare omissis deinceps domibus, securitatem inter siluas, & abrupta montium quærere, suas illic familias condere, si quas essent cauernas, aut saxorum hiatus quibus se abderent idoneos nacti, Deo gratias agere recti non ita incommodè parati, plures humo effossa ad radices ingentium arborum, domos illic sibi ex ramalibus frondeas sub terra struêre, illáque sex totis hebdomadis habitare, quoad tandem crediti periisse, quæri denique desierunt.

Hæc à P. Holtbeyo Garnetus spectante & vidente, illorúmque parte in nauanda Catholicis opera, quos vt solabatur, & corroborabat inter illos aduersorum æstus, ita mirificè reficiebatur patientiæ illorum alacri firmitate, promptáque vitam pro fide Catholica, eiúsque profidendæ confidentia ponere. Istis attamen valdè nouum, nec satis credibile quis putet, istis inquam Anglísque cœteris, nobilibus maxime, & quos à Seminariis arcebat ætas, ereptum fuisse residuum quo postremo, fidebant subsidium, cum bonis pro Deo exuti, victu quoque omni carerent in Anglia, nisi quem in carcere miserum, & morte peiorem inuenirent. Fulciebat spem illam subsidij, audax in Belgium transitus, vbi Regis Cetholici profusa largitas suffectura iis esset, necessaria ad vitam omnia; nec vero ab Anglis notæ alicuius laboratum est vnquam, in extundendis à tanto Principe, ac tam pio attributionibus eorum inopiam leuaturis, sed penes ministros erat, earum cardo, & exsolutio. Nostris (scribit Antuerpia non nemo) Anglis, ne obolus quidem assignati ab Rege subsidij datus est; & scimus noctu ostiatim obire illos mercatorum ædes, ad captandam stipem; nósque auditis illorum calamitatibus quos adhuc Anglia retinet, valdè ambigimus an nostræ sint iis mitiores. Quidam certè si quid elatrarint quod sit emendo pati satis, & aliquod raphanis, fortunatos se hac cœna putant.

Hodie Middletonus nobilitatis in Anglia notæ, & opima pensitatione ab Rege decoratus, sed planè sterili, post comparatum Christianis sacris ad mortem proximam animum, dixit sibi videri non temere, suppetituram diutiùs vitam, si victus suppeteret; tunc quidem se fame extingui, nec multo pridem præter aquam ad potum quicquam habuisse. Thomas Marxenfieldus nobilis, nuda in humo iacens repertus est intra cubiculum mortuus, præsente nemine. Scribit hæc vna tantummodo ex vrbe qui aderat, & coram spectabat. Ego propterea retuli, quod sint alibi futura vsui ad grauem calumniam ab innocente propulsandam.

Nunc reuertamur in Angliam, & nostris de rebus, quæ nonagesimus quartus æui annus nobis suggerit describenda, illustrissimam ponamus carcerem scilicet, supplicium, & virtutum opes Patris Ioannis Cornelij.

Quis esset Cornelius, & quantus, & quanto molimine ab Consiliariis Reginæ quæsitus; quam perfide is à falso Catholico proditus. Dorotheæ Arondellæ Virginis prudentia, & generositas. Thomas Bosgrauius reuerentia erga Cornelium nobili, communem cum illo mortem assequitur. Prouocatus à Ciarco aliisque ministellis Cornelius disputat; prostratos ludibrio exponit.

CAPVT VI.

IOANNES Cornelius decursis Romæ in Seminario Anglorum Theologiæ studiis & pridem Sacerdos faustè in Angliam hoc anno regressus est; 1583. sudore illam & sanguine, si Deus annueret rigaturus, primum illic sibi hospitium legit apud Arondelli Dominos, quorum domi puer fuerat educatus, & ab Ioanne Arondello, qui iure magni sibi cognomen & gloriam debuit Oxonium missus, Latinis, Græcis, Hebraicis literis informandus, iis septem per annos absolutam Philosophiæ integræ cognitionem adiunxerat, nunc idem Dominum velut pridem suum, & recepit libens, & pro sua Religionis incorruptæ, non communi, & lenta pietate, toto quo vixit, superstes septennio fructuosè illum adhibuit; moriens, velut rem sibi cariſſimam, vxori, enixè commendauit, quæ primis nuptiis Ioannem Stourtonum Baronem virum habuerat. Secundo marito filium dederat Dorotheam nomine, Cornelij discipulam in diuinis, & peritia virtutum, quin & vitæ illius & mortis historicam, vnde ferme illius ex commentario, quæ videbat scribentis de Cornelio scribenda ducam, addo, nec frustra Bruxellis in Belgio, S. Benedicti professam ordinem, facit enim omnino ad illam, quæ sequitur istorum cognitio. Annos decem solidos durauit Cornelius in labore apostolici famulatus, & dubium fecit totusnè suus, an totus alterius, dabo argumenta operæ vtriusque illustria. Inualuerat de illo etiam inter Protestantes, virum esse quàm potentem meritis apud Deum tàm dæmonibus formidandum, quibus abigendis mira pollebat potestate. Consiliarij Reginæ, gnari eum haud longè abesse triginta homines diuisis cuique partibus destinarunt, à quibus quocumque, vel modo, vel arte comprehenderetur,

sed cui diuina excubabat tutela, in eum nihilo plus mille, quam triginta valebant, quod eimet haud raro monstratum est. Vt cum in campo quem Millemum dicunt, tertio ab vrbe milliari, inuasere illum fisci satellites intra ædes Catholici nobilis priusque illius ingressi cubiculum circumsterere scribendo intentum, quam domum intrasse aduertisset. At is quiete securus, qui? & cur venissent? nihilo inde turbatior surrexit, ac velut, aut se diuersus, aut in alium transformatus à natiuo vultum, intactus, & ignotus per medios velut ἀορασία percussos cubiculo placidè, ac domo exiuit, euasitque per deuia camporum. Verum enim vero vbi cœlo dictus adfuit dies coronaturus eius vitam mortis sanctissimæ gloria, inde illi proditor extitit, vnde nulla vsquam minor suspicio, & metus. Post mortem Arondelli magni, migrarat Domina illius vidua cum omni familia, & Patre Cornelio in suum quoddam Doreſtriæ Prouinciæ castellum. Erat illic inter familiares seruus ex mera in miserum hominem admissus misericordia, & sordidissimis quibúsque occupabatur obsequiis quod esset ad cœtera ineptus. At hic sensim se circumspiciens, & vrbaniorem in dies agens, suíque penitus oblitus cœpit sibi bellus videri homo, coniecítque oculos insanus in nobilem Virginem, Dominæ viduæ cubiculariam, & amatoriis absurdis, ac stolidis, eius tandem nuptias ambire. Subodoratus amentiam stultissimi capitis Cornelius hominem seuocat, vehementérque reprehendit, vtque omnem illi eius consilij cogitationem in posterum auferat, spem quoque omnem æternùm præscindit. Quam homo sceleratissimus iacturam fortunæ, quæ se repente ex sterquilinio prouectura esset in sericum, non suo tribuit natali luto, sed acerbitati Cornelij, totúmque amorem quo insanierat in puellam, vertit in Cornelij odium, sed animo pressum; deliberatæ tamen vidictæ rabie æstuanti, quam illi specus dabat proniorem paucis, & fidis, & probatæ virtutis domi notus; huic vero sceleſto nuper fortuito, dum pateret compertus, Doreſtriæ præerat Georgius Mortonus Gubernator, siue vt vocant Vicecomes, sub hoc æquali potestate Georgius Trencerus, & Rodolphus Horsius. Ad illos seruus sacrilegus homulum transmittit qui se Arondellis profitebatur inimicum, nundinaturum suo nomine Cornelij vitam, cuius, ne timerent se incassum venturos, comperisse arcanas latebras nunciabat. Licet autem res in bimestre iam iret, nunquam tamen suspectum fecit proditor vsque adeò cautè domi; & foris suæ infamiæ cauebat. Ob hoc sacer Christo resurgenti dies, visus est patrando sceleri commodus, expleturus nimirum celebritate festi exploratorum vices, nec enim posse Catholicam, & numerosam familiam eo die Sacerdote, & sacris carituram carcere.

Præmisit itaque Gubernator qui omnes ad quintum milliare, circum aditus, & calles occuparent. Ex quo Cornelius impressionem in castrum proximam anteuertens teneri non potui quin hora post mediam noctem cum tota familia diuinis perfunctus, abscederet, spretóque vitæ periculo vitaret periculum quod esset ædium Dominis creaturus, si in iis deprehenderetur. Inde aliquod emensus spatium, inter virgulta humi se proiicit;

sed

sed aduersariis biduana iam mora, metum ipsius fallentibus cessit precibus iteratis virorum nobilium, qui ferre non poterant, eum indagatorum diu noctúque circumcursantium insultibus esse obnoxium, Se quidem vitæ, nedum facultatum & quamlibet pro ipso aleam libenter subituros, verum ei nihil esse metuendum, cum tutam haberent quam laterent speluncam sagacitati cuiusvis mortalis impenetrabilem. His illum ad se reuocarunt ad secundam à Pascha Dominicam quæ in Aprilis vigesimum quartum, seu ex Abaco veteri quartum decimum cadebat; eo die vix sacrum fecerat, cum superatis furtim muris Gubernatoris Vicarius Trencerus, eiusque satellites strictis incondito clamore ac strepitu ensibus, velut captam arcem direpturi, eò se penetrant, vbi didicerunt Cornelium agere, sed inani pandendis, frangendis, disiiciendis obstaculis & foribus conatu. Iam se ille spelunca clauserat inextricabili artificio secura; igitur lustratis, effractis, tentatísque angulis omnibus, & parietibus, discruciebantur suam operam ludi, Trencerus equum adduci iubebat ad reditum, expleto plus satis officij iure; & currum quo libros magnam partem sacros in fiscum aueheret, cum apparatu quadruplici ad sacra, & altare. At hic, aui mala, ex famulis quidam naso iussa sanníque suspendens, versúsque ipsum ad Ducem Trencerum, tantum inquit, armorum, strepitus, excidij, stragis, ad opimam hanc prædam, onustum libris vehiculum. Illos sanè inter se diuidant, suum quisque sibi auferat, & legat, quo fiat si minus ditior, at saltem doctior. Offensus grauiter, iniurioso ludibrio Trencerus, & depulsione conuitij omissa; ego vero, inquit, tuo grandi malo, faxo vt videas, per me tantum stetisse, quo minus labore minori, & tempore, longè aliam facerem quam librorum prædam. Hoc tu confidentiæ tuæ stolidæ imputa, qui vim mihi hanc facis, nec plura, illum citans de nomine seruum Christi domúsque proditorem, cuius alioqui celaturus infamiam fuerat, tacito nomine, si non fuisset próbrosa noui conuitij acerbitate stimulatus, & duc me sis, ait, ad specum quam nosti; cuius ore aperto, conspectum in ea Cornelium, magno sibi clamore gratulati sunt milites, ad quem, diuinans Dorothea quod res erat ex templo accurrit, quem sibi, vt refert ipsamet, visa est pallidiorem solito videre, sed luce fulgentem insolita, cuius me, inquit, admirabilitas tenuit, ne quod illi verbum, aut cœteris dicerem. Trencerus autem, sibi gaudens, pergratum est ait, nostras tandem in manus quód veneris; mihi vero, respondit Cornelius duplo etiam gratius. Hinc nomen rogatus edidit; an esset Sacerdos? esse vltro est fassus, num & Iesuita? eorum è numero esse professus est qui bene iis vellent, eósque amarent, & pauca quidem hæc pro loco, & tempore; mox aula palatij maiori in formam aptata tribunalis Trencerus Vicarius, eductum humi Cornelium eò sistit (erat enim crimen maiestati Sacerdotem domi habuisse, inuoluebátque, familiares omnes, & seruos cum Dominis) & cum iis quos secum duxerat assessoribus, cognitioni iuridicæ Cornelium subiicit, quo in Examine, sic respondit, sic tacuit, excusans silentium iustitiæ legibus & sanctæ charitatis; de Religione autem, ea satisfaciens generositate quæ nihil non modestum, & tran-

quillum præferret, & reuerentia conditum Magistratui debita, quibus omnes in sui pellexit venerationem, & amorem, haud vtique sterilem, vt facto deinceps ipsimet docuêre, post hæc vocantur seorsum singuli qui domi versabantur, indicatóque illis Cornelio, ex iis quæritur, ecquid illum nossent; & negantes se nosse, pro insontibus liberi dimittuntur. Abhorrebat enim Trencerus à sanguinaria indole capitalium quæsitorum, qui hostes magis & carnifices agunt quam iudices. Postremo sistit se Castri Domina vidua Arondelli, quam etsi ex seruo proditore certo scirent domi Cornelium plus iam decennio habere, sed vbi ea præsentis mirari os cœpit, tanquam nouum sibíque ignotum, fidem simulatæ ignorationi libenter commodarunt. Vnus illos offendit eius nepos Thomas Bosgrauius, magni vir animi, & virtutis, qui de Cornelio, an illum nosset inquisitus, vidénsque in pedes, & nudo capite reorum more stantem, non tulit eius dignitatem personæ quam agebat ignominia, sic fœdari, sed cum humili accedens corporis proclinatione, eius capiti galerum reposuit, & increpantibus Ministris, quod tantum honoris proditoribus deferret; sunt, inquit, Deo, & hominibus fidi, Sacerdotes Catholici, nec quantum mortalium sibi fingat aut certet, potest iure illos dicere proditores, quod magni pectoris in defensione Veri dictum, Deus illi rependit Societate mortis, glorioſæ, vt post narrabitur, cum Cornelio obitæ. Cognitionem clausit Dorothea quam ex aliorum testimoniis abundè ream, tristi vultu, & acri excipiunt reprehensione, cur tantum ausa, vt manifestum Proditorem, Reginæ perduellem, domo colligeret, aleret, latebris tutaretur? non esse hic illi excusandi locum, vel negandi, nisi forte legum, & pœnæ capitalis qua vindicantur ignorationem. Quod videtur, sic arte cum ea consultum, vt cui ob ætatem, & conditionem, nihil inde grauius contingere poterat, hoc in se reciperet ab se factum, quod necesse erat factum ab aliquo, habitáque confitente rea, reliqui abirent absoluti. Quid porro ij respondissent, testatur sibi fuisse penitus ignotum, sed hoc illi Deus, & animosa mens dictauit responsum. [Proditores, inquit, & Reginæ hostes collegerim, sustentauerim, occultarim, si quæ vsquam viuant eiusmodi hominum portenta nescio, vnum scio talem me nosse neminem. De Patre Cornelio sanctè profiteor, si eius latebræ in mea fuissent potestate futurum, vt citius animus reuelleretur mihi è pectore, quam sua è spelunca Pater.

Instante Trencero, quo igitur conscio, vel iuuante excepisset hominem, & iuuisset. Tam nempe ait, nihili sum, vt eguerim alio præter me? vocaui egomet, & abscondi sola, atque adeò sola, vt ne matri quidem hoc indicauerim, sed neque si culpa est, mea est, & quidem tota putaui me in Reginam, aut vos; aut quemuis hominum peccare, apud quem modo plus valeat ratio, & naturæ, pietatísque lex quam humana opinio. Habet P. Cornelius domi nostræ matrem decrepitam, & ægrotam, quod nisi non vultis, statim vestris ipsimet, potestis oculis probare; si crimen est moribundæ matri de filij sui præsentia & aspectu supremam permittere consolationem, rea sum fateor, quod nullus negasset barbarus permisi, vt hoc pietati, &

naturæ

naturæ debitum solueret, quod mihi vitio & culpæ vertatis licet, nihilo parcius mihi gratulabor sub hæc illam à se omissis pluribus dimittunt, quod damnare nec possent, nec vellent absoluere. Apud se tamen & robur pectoris, & prudentiam mirati robori tanto non imparem.

Quos bona sors legit ducendos in carcerem quatuor fuêre. Cornelius primùm, domestici duo, Patritius, & Ioannes quos multis modis adfuisse, & opem tulisse Cornelio non tacuerat proditos, quartus Bosgrauius. Patri Cornelio indultum vt ante discessum, matri vale supremum diceret, eiusque faustam posceret adprecationem, ille ad eius pedes de genibus, & vultu sereno, consolatus iacentem, hortatus est lamentis parceret & fletu ad præsentem casum velut tristem, cuius ipse Deo infinitas ageret gratias. Cultu inde resumpto clericali, equum tribus cum aliis inscendit, nec pedes, nec manus catena impeditus, nec septus armatis, aut alia nota captiuum præferens, sed Trencero ad latus, & cum eo perpetuo colloquens tanquam pari, & multum amico. Occurrere iis ad portam ex vicinia quingenti, auidi cernere, tam solennis, & laboriosa, tot horarum inuestigatio, quò tandem euaderet. Ad eorum conspectum Cornelius sublato ad crucem formandam brachio, bene illis precatus, ab iis vicissim acclamatione beneuola multis cum laudibus resalutatus est, iamque mira iis videri desiit quam tantùm suspexerant, eius familiæ probitas, & religio, cum sacerdotem clam apud se haberet, quem nunc palam præsentem opinione sublimi alij, honore alij prosequebantur singulari ad vsque vesperum, & palatium Trenceri. Concurrebant enim vndequaque turmatim, vt me, inquit ipse Cornelius, viderent. Ego salutem reddebam, singulis omnibus arridebam, quo ab se paulo ante ex animo & vero dictum confirmauit, nullum sibi in vita veniisse hoc die fortunatiorem. Cæterum reo designatus carcer non fuit alius, præterquam libera in palatio Treneeri custodia, eáque tam nobilis vt reuereretur illum instar patris, amaret tanquam fratrem; secum semper ad mensam adhiberet; librorum quos tulerat vsum ad arbitrium ei relinqueret, & qui adire illum vellent, etsi ex domo Arondelli forent, peruium omnibus commeatum. Vxore inter hæc, & vxoris fratre, visis Cornelij sermone assiduo de animi rebus, & æternitate, moueri non frigidè, rumor increbuit factos ab ipso Catholicos; vir ipse Trencerus affirmauit, si secum hæsisset diutius, subuersurum sibi fuisse totam domum, hoc est effecturum, vt omnes essent Catholici, nec seruo negauit facultatem, eo demigrandi, vbi audenter, & placidè profiteretur Catholicum, hos dabat fructus Cornelij sanctitas, & sermo de rationibus animi æternis, in quo erat ferè perpetuus, sed ea dicentis suauitate, & gratia, vt non minus iucundè quam vtiliter audiretur. Hinc multi etiam satagebant dicentem è pulpito spectare (in quo mirabiliter excellebat) sed hoc non sperarunt, posse clàm adeò præstari quin ad Consiliarios Reginæ Londinum deferretur, & magna inde Gubernatoris Vicario Trencero tempestas ingrueret. Desiderium hoc eius audiendi explenit impotens ministellorum duorum audacia; de Iesuita forte cognouerant in Arondelli ædibus comprehenso, & apud Trencerum

custodito. Confidentes accurrunt, ex prouocationis saltem streperæ vanitate, inanem hausturi gloriolam: horum alter Ciarcus, ille olim expertus, Personij stylus, quantum pro veritate polleret, & ageret, in defensionem Campiani, quem paucis impetierat foliis. Hic sese in circulum proferens in quo confederant Gubernatoris Vicarij duo Trencerus, & Hortius; Gualterus Rauuleyus & alij nobiles, velut ad pugnam singularem, arma offerret aduersario legenda. Vin' ait Cornelio, Latinè, an Græcè, an Hebraicè decertemus? quod fuit putidæ, sed Ministris cognatæ, de cognitione linguarum iactantiæ. Huic Cornelius & ipse linguas quondam illas Oxonij à puero doctus, vti voles respondit, ego qua cœperis, eadem lingua satisfacere conabor. At Trenceri sobrinus narrauit postea visum instar Grammatici pueri Ciarcum, peritissimo linguarum Magistro Cornelio committi. Minus ad speciem vanitatis, sed plus furiarum in campum tulêre Suceyus, & Hancockius, cognomento *ferrei lateris* ambo Caluini flos, disputatum ab iis de augustissimo Sacramento, piaculari carcere animarum, Sanctorum inuocatione, aliisque controuersia crebriori versari solitis, duplici semper Cornelij victoria, & laude, præstantis nimirum scientiæ, & raræ modestiæ, quæ tanto pulchriùs, teste eodem quem dixi nobili, eminebant, quantò præter audacem insciciam, linguæ intemperantia, & iunctus rusticitati furor aduersarios deformabat, eó insaniæ illorum vnus venit seu vincere desperans, seu vinci non sustinens, vt tumultuatus diu, surgeret, omissa quæstione turpiter abiturus, nisi eum vxor Trenceri tenuisset, missis qui eum validè reluctantem tenerent famulis, cogerentque audire, respondere si posset, sin autem manus dare, & victum fateri. Qualem vero se exhibuerit Cornelius, quàm ventis parem maioribus, nihil meo iudicio, certius indicat nocte illa, quam cum eo exigere solidam voluit Gualterus, Rauuleyus. Erat is inter omnes Anglos supremi ingenij fama clarus, Mathematicis excellens, & inter aulicos apud Reginam gratia intimus. Quid ij tota illa nocte soli tractauerint, non lego, sed Rauuleyus vt erat subtilis perspicacitatis haudquaquam potuit alia ponere, aut in dubium vocare, quam quibus esset satisfaciendum responsione minimè triuiali. Sic tamen illi satisfeciisse Cornelium vt acquiescceret responsis, eiúsque penitus admiratione caperetur in discessu ostendit; spondens fore vt totis viribus Londini, liberationi eius incumberet, tametsi ab eo non solum minimè rogatus, sed è contrario seria perstrictus reprehensione, qua licet peramanter, eius vitæ carpebat, & linguæ tam solutum morem, vt si minus reipsa foret, vulgo certè atheus haberetur. Ad liberationem viri tanti quod spectat, partem decoris in ea Trenceri vxor cupidè ambiuit, sed nec ipsa quicquam, nec Rauuleyus euicit; ea rabie furebant publici status Consiliarij in Sacerdotes Catholicos, vt tanto ardentius mortuos cuperent quanto insinuabantur vita digniores.

Expedierat sese Cornelius à disputantibus, & incidit in disputatrices, prouocatorio & ipsæ syngrapho, certamen ei denuntiant minisellæ duæ, tantum audet effrons, & impudens hæresis, & fungi qui caput non habeant

beant armantur galea ad pugnam: at enim ad pensa & fusum Cornelius remisit Theologas, commendauitque illis modestum silentium, id quanto obseruantius tenerent, fore illas vel habitum iri sapientiores.

Cornelij Examen. Causæ instructio. Generositas reiectæ ab eo liberationis. Iudicium. Condemnatio. Supplicium. Quæ tunc & post hæc notanda incidêre. Vita. Eius virtutes. Apostolicus labor. Ioannes Sturtonus Baro, ei se post mortem spectandum exhibet, ad impetrandum ex eo animæ suæ subsidium.

CAPVT VII.

EGERAT duas hebdomadas apud Trencerum Cornelius, expectans Londino à Consiliariis regiis quid se fieri placeret? retulit nuncius Aprilis vltimo, eiuraret Papistam Cornelius, adeundis Protestantium Ecclesiis; id si respueret, vinctus Londinum duceretur, quod non absque aliquo ipsius mœrore extemplo factum est quod sperasset vt suis doluit literis ad Arondellios, maiori animarum quæstu in ea Prouincia mori, vbi esset sermonem ad populum sub patibulo habiturus, quod norat sibi non fore Londini integrum, quem illi tam sanctum mœrorem consolatus est Deus iniecta Mortono Gubernatori mente, sumendam Dorcestriæ de illo pœnam, vbi crimen patrasset, Catholici nominis tam latè proferendi vt eius spectaculo, qui norant hominem melius saperent: placuit Consiliariis Mortoni mens, Londinum perductus carcere conditur, cuius vocabulum Martialis Eques, inde paulo post Examini sistitur, considentibus ad cognitionem ex supremo Senatu Archiepiscopo Cantuariensi, Præfecto ærarij Cæcilio, maris item Præfecto, & aliis, ac primum contumeliosis exceptus conuitiis, & procella execrationum; deinc interrogatus, placiditate animi respondit tanta, quantum illi furoris vomuerant, dumtaxat modestè professus, cælaturum se, quæ possent Catholicis obesse quod religione conscientiæ, & fidelitatis humanæ officio, ea eloqui vetaretur, nec illum ambages circumducentium callidè quæsitorum, aut minæ tormentorum immanium atroces, latum vnguem ab eo proposito dimouerunt, quas quidem minas haud parcè illi fuisse præstitas, scribit Tarazonensis Episcopus, ipse suis è carcere literis nul-

lum facit earum mentionem, subscribit autem iis chirographi loco *Ioannes in vinculis.*

Et grato animo recolit beneficium Societatis impetratæ antequam ei se voto peculiari, & priuato dedisset, sed quædã Garneti qui nostris in Anglia præerat, ad Aquauiuam epistola ex eo obtinuit, ibidem vt & admitteretur, & tyrocinium poneret, præsertim quod concionando valeret plurimum, & ministerij illius præstantia, mirè afflictos Catholicos, & consolaretur & iuuaret; cui argumento subiungebat Garnetus de eodem; vir est denique verè humilis, pius, sanctus, & dæmonibus pauendus, qualis palam nuper apparuit. Illum tanti faciunt Angli nostri, vt iure dignus sit quem magno apud nos habeamus loco. Hanc autem sui nuncupatione votorum trium dedicationem, quantis delitiis cumulauerit Deus, significauit è carcere discipulæ suæ Dorotheæ, quæ narrans de votis ab eo editis religioso viro teste, & nobilibus duobus laïcis; fatetur, inquit, illa mihi è carcere incredibilem voluptatem, qua delibutus est animo cœlitus, nec sibi vnquam in mentem venisse, tantum sibi è vinculis dulcium lachrymarum, tantum liquidissimi gaudij adfuturum, quantum ipse fuerat expertus in illo sui, ac rerum suarum cœlesti delectu, tam blando, & suaui. Remissus inde Dorcestriam, narrat quoque ipsamet, cum eum viseret, sic locutum [audisti me diuinam gloriam, & honorem sæpiùs anhelantem ecca mihi præclara illius, & palmaris facultas. Ibit in frusta cras hoc mei corporis miserum cadauer, tædio pridem est vita quam hic viuo, totus amore, & animo in illa iam habito quam sum sempiternum victurus. Sed vide quanti quam desiderati boni & honoris Deus me compotem fecerit, vt me prius in Societatem IESV admitteret, quam ad mortem. Vide similiter, vitæ religiosæ votum ingens quo obstrictam te nosti, ne vnquam tibi animo excidat, quoad illud facto impleueris, Societatis Patres, ad interiorem tui culturam adhibe, scio illos mea causa facturos, & hoc cura, vt mea omnia illorum sint.]

Bimestri iam lapso in custodia Londinensi, ex consilio Mortoni Cornelius Dorcestriam reportatur Iunio exeunte supremùm illic, & condemnandus, & plectendus. Equo imponitur, vt reus, & reuinctis à tergo brachiis, inter medios fori satellites, ad vrbem appellit, quarto post iustitium die, quo magistratus in tribunalia redeunt, finem posituri causis pendentibus, & nouas adituri. Vocatur domus Arondellij omnis apud quos captus fuerat Cornelius, vocantur & familiares, sed hos ferè iam metus fuga in tutum asportârat. Vix præter dominos alij adfuere. Dici non potest quàm vrbanè Mortonus Vicecomes cum Cornelio egerit, dato illi in carcerem palatio suo, datis loco lictorum custodiæ suæ militibus, data quibusvis eius adeundi libera potestate; fuitque tantus adeuntium concursus, reuerentia, & amor, vt inde plurimum onerarentur eius modestia. Timerétque potiùs quam recrearetur, eóque grauiùs quod fore spondebant (nam fore vt possent, & potentibus in aula, & pecuniis confidebant) ab se omnino liberatum iri, quibus summas, quidem tanti affectus age-

bat

bat gratias, sed beneficium planè respuebat ; contigítque vt pensum diuini officij recitantem conueniret Mercator Catholicus, & diues ; deferrétque pro virili sua ad redimendum illum bis mille nummos ; cui placidè vir sanctus, hanc tibi pro me reponat caritatem Deus, at si mihi vtilius aliquid, & gratius cupis, rogo mentem à Deo, cnius instо laudibus, ne deflectas, quod virum optimum tam teneriter affecit, vt multis cum lachrymis ab eo recesserit, miratus ab eo tanta celsitate vitam pariter, & supplicium sperni. Certè nullis spebus quantumuis perpetuis, & magnis, lentari odium passus est quo se continuis afflictabat pœnis, præter integras vigilando, & precando noctes, quibus se ad mortem comparabat, quare Mortonus Dorotheæ fassus est pertimuisse vehementer ne se Cornelius cruciamentis spontaneis necáret priusquam Iudices ad damnandum illum conuenirent, recensebátque de illo plurima ex quibus argumentabatur, iure se illum pro viro sanctissimo habere.

Aderat præfixus diiudicandæ causæ, dies post Iulij Kalendas primus, quod vbi resciuit Cornelius, primis iam tenebris Mortonum rogauit, vt se per secutum, & fidum custodem perduci iuberet ad inspiciendum supplicij locum, quod illi officium præstare ipsemet voluit Mortonus, vidítque hominem, vt ante patibulum constitit, collecto primum animo apud se totum ; totúmque mox in cœlo apud Deum sublatis illuc oculis, se illi pro victima sistentem, & peculiare ad hoc robur poscentem, vt postremas has vitæ suæ partes rite perageret ; vultu semper inter modestum & alacrem medio. Postridie, cum Bosgrauio, & seruis duobus sub meridiem ligatur, vt reis moris est, & per orbis frequentiam trahitur ad tribunal, vbi ante omnia quod vocant *Indeitamentum* illi recitatur, hoc est series causæ ex veris, simulatis, incredibilibus, confusa magis quàm contexta pro ingenio & arte ordinantis, ex proditione, & perduellio aduersus Reginam : inualuerat enim vsus, vt Sacerdotium eiúsque ministeria singula crimen essent violatæ maiestatis, ipsáque adeò Seminarij Romani statio, & sacri ordines extra Regnum suscepti. Cornelius modestè, & breuiter factis assentiens quorum culpabatur, negauit quicquam iis inesse, cui posset affingi proditionis species, aut rebellionis. Hic declamatores in campum prodeunt, & pro docta mentiri peritia, aduersus Cornelium, Sacerdotes, Catholicum nomen, clepsydras horarum exhauriunt duas, fanda, nefanda pro arbitrio debachati, quod extra honesti, & veri, & decori fines tam, indignè, ac turpiter egere, vt sese in suo tribunali anxius contorquet iudex, illúdque dedecorari ratus, audiendi impatientia dicentem abrumperet, suóque ipsius testimonio, & laude Cornelium, & Dorotheam Virginem ab execrabili, & infami oratoris calumnia vindicaret.

Secutus Duodecimuirum delectus (quem appellitant Verdetum) à quibus iuratis de Cornelij scelere, vel innocentia ferendum esset iudicium, tàm perplexos inuenit aliquos ob enormitatem periurij quo erant insontem damnaturi, vt hæretici licet ad inferendam conscientiæ suæ vim, ac famæ tantam adduci nequiuerint ; & substituendus iis fuerit alius, flocci

vtramque habituros. Petiere sub hæc delecti iudices, vt est illius fori stylus, à quo se vellet iudicari? quibus respondit à clero Catholico, sin minùs ab Academicis Oxonienſibus, quorum illi neutrum, quòd vsus obstaret, concessum est, coactúsque iniquæ necessitati cessit, Sacerdotes violenter laïcorum iudicio subiuganti.

Post quæ alter ex Gubernatoris Vicariis secreto & paucis duodecim iudices locutus cùm rediisset, quicquid tandem iis suggesserit, Cornelium statim pronuntiant reum, cum Thoma Bosgrauio, & seruis duobus, Patritio, & Ioanne. Bosgrauium quidem quod edidisset palam suam mentem, Sacerdotes nempe Catholicos, ministeria sua in Anglia obeuntes, quicquid constituisset Parlamentum, nec esse proditorum culpæ, nec infamiæ reos.

Vt pronunciatum aduersus Cornelium, versi ad eum tres reliqui, tuo ipsius indicio domine, non dubitanter agnoscimus esse te Dei Sacerdotem, tuis ergo aduoluimur pedibus, & te pro muneris nostri officio veneramur, tu pro tua vicissim pietate, nobis benè precare. Quod factum ab iis dictúmque de genibus, magna exceptum est excelsitatis Catholicæ æstimatione, admiratione iudicum, spectatorum acclamatione, etiam quorumdam & lachrymis. Vnius potissimum ex Protestantibus, qui tunc furcæ ob latrocinia addictus, arentibus oculis, & fibra cornea sententiam capitis cùm audisset, huius insolentia exempli pulcherrimi, cœpit totus in lachrymas solui. At eum Cornelius opportuna erexit consolatione, meliorem, hac ipsi præsenti, & misera vitam pollicitus, fiducia, & desiderio inflammatum Deo, Ecclesiæ & saluti restituit, quam morte Catholica creditur assecutus. Hora de meridie iam quinta Cornelio, dum redderetur communi custodiæ, vtrimque aderant Prædicantes duo; alternis, interdum promiscuè quod in buccam venisset suadendo, docendo, supplicando, rogando, vt suas in partes illum inflecterent, quorum etsi absurda importunitate nausearet obseruata est tamen ab omnibus mira audientis, tum patientia, tum affabilitas respondentis: responsionibus itaque, & humanitate respondendi, alter animo tenus vehementer commotus, abiecto paulò post munere Prædicantis ad Catholicos transiit. Ornabat tunc carcerem confessorum Christi numerosus cœtus, & nobilis, qui dum Cornelij aduentum omni certatim veneratione prosequuntur, simul noctis illius sibi spatium gratulantur, quo magno animi sui compendio concederetur illius copia, illam enim insumpsit audiendis partim duorum & viginti confessionibus; partim sociis tribus roborandis, parandísque ad mortem pro Christo secum fortiter operendam. Postridie reductus ad tribunal, vt supremum de se audiret iudicium vetitus quidem est in defensionem sui aliquid effari, sed eam abundè Iudex Vvamesleyus pro eo, vel nolens perorauit. Sedenti si quidem ad pronunciandam in eum mortis sententiam, venére citiùs in oculos lachrymæ, quam ad linguam voces, auditúsque est post illum proditorum supplicio damnatum, cùm profiteretur amico suo cuidam schismatico, & forensi,

rensi, optasse se binis nummorũ millibus illam redimere ministerij barbari fœditatem quo innocentem necauerat.

Paucas demum horas quæ inter sententiam capitis, & mortem intererant, occupauit Cornelius scribendis ad caram in Christo Dorotheam, inculcans maiorem in modum, ne votum differret consecrandi se Deo virginem monialem in parhenone Bruxellensi, suadénsque id votum instauraret, & cartæ mandati eius ad se autographum mitteret, beatæ Brigittæ per se in cœlo offerendum. Quo se sperabat paucis horis sistendum, & cum sancta illa de Dorothea acturum, ad hæc subsidij aliquid ab ea petiit quod tribueretur in Catholicos intra carcerem egentes, accepítque nummos quinque, & viginti, quorum partem iis erogauit, pauperibus alios, similiter Catholicis dum ad supplicium raptaretur, tandem audiens confertam ad fores carceris multitudinem populi admurmuratione confusa exposcentis, ne suum populo conspectum inuideret, & bene omnibus precaretur, fenestra prospectans eorum desiderio satisfecit, qui eius conspectus proximè morituri, tam festus & hilaris fuit vt esset beato similior, quàm adhuc mortali; & quanquam apud ipsos concione qualibet plus valeret, non omisit tamen occasione vti tam propitia, & prona, sed pro libertate quam illi tribuebat expers timoris articulus, magna voce illos ardenter hortatus est, ad mentem redirent qui exerrauerant; via pergerent & recta & sola qui eam tenuerant, Catholicæ scilicet doctrinæ ac vitæ, nec se aut bonis temporariis, aut malis sinerent ab æternitatis felici ambitu dimoueri, sic & iucundè in Christo victuros, & iucundius morituros.

Hinc hora de meridie iam prima Iulij tertio, anno post sesquimillesimum, nonagesimo quarto, ætatis tricesimo septimo, accitus è carcere, raptandúsque ad furcam in veha cratitia ligatur, glorioſam rem, aiens de cruce ad Christum transire, séque vltro præbens vinciendum. Sequebantur pedestres ad latus, eius socij tres, eósque nunc seorsum singulos, nunc simul animabat, verbis tam ignitis & amabilibus, vt iis captus vir diues, accedens propius, faustam eius supplex poscceret adprecationem, & se data fide, sponderet fore Catholicum. Supplicij locum attigerant, & famuli duo, sed eloquentiae multo Bosgrauius contestati sunt extra religionem Catholicam pro qua & libenter, & sponte occumberent nihil esse vsquam ad salutem spei. Illis vero præ vita mortem hanc in deliciis fuisse argumento erat, quod Protestantium aditu & communione ad vitam & libertatem inuitati, Cornelius maximè, sacrilegij præmio constanter carere maluissent, quam se nefario scelere inquinare. Quamobrem ipse Cornelius eorum pedes veluti martyrum reuerenter palam exosculatus est, tùm flexis ad scalas genibus, cum aliquamdiu orasset, surgens caro amplexu patibulum strinxit, illa sibi coaptans Apostoli Andreæ. O bona crux! diu desiderata, sollicitè quæsita, & hic à me tandem, feliciter inuenta! erátque prolixius è scalis dicturus, nisi eum inhibuisset Rauuleyus. Exorsum enim ab illo Prophetæ, *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ:* veritus ne stragem aduersus Catho-

licos abominandam describeret, vetuit vlterius pergere. Cui Cornelius morem gerens, nihil præterea locutus est, nisi se esse de Societate IESV, quod factis etiam extemplo confirmauit, preces Deo fundens pro sæuientibus in se aduersariis, conuersione Reginæ, omniúmque à Catholica fide errantium, inde sibi porrecto laqueo admouit osculum, eíque manu carnificis aptando sese composuit, & erat is idem carnifex qui pridie illum adierat, exhibuerátque gladium quo esset semiuiui exenteraturus vitalia, quem se nihil territus, blandè manu prehensum, vt amicis solet, libenter videre significauerat. Vix scalis deiecto, post sectum mox laqueum, reuelluntur adhuc viuenti præcordia, vitæque hunc etiam pretiosum residuum spiranti, quam signo crucis vltimùm clauderet, manum enim ad frontem ei formando sustulerat, cum eum, & manus, & spiritus defecit. Damnatum fuerat eius caput vt hastæ præfixum, supra tectum prostaret S. Petri; secti quadratim membra cadaueris ad portas vrbis, spectaculo essent, neutrum executioni mandatum est. Caput suo hæsit confixum patibulo; quod non statim ad manum fuisset lebes quo consueta elixatione præuerteretur membrorum fœtor vicina latè infecturus, inuoluta sunt lineis, & sepulta quidem tunc vbi licuit cum tribus Cornelij sociis, furtim postea cum iisdem Arondelliæ viduæ mandato sublata sunt, & honorificentius collocata. Dies quindecim totos quibus patibulatum mansit caput, tam exitiosa vis imbrium deuastauit messes, vt eam incolæ vindictam crederent ignominiæ per summam iniuriam sacro capiti illatæ, impetrarentque à Gubernatore, sepulchro condi, & venit tandem hac occasione in Catholicorum potestatem. Sed inter illos tam insanos imbres dignum est scitu, quod scriptum reliquit dicta toties virgo Dorothea. [Addo, inquit, meis de B. Cornelio scriptis, singulare quiddam sed ægrè propterea, quod ad me pertineat. Religiosæ vitæ, quo exstimulabar voto assiduè pressa, exoraueram à matre eius implendi commeatum, sed ardens interius inusitato desiderio sacrum prius spectandi Cornelij caput, patibulum versus me contuli, nec teli iactu ab eo remotior, caput cerno luce coronatum, cuiusmodi lunam sæpissimè videram, ac dubitans ne quis, aut cœli, aut oculi visum præstringeret affectus, quanquam esset is dies nubibus & obscurus, aduerto coronam tanto mihi splendere clarius quanto ficbam loco propinquior. In equo igitur, vt eram substiti aliquam horæ partem, donec interpellata mihi à viatoribus tam pulchri spectaculi libertate admirans abij, illúdque diuinæ scripturæ mente versans mirabilis Deus in sanctis suis] qualem profecto fuisse Cornelium, dignum quem Deus extraordinariis ornaret donis, fidem faciunt ea quæ posterorum memoriæ scriptis ipsamet consignauit.

Parentes habuit Hibernos Cornelius, tametsi Anglus natúsque Bodsmani in Cornuallia, vt eius constat chirographo quod Romæ legitur inter alumnos Seminarij Anglici; ex datis Trencero in examine responsis, & vitæ illius historia, quam inde orta est scribere Arondella virgo eius discipula; nec obstat quod esset Hiberni sermonis exquisitissimi elegantia insignis, hoc enim domi solo à teneris parentum educatione fuerat imbutus, qui

conditione,

conditione, opificio, ac re viles, & tenues, huius tamen vnici filij nobili indole, & morum amabilitate procerum cedebant nemini.

Duo enim potissimum formando ad omnem virtutem animo iunxerat, quibus miro deinceps compendio vsus est, contemptum caducorum, excelsiorem terrenis omnibus, & prensationem alienæ beneuolentiæ diligentem. Ob hæc illum Ioannes Arondellus, cognomento Magnus, domi suscepit educandum, spebus certè haudquaquam euanidis, quas auxit non parum deprehensus ab eo, die quodam puer lectitandis libris curiosè intentus dum socij luderent, interrogatus enim, cum iis & ipse cur ludo animum non laxaret; respondit se libris haud paulò iucundius quàm ludo recreari; quod illi verbum Arondellus honorario tunc nummi aurei præmio exoluit, & hortatione in futurum, suo illi, vt obsequeretur præclaro instinctui qui locaturus tandem virum esset, in supremo aliquo dignitatis gradu. Narrabat, mater, quod in puero mirum dum scholas frequentaret, ne tempus iens & rediens tereret, mansurum fuisse illic ad vesperum ieiunum, nisi ad illum mater aliquid prandij attulisset; sed fuit matri pretiosioris debitor gratiæ qua illi concessit Catholico ritu institui, quamuis ipsa inter Protestantes profiteretur hæreticum, durarétque in eo etiam post mariti mortem, cum redux in Angliam Cornelius, primum apostolici muneris sui fructum, conuersionem matri à Deo tulit, ac ne qua forte recideret, in domum adscripsit Arondelli, fuitque illi pro patre animi annos decem, vtpote sermonis Anglici penitus imperitæ. Quare illi duas quotidie horas diu librum prælegit, Hibernicè, vsui eius aptum, & necessarium, sed Anglicè scriptum. Eius vero linguæ quam dixi peritia primos Cornelij labores in Hiberniam vertit, multas quas censebat ob causas, eo subsidio egentem, fuit tamen ei, ob hoc solum creber in eam insulam traiectus sterilis, quod vellet eum Deus in Anglia, & fructuosius, & glorioſius versari, duobus videlicet in ea donis insignibus decorandum, vita in Societate IESV Deo consecranda, & mortis gloria pro Christi gloria oppetendæ.

Accinctus igitur ad Apostolicum in Angliam munus, secum ante omnia, sanctissimè pepigit, nunquam sibi parcere vlla in re, nec animarum negotium suis vllis commoditatibus ac ne vitæ quidem postponere. Eluuiones itaque imbrium, æstus, & frigora persequentium rabiem, viarum pericula, tempestatum denique iniurias omnes, & hominum, promiscuè habere, nec iis vnquam à cœpto iuuandæ animæ retardari, nedum penitus dimoueri. Grassante in Dorcestria lue morbi pestilentis, nullus ægrotauit Catholicus cui non adfuerit; Protestantium nemo, cui non tentauerit insinuare animi salutem, & salubres metus æterni supplicij. Quibus Deo multos lucratus est, inter quos senex à suis depositus, aut in desertum proiectus mapale, charitatem eius heroïcam, prodigiosè expertus est. Accurrens ad eum Cornelius animam agentem, vidit non hominem, sed semicadauer, vlcerosum, putidum, purulentum, tabo, sanie, graueolentia omnes à se arcens; hæsit tamen iacenti assiduè totam noctem, ministerio alacri, miserum corpus inuit, & miseriorem animum haud paulo felicius;

illum enim ad fidem Catholicam à Caluino traductum & confessione, sacróque oleo ritè expiatum, postremis precibus morientem Deo commendauit, sed domum reuersus, vestes suas nullo valuit præter ignem piaculo purgare, tanta erat fœdorum animalculorum inde bulliens copia, putoris, & graueolentiæ tanta pestis.

Concionabatur bis saltem quauis hebdomada, præter dies festos; vnam quotidie per horam toti familiæ, & si quibus adesse luberet extraneis, Christiana tradebat mysteria; inde peculiari magísque propria allocutione, iuuenes, & puellas fingebat ad religiosæ vitæ sanctimoniam capessendá; eiúsque retia miris modis Deus ad piscationem illam fortunabat. Erant autẽ ea retia, ex Euãgelij medullis effata, quibus inculcabat vitæ huius aduersa, & prospera pati & gaudere, nihili esse ad vitæ alterius beatitatem sempiternã, & æternos dolores. In concionatore, cui forte parẽ non habuit Anglia, nescires quid magis suspiceres vehemẽtiam terrentis hæreticos, & sceleratos Catholicos; an suauitatem spiritus, & verborum, ad sanam mentem vtrosque prolectantis. Priuatim vero si quem susciperet proiectæ conscientiæ peccatorem, in spem, viámque salutis reducere; dici non potest quam illi acriter continuo calcaria subderet, minis, rationibus, monendo, supplicando, eius oculis, auribus, animo tamdiu instans; dum eum adigeret, ad recognoscendas, & æquandas cum Deo animi sui rationes: ac si vel animo, vel etiam corpore afflictus doleret, sic statim mœrentis exuebat vultum, vt esset totus repentè alius, & se audituro faceret amabiliorem. Exempto viuis Arondello, eius viduæ persuasit Londino familiam, quæ capitum erat octoginta in Dorcestriam transferre, vbi mox latè regionem explorans domos cœpit notare Catholicorum & Protestantium, in quibus posset fructuosè operam locare. Ac breui vt alios sileam, Protestantium familias triginta Ecclesiæ reddidit, quæstu sanè quam periculoso, & arduo, tam ingenti, cum esset illic maiestatis crimen, Protestantis ad Catholicos transitus. Sed hunc fecerit mirabiliorem aperta quoque illius professio, tam claris Catholicæ fidei, & virtutum exemplis, vt qui Prouinciæ præerant, Arondellæ domum intuerentur iniquis oculis, quòd ab eius aduentu tanta esset rerum animorúmque facta mutatio. Quam capto deinde Cornelio, cum intelligerent ab eo fluxisse, pro reuerentia quam sibi ab suis etiam hostibus extorquet virtus eximia, laudare omnes & deprædicare illius auctorem, non Catholici modo, sed heterodoxi, adeóque & illi à quibus damnabatur. Ad eorum vero tum qui resipuerant non pridie ab errore; tum qui semper Catholici fuerant, culturam modis omnibus, omníque opera promouebat quam putaret posse ad hoc aliquid conferre. Scenæ arborum in syluis, campus in medio nemore, in campi medio terræ gleba, & quiuis solitarius recessus suggestum illi præbebant, ad concionandum, ad docendum scholam, ad conficienda, tribuendáque illis diuina mysteria templum.

Huic in salute viuentium siue asserenda, seu prouehenda in gradum altiorem, par beneficentia in defunctos, eósque potissimum quos suis laboribus restituisset Ecclesiæ, velut genitos in Christo filiolos, ope adiuuans liberaliori.

liberaliori. Horum ne qua illum obliuio falleret, monumenta sibi constituerat per diem crebra, quæ illos in mentem reducerent, vt quoties essent, exempli gratia manus abluendæ, toties psalmum *De profundis* recitaret, quo Deus culparum aliquid ab iis detergeret, aliquid ignium quibus vrebantur mitigaret. Stipe illos sacrorum quatuor quot hebdomadis donabat, præter stipem pecuniariam, & precum quas extra ordinem, solitis adiungebat. Ad hoc vero illum teneriter mouebant leuamenta quibus se illorum animæ fuisse ab eo recreatas, aspectabili specie subinde ad eum referebant. Dormienti quandoque Harrisius adstitit, olim eius in literis Magister, certúmque ab eo sacrorum numerum, efflictim postulauit ad exsoluendum piacularium nominum partem residuam, qua detinebatur eatenus extra cœlum. Memorabilius, certius, commendabilius ad fructum pietatis Catholicæ quod scriptum reliquit, citata sæpius à nobis Dorothea. [Rogauit, inquit, aliquando, Patrem Cornelium mater mea, Rem sacram faceret pro Barone Sturtono quem primis nuptiis maritum habuerat. Obsecutus roganti Cornelius, præter morem diu hæsit in ea sacri parte, quæ memoriam mortuorum à consecratione comprehendit. Post vero cum matre colloquens in illud scripturæ, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*; siluam sibi narrabat per visum obiectam, immensis spatiis, vapore, ac flammis vndantem; in ea Baronis animam funestis vocibus, & miserabili eiulatu, suam per annos aliquot in aula vitam dolenter incusantem. Damnabat autem præ cœteris quod conscientia reluctante dissimulasset Catholicum, Protestantium templis adeundis, cum offensione parentum grauissima; sed nihil æquè acerbè deplorabat vt mortem Mariæ Reginæ Scotiæ, quam inter iudices quadraginta septem, suo suffragio putabat ab se properatam, vociferabatur hæc Baro lamentabiliter, misericordiam iis verbis implorans, *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei! quia manus domini tetigit me.* Expetitóque illius auxilio, videri desiit, nec dubitauit Cornelius Baronem esse, de calua capitis, quod aliquantum è flammis extabat notissimum. Audiebat hæc narrantem Cornelium cum fletu; flebátque simul tota familia capitum supra octoginta. Ministrans Cornelio ad aram famulus ex iis alter qui cum Bosgrauio, & Cornelio, mortem subiêre, horum omnium fuit spectator, & auditor; ego cum aliquot aliis adstantes rei sacræ mirabamur eodem tempore ad latus altaris ex repercussu parietis splendorem velut ignitorum, & ardentium carbonum.

Huic Dorotheæ narrationi sinceræ, & candidæ, accedit vtiliter, quod refert Guillelmus Vvestonus qui Londini tunc erat cum Baro Sturtonus obiit, fuisse ex iis vnum, qui confessionis sacræ stulta fiducia Deum ludens, alebat domi Sacerdotem, vt cum sceleratè vixisset hæreticus, piè Catholicus moreretur; sed enim repentè lethali deprehensum casu, absente Sacerdote, ictum diuinitus culparum suarum horrore inexplicabili, quibus eluendis poscenda illarum venia, & detestationibus repetitis, cum sibi solus non satisfaceret, congregasse coram omnem familiam, contestatum se mori Catholicum, qua vna in professione spes esset salutis; petiisse

sibi tot grauia scelera ignosci, & offensionem ex iis in alios ortam, quæ vt multis dolebat cum lachrymis, sic multo suo delere sanguine optaret, huius desiderij sui testes appellabat illos, apud Deum supremum iudicem, & apud homines. Dicitur & seruo Catholico anteactam vitam integrè confessus vt significaret quam verè ex animo cuperet Sacerdotem à quo posset ritè ac legitimè absolui, cum laicum hominem, & seruum interioris sui hominis, & pudoris, nequaquam verecundaretur, habere conscium atque hoc edito Catholicæ mētis, pietatísque indicio extinctus. Cuiusmodi esset in alios beneficentiæ, & amoris Cornelius huc vsque vidimus, nunc in se quam durus & ferreus. Quod est ferè omnibus solenne qui splendēt nomine sanctitatis. Afflictationes corporis Henricus Garnetus, cuius ductu, Societate quoquenondum inita regebatur, dimensus illi est, pro modo virium, & laborum, longiùs alioqui extra modū in perniciem valetudinis ituro; dies in hebdomada quatuor multis annis sacro ieiunio coluit, flagella mutauit sæpiùs, vsunēpe assiduo flaccida. Promissum instar indusij, & hirtū ciliciū nodis asperabat pungentibus, & pace quidem, sic probè armatus incedebat; sed captus ab hostibus, & pro Catholici nominis gloria contra illos in campum exiturus, tot se armorum eiusmodi grauauit pondere, vt crederetur sub iis moriturus, si paulò diutiùs in iis durasset; sapienti planè diuinóque instinctu ad tam arduum dubiúmque certamen fundendi pro Christo sanguinis extraordinaria sibi auxilia, extraordinariis accersens conatibus, ne indignum iis qui se præcesserant, sui relinqueret secuturis documentum; ad tolerantiæ quam auidè captabat materiam spectat studium paupertatis, pecuniam ad hoc penes se habebat sæpiùs, vt se illa quamprimum spoliaret, nec erat longior retinendæ mora, quàm dum occurreret, qui eam reciperet egenus, præsertim si foret Catholicus. Quibusdam vero facilitatem hanc amicè carpentibus, suadebat & ipse vt essent tanto se liberaliores, quanto se forent, opulentiores, vt qui nisi pro Deo acceptum, nihil haberet, id ipsum autem ob Deum erogando, nec defuturum sibi vnquam quod haberet, nec quod tribueret ipso quoque in carcere prohibitis omnibus ipsi opem ferre, de fenestra prospectans, pauperibus, quicumque ij forent qui incurrissent in oculos, argentum seu quid suppeteret mittebat, fructum putabat caritatis, necessaria sibi ad victum deesse. Iam conscientiæ, tam acuto erat, & delicato sensu, vt cum Protestantibus accumbens viris primariis, & humanissimis, ipsóque etiam Trencero nunquam adductus sit, vt faustam adprecationem mensæ præmitteret, vsque cauens esse sibi quicquam cum iis commune, ita porrò cautè sensus obseruabat maximè oculos, vt post triennium è Seminario Anglorum quotidie in Collegio Ro. iens, & rediens, viam nondum teneret, vtpote humi semper defixis incedens, ne quid in eos incurreret quò, vel fuscaretur animus, vel dissiparetur. Apud Dominos Arondelli annos egit decem, Londini partim, partim Doreſtriæ, sic vicinæ ignarus, & eorum quæ prope in oculis erant, vt domi semper fuerit tanquam hospes. Quod non ita fortassis mirum in homine, qui longè admirabilius quod esto primum actuosæ inter populos vitæ, & solitariæ cum Deo contemplationis

templationis simul copularat, vt quantum ex ea restaret temporis, tantum isti daret; illa si labore apostolici muneris integros exhausisset dies; hæc sopore animi sancto & vigili, noctes exigeret. Itaque Londino cum in Dorcestriam damnandus & occidendus duceretur, tres sibi quotidie horas solitarij silentij à satellitibus præsidiariis impetrauit, mane, sub meridiem & serum, quibus cum Deo solus & secum ageret, quantis vero ex illa diuinæ consuetudinis vbertate augeretur donis interioribus monstrauit eius splendor velut cœlo delapsi, quem in ore ipsius ex Dei colloquio redeuntis, venerati sunt milites; aliàs vero eiusdem species cancellatis ad pectus brachiis, genu flexo, apertis cœlum oculis intuens, cœterum immota, & alienato à sensibus animo extra visum & auditum, in Deo tota.

Patris Southuuelli, naturæ dotes, & gratiæ. Vocatio ad Societatem. Profectus virtutum mirabilis. Vita post regressum in Angliam. Vsque dum proditus ab impudentissima puella, in manus hostium deuenit.

CAPVT VIII.

DVM in Dorcestria proditorum morte interficeretur Cornelius eandem ad mortem pro defensione Catholicæ fidei se parabant, Societatis eiusdem Sacerdotes duo Robertus Southouuellus, & Henricus Vvalpolus, iisque victimis duabus consecratus hoc anno 1595. Mensis Martius, & Aprilis, altera Londini, Eboræ altera, vt Angliæ toti spectaculo fierent duabus illis primariis vrbibus ad Austrum, & Septentrionem clausæ. Ita boni illi publicæ rei consiliarij, nostrorum supplicia meditatò in loca, & tempora dispensabant ad refricandum subinde dolorem quo illos sperabant arcendos ab Anglia, & Catholicos ab eorum hospitalitate. Quam causam affert Henricus Garnetus, quamobrem nostris diuturnitatē carceris ærumnosi variè metirentur, vt semper ad manum aliquem haberent, cuius ostenti acerbitas recens, terreret alios. Anni huius beata, & prima sors Southuuellum excepit Ecclesiæ Anglicanæ monumentis illustribus celebratissimum, seu vitæ spectetur sanctitas; seu tolerantia tormentorum, seu mortis pretiosissimæ meritum & decus. Anno æui volventis, sub finem Iunij in manus hostium cùm venisset peregrinis discerptus, & lacer modis, abstrusissimo carceris defossus est cauo in Turri Londinensi, iacebátque illic, *velut mortuus à corde*, nisi quod Topcliffus qui

plus decies manus eius sanguine cruentarat, cognitoribus instabat quotidie, causam tandem illius cum vita absoluerent hominémque ad furcam, & cultrum damnarent. Quin & ipse tædio sepulti carceris, plus iam biennio infructuosi, & sterilis nullo apud Catholicos operæ pretio, Cæcilium rogauit Iuniorem, qui dum caperetur præsens adfuerat, & postea sæpiùs cum iussu Topcliffi excruciaretur, vel se ad examen, & causæ vltimum vocarent iudicium, vel in alium transferrent carcerem, vbi non penitus amicorum accessu & consolatione priuaretur. Renunciauit Cæcilius Southuuello, si tam dira illum teneret cupido patibuli, & cultri, & secandi frustatim corporis, se quidem minimè obstiturum, quin festinaretur hæc illi gratia; hoc vti præstiterit priusquam expono, pauca breuiter præmitto ab ipsomet notata Southuuello de pueritia, & annis sequentibus, vsque dum comprehenderetur, fient quæ sequuntur ex iis magis perspicua.

Gentis Southuuellæ in Anglia, nota est, & clara nobilitas; Southuuellus noster, Ricardi Southuuelli, & Birgittæ post natu minorem secundo genitus in lucem venit anno 1561. in sanctæ fidei castello, vna Norwico, leuca dissito, in Prouincia, Norfolkiensi. Narrabat se furto è cunis sublatum à femina ex iis quæ vagæ, mendicato, & furtis victitant, seque vulgo saracenas vocant; infantem vidit formosi aspectus, & nobilis, putauítque se olim boni lucri ex eo aliquid facturam. Incustoditum igitur à nutrice, collo sibi appendit, & auolat, alio in cunas vndecumque is esset supposito. animaduerso post paulùm nutrix inexpiabili suæ incuriæ, & facinoris alieni piaculo, quocumque versum tot vindices destinat, vt plagiariam denique inuentam spoliauerint sua præda, illámque domum retulerint. Quod beneficium, tam multa complexum nullo vnquam die prætermisit memori mente repetere, Deóque illius gratias agere, reputans animo, qualis alioqui se in perpetuum mansura erat vita, quam rudis boni omnis, quot & quantis contaminata flagitiis, Dei expers & Religionis, mortique obnoxia, quam par est tali vitæ succedere. Qualiscumque vero tunc remuneratio repensa sit feminæ cuius sagacitas, furem deprehenderat Saracenam. Southuuellus certè in Angliam redux, & patriam reuisens, quæri eam mandauit diligenter, repertámque immenso affecit præmio hoc est animæ salute, extra quam in hæresi peribat. Annorum factus iam quindecim à parente Ricardo Parisios mittitur, suo quidem haudquaquam minori quam filij bono, seu enim Oxonium, seu Cantabrigiam, destinasset, siue Londinum ad sapientiam, futurum erat iuueni pronius fieri Caluinistam, quam Philosophum, aut Iurisperitum; at in Angliam Sacerdos reuersus, & iam noster, prolixa fortíque epistola, repente propemodum rationibus æternis, patrem effecit solidè, ac verè Catholicum, antea enim secundis nuptiis vxorem duxerat è Reginæ aula, eiúsque in lingua Latina Magistram, ex qua, quanto temporariis commodis auctior, tanto egentior mansuris, & immortalibus, mente ignaua Catholicus; foris professione, & Protestantium in templis consuetudine Caluinista. Fuit tamen parentis eximia pietas, quæ Robertum suum diu Parisiis à se abesse sustinuit; fuit, & filij indoles qua se

nihil

nihil habere pretiosius sentiebat. Iis enim erat naturæ ornamentis paratus compositusque ad gratiam, vt exiturus in magna Dei obsequia videretur. Motibus primum animi fuit æquabiliter temperatis, exterius vero, vt aspectu ipso ita consuetudine multum amabilis, acri deinde ingenio, & subtili, cùm maturitate iudicij senilis, etiam in crudo virore iuuentutis adhuc immaturæ: porrò ad diuina, tam tener, & docilis, vt mirè in iis deliciaretur, nec tamen hæreret penitus, assurgebat enim præcipuè in generosa, & aspera desiderio vehementi, sed nihilo magis ardenter, & feruidè, quàm moderatè, ac prudenter. Demùm quod rarum in iunioribus, consultissimus in deliberando aptandisque fini consiliis; in decisis constans, & animo aduersus obiecta immobilis, hæc toto licet vitæ suæ decursu tenuerit maximè tamen in deliberando Societatis proposito, quo nihil antiquius habuit, annis illis duobus quos Parisiis egit.

Illic sodali vtebatur, nobili Anglo Ioanne Cotono; & ductore animi P. Thoma Darbisciro qui deprehensa in iuuene excelsitate indolis à caducis auersæ, & Deum ac æterna spirantis, currentem sic impulit, vt omnis in eius oculis euanescceret mundi splendor, & eò eius tædio grauaretur, vt leuare illud re nulla posset nisi fixo & rato eius abiiciendi proposito; cui tamen initio obstitit delectus optimi obscurum adhuc lumen. Solent enim eiusmodi animæ Deo ita volente quandoque suspendi, & aliquandiu perplexæ iactari, vt tanto firmius & immobilius in suscepta vita gradum figant, quanto lentius, & meditatius, & pugna maiori altercantium cogitationum eam clara in luce tandem elegerint. Tres illi menses abierant inter duos ordines fluctuanti, PP. scilicet Cartusianorum, & Societatis nostræ, instituto quidem ab iis diuersæ, sed suo ab ortu cum iis amore, & obsequio maximè coniunctæ, scribitque suo cuipiam tunc amico, angustiis animi per tres illos menses grauibus æstuasse, sub hæc sibi Deum aspectu quo solet animum serenasse, & in Societatis amplexum momento ita obfirmasse, vt nihil ambigeret se Christi delectu sequentes ob causas ad eam vocatum. Prima. Suum vt illi amorem testaretur Societatis eius professione, & imitatione crucifixi; deinde vt sua cùm Deo æquaret nomina, totis quindecim annis facta quos in sæculo vixerat. Tertia vt præsto haberet mystagogos, seu animi duces in salutis via, & perfectæ virtutis, diuinæ vbique securus voluntatis, quam securitatem, suis hominibus, Societatis Obedientia præstaret: quarta vt quicquid ab natura, & gratia boni esset sortitus, animarum saluti, bonóque impenderet cum martyrij fiducia iam inde expectandi. Fuit tamen hoc eius prolixo trimestri ad Societatem ineundam, consultatio Patrum diuturnior ad eum admittendum, vt eius probarent constantiam, quam etsi ardore incitatissimo & prensatione assidua prodebat non dubiam; at hoc ipso Patres agebant lentius, experti nimios ad magna, iuuenum præsertim conatus & impetus, in cœptis non durare, sed primo illo feruidæ potius naturæ quam consilij motu ponente, repentè concidere. Dolebat has moras iuuenis apud Deum, cilicio, lachrymis, & solitudine afflictans sese, orabátque iis tandem vt finem imponeret. Digna es-

set hoc loco lucubratio eius quædam, (nisi videretur paulum extra historiam exire) hac ille annorum non plus tunc sedecim lamentatus est illas tam ingeniosè, piè ac solidè, vt longè alium præferat auctorem. Cæterum his demum tam impatienter & diu vocatis desideriis satisfecit Roma, paulóque post quam illuc appulit, cooptatus est in Societatem, & in tyronum adscriptus numerum Octobris decimo octauo, sæculi septuagesimo octauo, ætatis decimo septimo, tribus iam annis Rhetorices, & Philosophiæ studio insumptis; probationis quidem residuum Tornaci peregit in Belgio, forte illuc transmissus ob Romani cœli æstuosam cui non erat assuetus grauitatem; eò reuocatus, magna ingenij optimi approbatione, studia omnia Theologiæ laude coronauit. Haud paulo tamen acrior iuuenem exedebat cura interioris pietatis, cuius aliqua nobis supersunt analecta; quæ vt solent qui optant tenorem inchoatæ virtutis ad senectutem perducere, adnotabat quotidie diligenter; ex quibus cernimus primam illam diem qua se Deo & Societati, votorum nuncupatione dicauerat, tantos illi ad summum virtutis apicem spiritus impressisse, vt iustum biennij excederent modum, nisi gratiæ vis esset omni ascensu & difficultate potentior, & eò interdum pertingerent pueri, vnde longius absunt cani. Pono hic artes promouendæ virtutis, & regulas quibus omnem dirigebat vitam, quas inter princeps erat, ac ferè perpetua, obiectare sibi ob oculos casus omnes, quibus esse obnoxius poterat. Dolores corporis, ariditates mentis; desertiones consolationum; scrupulorum tormentum, equuleos suggestionum hostilium, extremam inter homines execrationem, vexationem & contemptum. Generositatem, & patientiam iis opponebat, quibus sancti ea peruicissent, accommodabat sibi postremo hæc & similia, induebátque sigillatim, & impugnabat vi magna virtutum ardentium quibus à viris sanctissimis viderat expugnatas, magnum hinc illi virtutis gymnasium, magna vbique nunquam improuisi præsentia animi in omnes euentus, quicquid illi foret ab iis qui præerant iniunctum ita capessebat, vt si nec sciret aliud nec posset, réque ipsa sibi hoc persuaserat; Deo enim, aiebat, Prælatorum ore, mandante quæ vellet, quam se ad frugem Religiosus aptum putet, si boni nihil habeat? nisi vt Deo morem gerat per prælatum mandanti. Addebat autem homini de Societate nihil posse infelicius euenire quàm si eius Præsides iure opinentur, non esse illum ad omnia indiscriminatim quæ obedientia innuit paratum, quantum enim illorum à nutu, tantum ab eo recedit calle, quo vbertim ad nos Dei auxilia profluunt, & peculiaris curæ beneficia qua nos regit, ducitque non modo ad salutem, sed ad omnem virtutis præstantiam: nec enim illas supra naturam vires ad hoc necessarias imprimi nobis posse si disiungeretur mouens à mobili, & repetita quis voluntate quam nexu obedientiæ Deo obligarat, vellet sui curam seorsum gerere, sibi viuere, suus esse. His & similibus fundabat Robertus adhuc tyro virtutis primordia quam erat ad summum perducturus. Verum omissis nunc reliquis, miram animi eius voluntatem tacere non debeo in tenacitate religiosi propositi in quo incredibili

sua

sua acquiescebat voluptate. Æstimatis enim Societatis bonis ingentibus, fingebat animo [tametsi omnes, etiam Præsides, & Rectores eam desererent, Angeli ad hæc lapsa de cœlo forma, & tu cum iis abi, mihi indiceret; è contrario Rectorum aliquis auctoritatis adhuc suæ compos; mane tu, iuberet, perseuera in Societate; reiecto Angelo, Rectorem audirem, & hoc millies contestatus asserо, & affirmo.] Sic ille.

Florebat Romæ si vnquam alias Anglorum Collegium, prærátque illic maioribus studiis Robertus Cornelius, sed accuratius multo studiis sanctitatis, cuius ipse alumnis perpetuum erat documentum, & schola. His ipse spes pridem in Angliam missas vtcumque solabatur, fatebatur enim se inde à puero, spiritu impulsum, (qui non est, nisi magnarum mentium) reponendæ Christo vitæ, & sanguinis, post repensos eidem in salutem multorum mortalium sudores, quod desiderium postea ex Societatis instituto, & voto, multis illi creuit accessionibus, & flammis; nec tamen propterea Rectores importuna flagitatione de Indis, vel Anglia fatigauit, ratus, quod ait Deum propè nouitios ingentibus animis non rarò Apostolici muneris implere, haud quidem, vt statim in opus exeant. verum vt magno, & necessario excellentium virtutum apparatu, maturè se muniant, qui certè, non potest, nisi longa & acri temporis impensa instrui. Iámque illas ad summum Robertus prouexerat, cum ad Præpositum Aquauiuam Personij literæ, commodùm appellunt, quibus operarios poscebat in Angliam, sufficiendos interfectis; exilio, & carcere damnatis. Illuc ergo pridem cœlitus destinati mittuntur Patres duo Henricus Garnetus, & Robertus Southuuellus, qui Roma profecti Martio anni 1586. die Mensis vicesimo quarto, in prospectu Angliæ cùm essent, Roberto succurrit vltimum salutare amicissimum sibi virum, quo ad res animi vsus olim plurimum fuerat; scribénsque ad illum. En! inquit, sto in mortis præcipiti, accinctus in illam vt vltro proruam; [tuas hinc precibus infimi preces efflagito, vt quondam spiritum pietatis, tantumnon extinctum redonasti, vitam corporis impetres fructuosè seruare, aut fortiter ponere. Propè noui quo mittar, inter lupos nimirum, (vtinam, vt agnus) ad explendam eorum rabiem pro fide, & gloria mittentis. Expectari me ab iis resciui, terra marique insidiantibus, famelicis, & Leonum instar in prædam arrectis, sed Deo laus, morsus illorum non metuo, sed opto; nec tàm me ab illis parati territant cruciatus, quàm prolectant coronæ cruciatibus promissæ. Caro fateor nullius frugis est, & hoc ipsum scribens inhorrescit; *Sed Deus potens in prælio à dextris est mihi ne commouear.* Exemplo quipræiit auxilio aderit; adstabitque ad latus pugnanti, qui pugnaturum in arenam produxit.]

Nunquam antehac peius in Anglia Catholicis fuerat, nunquam periculosius, quam tunc erat. Post eiectos enim Sacerdotes ad septuaginta, omni planè, vt diximus in eam aditu intercluso, per medios tamen scrutatores, exploratores, custodum stationes, bono genio duce, saluus illuc euasit Southuuellus, & pia Baronis Auxensis hospitalitate collectus est, quem sexennio ante Personius restituerat Catholicæ fidei; post vero Comes

Arondellia magni merito fecit quod illum domi habere potuisset defuncti loco Sacerdotis qui ei à sacris fuerat, nupserat hæc Princeps femina magno illi Hauuardo, magnarum virtutum, decennis carceris, & mortis gloria inter Anglos, vt dictum alias illustri. Egit illic propè biennio Southuellus secum solus, haud tamen aliis otiosus. Et erat magnoperè semoto illo secessu opus, in amplissima familia, & omni conflata hominum genere, ne quis eius caput domesticus proditor consiliariis regiis triobolo venderet. Domúmque illam omnem iterato & grandi infortunio turbaret, nec ergo illi fas, efferre cubiculo pedem, nec auram, etiam de fenestris, nisi procul captare; nec cibum cum quoquam sumere; nec alium quam furtim sublatas mensarum reliquias, quas ad illum Catholici, & pauci fidelitate nota ferebant famuli. Semel cùm esset illius opera necessitati rogantium indulgenda, lecta sunt ad hoc momenta noctium, minimum suspecta, & simulatio diuersi habitus à cultu Sacerdotis omninò alieni, & quidem hæc illi solitudo negotiosam præbuit libertatem agendi cum Deo, & facultatem piissimæ comitis ad vlteriorem gradum, scriptione librorum promouendæ, & tempus commodum ad corroborandum epistolis fortibus, mariti animum ad patientiam carceris quo tenebatur, immobilem. Sed quæ per se nequibat Cornelius, conficiebat aliena manu. Comitem nactus liberalissimam, Sacerdotes Catholicos pauperes alebat eius sumptu, & Londini nostris conductum tenebat hospitium, quo ad consulendum variis de rebus, recipiebant sese; typographos ad hæc edendis quos vulgauit libris. Cadente non nihil tempestate, & flaccescentibus vtcumque iris, paulò liberiùs in proximi opem se fudit latius, ad quam etsi arderet totus, sed eum ardorem cauta vbique prudentia dispensaret, breui tamen, & indicatus est, & denuntiatus Vvalsingano, quem auaritia fefellit satellitis ad comprehendum illum missi. Dum enim Cornelio contiguam Catholici expilat domum, ringente nequicquam Vvalsingano euasit Southuuellus. Circumseptus alias proditorum manu, varia illum fraude cogentium, & prolectantium in Catholicorum domos, non commisit Deus etsi maximè veller eò ire, nec tensas sibi insidias, nisi post dies aliquot rescire. Qua paternæ Dei custodiæ confidentia armatus nihil sibi sollicitus, eius in sinu placidè quiescebat, certus se nunquam in manus hostium, nisi Deo volente venturum, quod sexto tandem euenit anno post eius aduentum in Angliam, idque in hunc modum.

Erat Vxendoni pago milliaribus ab vrbe decem domus Catholica, præter patrem familias simulatione Protestantem, nomine Bellamicum; eius curam iuuandæ quam Personius & Campianus gesserant suscepit Southuellus. Spectabat ad eam familiam Anna virgo, dum egit inter agnatos sancta, totáque ex igne, & spiritu concreta; post ab iis Londinum occasione Catholici nominis abstracta, & clausa carcere Vvestminterienſi, cum virginitatem, & fidem Catholicam illuc intulisset, paulò post inde vterum & apostasiam extulit. Sceleroſus senex, & turpis aspectu Topcliffus eam deperiit, & adulterium infame repetito adulterio velatutus, eam suo cui-

piam

piam in carnificina carceris ministro ; extra carcerem lictori vxorem tradidit. Cui perdito corpore, animo, pudore, & verecundia prosapiæ nobilis, restabat vt nefas multiplex exaggeraret piaculo grauiori, & Magistri optimi sanctum caput consiliariis Regiis venale, nouo sponso daret, sperans fore vt etiam à Regina compelleretur parens ad constituendam illi dotem, propudioso alioqui eius connubio minimè debitam. Ficto igitur nuncio ad condictum diem accersit Cornelium Vxendonum in ædes Bellamici, habere se illic de negotio animi cum eo tractanda. Ignarus Southuellus barathri quod sibi flagitiosissima puella foderat, rediens ad Garnetum, tantisper de via decessit, vxendonique sub noctem à familiaribus, proditionis penitus ignaris, comiter de more accipitur. At ecce densis iam tenebris vallatur ab Topcliffo, lictoribus domus, verum haud ita festinato quin se Robertus cum supellectili altaris in suas latebras sed frustra mersisset ; eas sceleſtissima puella spreto crimine maiestatis quo parentem vtrumque implicabat, indicauerat Topcliffo, cui se illas quærenti, puellæ mater cum negaret planè vllas scire, aut vllum domi latere Sacerdotem, ast ego te inquit, illas docuero, & recludi iusso quem norat loco, deprehensum Robertum adscititio eius diei vocabulo appellauit, dein albente in auroram cœlo præmisit ex suis qui gratularetur Reginæ comprehensionem Roberti Southuuelli, tanto ambitu quæsiti, tanto capti, quem lucente post die Iunij vt fertur vicesimo sexto sesquimillesimi nonagesimi & secundi anni arctè in equo alligatum Londinum triumphans duxit.

Decies torquetur Southuuellus, multo atrocius quam in equuleo. Quamobrem in Topcliffi domo Sacerdotibus inimicissimi? quanto animi robore hostibus etiam laudato. Quam deinde tetro arctatus carcere. Quod eius causæ iudicium? quæ defensiones extra causam. Quæ mortis sententia, sanctitas, & admiratio etiam apud hostes.

CAPVT IX.

PRIMVS Roberto includendo, & claudendo carcer, Topcliffi domus præter morem fuit. Nouitatis causa crudelitas Iudicum immanis, ipsiusque Topcliffi immanior. Catholicorum Sacerdotum in Turri Londinensi cruciatus horrendi & formidabiles cum passim

vulgarentur, & describerentur, execrationes populi totius in iudices verterant, qui feris truciores cruciamenta suorum ciuium suas facerent voluptates. Hanc ab se infamiam vt amolirentur Ministri duo parens & filius, in aula gratiosi, eorúmque sequaces, excogitarunt quo atrocius sæuirent dum minus sæuire viderentur, torquendorum ius, & arbitrium Sacerdotum in Topcliffo integrè reponunt, domi suæ clam id exequeretur in subur-bio Vvestminsterienſi, res fore occultas, sed intellecturos Sacerdotes quo suo compendio questi essent. Iactabat enim hic Phalaris se venatione quondam oblectatum, seni vero tunc nihil esse delectabilius venatione, & laniatione captî Sacerdotis, addítque Garnetus, iis timoribus Reginæ pectus muliebre imbuisse vt putaret sibi exitium à Sacerdotibus imminere quod fidelitati suæ obstrictos populos ad Papam auerterent, audiretúrque illa eius crebra, & cruda vox, quamdudum nullus ad furcam Sacerdos? & suprema illorum iudicia, damnationésque properaret. Cuiusmodi esset feralis machina, qua Topcliffus Robertum, inuisis & nunquam auditis excruciauit modis, illinc equidem nobis delineauit nemo, nec mihi de illa huc missa narratio aliud suggerit, nisi eam fuisse quouis equuleo terribiliorem. Suspendi solitum ex pariete reum vtraque manu, sed ferro ad arteriam vtramque obstricta, cui acutissimus suberat circulus; & retortis in crura tibiis, quod specus torquendorum staturam hominũ non æquaret, septem horas & plures pependisse in tanto cruciatu quoad animo linqueretur; inde tantisper depositum, & stillati liquoris refocilla ũ aspergine, vomuisse sanguinis copiam, dehinc à tortoribus cruciatui redditum. Postremo Robertum supremam auditurum damnationis suæ sententiam, interpósita Dei appellatione apud Iudices grauiter conquestum quod se Topcliffus qui tunc aderat præsens, carnificinæ illi decies admouisset, cuius sibi dolore tolerabilius fuerat mortem decies obire inter atrocissimos cruciatus, demũ Iudicibus supplicem rogasse, ne incrudescerent tam ferum in modum in homines, se quidé quæ Dei gratia, tam horrendo defunctum supplicio, consulere aliis, prónius si quidem nihil fore, quam vt tormenti supra vires humanas intolerabilis reperitam sæpè barbariem confessione tandem falsa redimerent, & enorme aliquod insonti crimen affingerent. Quo attonitus Cooxeus Reginæ aduocatus, contestatus est, se ne semel quidem illum cruciatibus applicitum rescisse; Topcliffus elusit velut rem sibi peregrinam, & ignoram; nam hic ait, tormenta cuiusmodi censet, quæ cordis, deliquia, & vitæ fabulatur? Ne equuleum quidem vidit. Non queror, intulit Robertus, equuleum; sed illud equuleo cruciabilius organum, cui sum decies admotus, quod cùm cœpisset coram describere, prima eius verba intercipiens Topcliffus, prodat, inquit, tantorum cruciatuum, vulnera cicatrices, liuores, etiam vibices. Quasi vero puerperæ subiicit Robertus, partus sui dolores vulneribus, aut dolorum vestigiis probent? Hic insaniens Topcliffus temerèsibi excidere passus est factam sibi scripto à Consiliariis Regiis potestatem Roberti cruciandi quantis, & qualibus libuisset, & placuisset pœnarum figuris, dum ne illum tamen occideret. Expostulari ergo quid posset, cum eum repræsentaret

repræsentaret viuum? atque hic illo ex flore hominum, scilicet grauium, æquitatis tutorum, & populi Patrum, ridere alij: iocari alij in Robertum, Cookeus superbè, vos nempè, inquit, solos Iesuitas torqueri nefas sit, quod sitis aliis peiores? Nihil est quod D. Topcliffus à se factum purget, quicquid vobis illatum est mali, iure illatum est. Habemúsque ad centum ex vobis, quibus reuulsa vitalia teramus in minutal. Topcliffus tanto confidentior defensore, si par, inquit, mihi arbitrio potestas fieret, nihil foret charius, quam quicquid Iesuitarum est, dispulueratos in auras mitterem. Latuit prima hæc decumani rormenti aduersus Robertum atrocitas, ante damnationem eius vltimam, nec nisi ex ipso in concessu iudicum; tortoris præsentia, & turba populi rescita est. Conflauit ingentem consiliariis inuidiam quod arcani, & crudelis mandati, priuatæ domui commissa executio patuisset, Topcliffi ipsius testimonio confirmata. Quod tantis populus odiis, & detestatione sæuitiæ infectatus est, vt reum facerent consiliarij apud eos Topcliffum, quo ab ea se nota absoluerent. Ducitur Topcliffus, ducendi causa vulgatur excessus torquendo præter ius Roberto, præterque potestatem à consiliariis acceptam: accusabatur præterea defensi audacius quod à filio patratum fuerat homicidij, & expectabatur exemplum aliquod in eo edendum. Verum vno solum delegati, seu Commissarij priuatus est munere, quo tam impotens, & audax in Catholicos grassabatur, & ad scrutatoris vile ministerium redactus. Iam tot admoti Roberto cruciatus, & mortes, vt nihil agerent, nec extorquerent ab eo syllabam innocentiæ propriæ, vel Catholicorum quieti aduersantem, statuit omninò nihil examinibus, & cognitionibus respondere, haud quidem silendo, sed contestatione diserta silentij, & negandi ad omnia responsi, iam nihil dubitans quicquid, quantumuis ingenuè, sincerè, & candidè dixisset detortum iri à quæsitoribus in suspiciones, & rebelliones, nunquam non pro religionis negotio suffici solitas, sed nunquam probatas. Cuius sui tam tenax propositi fuit, vt interrogatus, an esset Londini S. Petri templum aliquando ingressus, (quod erat perinde, vt si Romæ quis à ciue quæreret, num S. Petrum aliquando intrasset) vel ioco, ait, vel serio id quæratur, non respondeo. Rumpebatur amens ad hoc animi robur Topcliffus, & interpretatus crudelitatis suæ ignauiam, & pudorem, tormenta in cassum repetebat, stupebant, & duo Cæcilij parens, & filius hanc viri sancti cum laude constantiam, etsi Iesuitis capitaliter infensi; narrabat filius, tormenti genus, ingeniosa feritate peius equuleo fabricatum, & quibusuis aliis cruciabilius, sic à Southuuello se coram fuisse toleratum, vt quamuis animo, ac vita linqueretur, nullam prorsus quærenti dederit responsi vocem.

Ridebat parens antiquos Heroas in cruciatibus constantes. Habere tunc Angliam Southuuellum Iesuitam à quo decimum exquisitè torto, extorqueri tamen, vel hoc solum nequisset, cuius fuisset pili equus, in quem die designato notatus fuerat insendisse; ne, inani licet, coloris indicio incommodaret Catholico, qui sibi equum commodarat. Hæc de illo Cæcilius senior, sed extra cruciatum, humanissimè omnibus satisfaciebat, de

rebus ad causam attinentibus. Dempto solum vno cui aures non dabat Topcliffo, quod expertum se diceret, minimè illum ratione duci.

Ab Topcliffi Baratro, ad Portum Vvestminterienſem computruerat in subterraneo carcere, non toto bimestri, cum ad iudicum productus tribunal squallore, macie, sordibus, & putore mouit omnibus sui miserationem simul, & horrorem. Hoc parens, vt vidit, aut didicit, procidit ad Reginam supplex; meminisset pro sua clementia Robertum Southuuellum reum suum, natu nobilem esse; si qua culpa esset, vel accerseretur apud eam reus, ageretur cum eo, vt mos, cum nobili, nec instar vilissimi, & flagitiosissimi latronis, miseriarum prius dehonestamentis quam iudicio necaretur. Accepto igitur commeatu, semiputres tabibo detraxit pannos, vestiuit, aluit, S. Bernardi opera ad eum misit, cui Robertus videbatur suauitate pietatis, & morum simillimus. Inde turris est clausus carcere, tam retruso, nemo vt illum adiret foris, nisi semel & iterum soror. Piæ quædam matronæ, & semel & procul, & simulata florum emptione, vt illum prospicerent, turris hortum ingressæ tamdiu illic hæsere, dum illas è sua spectasset feneſtella, ad quam velut aliud agentes, versus illum flexere genua, eiúsque beata potitæ adprecatione, abiere. Refert item Garnetus se quamuis difficile, sed tandem inuenisse quà Breuiarium diuinum ad eum transmitterer, cuius demum recepti à carcerario Portæ nouæ, decursis foliis nihil in iis nisi hæc ipsi familiaria legisse, acus punctionibus ab eo inscripta, *Deus meus, & omnia, & Deus tibi se, tute illi.* Ex quo coniecit ad scribendum necessaria illi defuisse, tametsi haberet, erga se Gubernatoris Vicarium & mirè propensum, & virtutis suæ maximum laudatorem. Menses exegerat triginta in solitario carcere, cum ex Turri ad carcerem transfertur portæ nouæ, siue vt vocitant Neuugatos, pessimum, ærumnosissimum, omni sceleratorum colluuie infamem, nonagesimi quinti anni Februario, & die mensis decimo octauo. Erat ibidem & carcer alius quem Limbum nominabant, quod subterraneus, & cæcus, & nulli peruius auræ, luciſue spiraculo. In hunc se proiici Robertus idcirco gratissimum habuit, quod eum fidei confessione magnanima multi Christi athletæ, & conuersionibus multorum ad veritatem Catholicam, vitámque insignibus, sacrassent. Illic præteriti carceris perpessionibus semiuiuo, & propè consumpto conciliauit Deus affectu tam tenero ipsummet carceris custodem, vt omni barbarie posita, viseret illum sæpissimè, lumen ei candelæ, mensam, foculum, lectum suggereret, idque tam expressis beneuolæ mentis indiciis, vt stuperet Robertus, per biduum quod in Limbo egit plus à Caluinista expertum se liquidæ charitatis, quàm ab alio quouis in Turri Londinensi. Cuius quidem mutandæ causa noua hæc fuit quod esset quamprimum ad status Regij tribunal statuendus, die nempe Martij altero anni 1595. quo die benè manè anus misericors, carcerariis solita famularem operam præstare, Roberto pateram attulit, succosi cuiuspiam iuris, & sume, inquit, mi Domine! quo paulum refectus fias vegetior, egebis enim mihi crede, vigore non modico, vt causam & vitam coram Dominis subsellij Regij tuearis;

tuearis; quod ex ea primum didicit Robertus. Cœterum ex more Angliæ, de maiestatis sceleribus ad respondendum imparatus: tantum nihilominus iudices supremi illius tribunalis, quod *Scamnum Regium* nominant, extimuere non Deum, aut conscientiam animi, sed damnationis infamiam in caput hominis torquendi palam, & liquido innocentis, & supplicij proditorum huic inferendi, vt actus illius abominandi populis, & probrosi, quam pauciſſimos potuere, curarint habere spectatores. Statuere igitur, vt qua hora deduceretur ad tribunal Robertus, eadem famosus quidam homicida carnificis manu ad Tibornum, iure damnatus necaretur. Sed eorum ingratiis, tantus interfuit tragœdiæ illi spectantinm populus, vt qui aderat præsens & distinctè notauit singula, testetur armatos qui Robertum ducebant vix pares fuisse perrumpendæ turbæ qua opprimebantur.

Priusquam vero is coram vocaretur, coïere vna iudices causæ vniuersi, vt inquisitionis eius tabulas à tribunali acciperent, & vicissim darent. Aderat supremus Iuris Prætor & pacis publicæ Conseruator Ioannes Popamus; Audoënus alter Iudicum assessorum; Eduardus Cocke Reginæ aduocatus: Euanus Baro capitalis: Hartus Senator, Topcliffus Fouvlerus: Skatingtonus, Stanhopus & alij. Parte alia viginti quatuor, ad hoc designati, vt seligerentur ex iis duodecim, ex quorum iurato iudicio pronuntianda erat sententia. Omnibus deinde suas in sedes compositis incipit Popamus. Mandatum sibi ab Regina legit pronuntiandi de causa Roberti Southuuelli, subdit nolle se vti tota mandati potestate, nec plenis in eum cognitionibus agere; sed reum dumtaxat maiestatis probare ex legibus, anno Regnantis Elizabeth vigesimo septimo stabilitis: quarum æquitatem, tam ratam omnibus oporteret, & tanti ponderis, quanti esset Reginæ corona, & caput, regnique totius securitas. Quod ob Iesuitas priuatim visus probare voluisse. Orsus enim à Northumbriæ motibus ad presens, armorum motus atque animorum coniurationes, & tumultus, vel excitatos in Anglia, vel fictos, tam confidenter Iesuitis, & securè omnes attribuit, ac si omnes teneret confessionibus illorum iuridicis liquido conuictos. Adiecit his extra Regnum gesta vsque in aduentum Hispanici militis & annum octogesimum octauum: in quibus Alanum Cardinalem, Iesuitam fecit, ne essent ab iis etiam immunes Iesuitæ, quæ in Alanum coniiciebantur. Postremo tot libros in lucem editos, tot Seminaria Anglorum iuuenum, Iesuitarum inuenta esse, ad Religionem euertendam, & cum Religione Regnum ipsum. His prolixe bacchatus, tabellioni innuit accusationem recitaret titulo Middlesex, à Prouincia seu comitatu ad quem illa spectabat causa. Legebatur autem in hæc verba. [Iurati Reginæ nomine exponunt Robertum Southuuellum, vltimo Londinensem, clericum, in hoc regno natum, à natali Ioannis Baptistæ Reginæ eiusdem anno primo, ad vigesimum alterum & Maij primum, initiatum Sacerdotem auctoritate deriuata, & ab sede Romana vsurpata, spreto Dei timore, Regni legibus, statutis, & pœnis, die Iunij vigesimo sexto trigesimi quarti dictæ Reginæ anni, propè Vxendonum deprehensum, in rebellij crimine velut Dominæ

Reginæ proditorem.] Post quæ resumens Popamus, si tam grauibus, inquit, adulteria monetarum plectuntur suppliciis, quanto magis doctrinæ sanioris, & fidelium animarum. Inaugurari sacris à Papa Ro. Angliæ hoste capitali, & Religionis Anglicanæ, hoc quid aliud est nisi regressum in Angliam moliri, ad euersionem Regni, & Religionis? Quibus dictis illam, produci iubet Bellamicam Topcliffi prius adulteram, quam vnius ex eius carnificibus maritam, quæ suis indiciis Robertum prodiderat. Hic effrons meretrix, proiectæ salutis, humanitatis, & propinquitatis, accusationem obtulit *Billi vera* dictam, hoc est veram accusationem, qua cum Roberto patrem, & matrem crudelis perfida inuoluit, testata reos violatæ maiestatis; ac post hæc tandem vocatus est Robertus ad tribunal. Dedit ille se in conspectum, eadem animi, orisque firmitate qua iudicij huius sui, paulo ante acceperat nuntium, quo recreatus est maiorem in modum, & alacritate intima gestiit. Humili corporis proclinatione salutauit in primis consessum. Solutis dein vinculis quibus brachia stringebantur, moxque citatus de nomine, alte quoque manum liberam sustulit, vt se illum ipsum qui citabatur esse confirmaret. Accusationem ante recitatam, cum sibi prælegi audisset. Fateor, inquit, me regressum in Angliam, & quidem legum apprimè conscium, quibus vetabatur. Sacerdotem me esse, ac summi Pōtificis auctoritate consecratum; tantum absit, vt negem, quin Deo potiùs tanti boni gratias ago infinitas: testorque illum sanctè, nullo me aduersus Reginam, patriam, & publicum otium affectu non sancto, fideli & pio inductum, vt in Angliam redirem, sed tantum vt ministerio sacrorum, quod est Sacerdotum proprium, animis opem ferrem, quotiescumque hanc me poscerent. Abrupto hic statim dicente Popamus, non quæruntur hic depulsiones accusationis, sed verbis duobus, vel reum te neges, vel annuas. Ego ait Robertus, me reum pernego. Popamus, cuius ergo placet de causa tua stare iudicio? diuino, respondet Robertus, sit mihi Deus in ea iudex, & vos ipsi. At enim quod legum est proprium haudquaquam nobis arrogamus, legum est, de te decernere; tuum vero illarum iudicio subde. Leges, infert Robertus iniustæ, non possunt de me iustè decernere. Et hoc propterea inusitit vocabulo, iniquas nominans, quod Sacerdotes Catholicos maiestatis damnarent Religionis auitæ in Anglia defensores, & popularium suorum saluti placidè incumbentes. Tumultuatus est multis Prætor iuris Popamus, ad nomen legum iniustarum, & hoc ipsum nolle propterea Regni legibus subdi, crimen esse nouum læsæ maiestatis, cuius se reum non posset negare, seu recusaret legibus subiici, siue annueret. Fiat, inquit, Robertus, fiat sanè quod vetare non possum, legum iudicio causam meam permitto. Tunc designati sunt illi duodecim quibus illico iuraturis, (vnde & nomen iuratorum ducunt) misereri se Robertus audenter fassus est, & eorum dolere infelicitati. Redacto mox in solitam formam iudicio, prodiit Cooxeus fisci causidicus (is vero farinæ cuiusmodi fuerit deinceps multa prodent.) Suam exorsus est declamationem professione silentij quod sibi proposuerat tenendum, cùm esset, tàm clarè, Southuuellus, iure, & factis reus

nihil

nihil, vt iam de illo quærendum restaret, sed enim illam eius vocem tanquam iactabundi qua se in illa causæ suæ defensione breuissima professus esset Deo summas Deo gratias agere quod foret Ro. Pontificis auctoritate consecratus, vocem, aiebat illam ferri silentio non posse. Illudque primum exclamans Caïphæ, quem graphicè admodum referebat, *Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus?*

Ipse verè in Deum contumelioſus, & impius, asserebat diuina, vel humana spectares, Reginam Elizabeth superiorem in terris habere neminem. Sacerdotij dignitatem, & quicquid ad illam attinet, qui acceptam ferret Pontifici Ro. hunc sua Reginæ iura detrahere, illa eius hosti iniustè tribuere. Hinc vero confici, quàm iustæ leges essent, ac necessariæ, quæ pœna capitis vetarent haberi quicquam à Papa suspensum, aut cum illo commune. Harum multas laudauit Parlamenti decretis sigillatim expressas, vt erat qua prohiberetur sacrum quid domi occultare, quod Roma venisset: omnes à Christo traditas iubente, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, reddi. Spissam post hæc mille erroribus, criminationibus, coniecturis pro libidine confictis, & falsis farraginem confudit, cuius ad decerpta seorsum singula volens satisfacere Robertus, quod ex diuturnitate tormentorum atrocium iam memoria vacillaret, nec posset simul tam multa complecti, inhibitus est à Prætore & fisci aduocato, eique hoc tantum licuit quod dictum fuerat laudare, reddendum Cæsari, quod esset Cæsaris, nec se, nec vllum qui modo esset Catholicus, Reginæ denegare quicquid mundi totius Principibus debetur, & redditur; quos sonat vox illa Cæsaris. At illam deinceps particulam, *& quæ sunt Dei Deo*, cur subticuisset aduocatus? Aut quo Euangelij noui textu nouo probaret, Religionem, salutem sempiternam eiusque præsidia, Dei gratiam, animas, & quicquid demum supra naturam est, ex temporaria pendere Principum potestate? quasi ad imperium corporum, rerumque infimarum, accessus quidam sit animorum imperium, & rerum cœlestium. Vbi vero legisset alium præter Petrum eiusque successores, inductum à Christo in possessionem Regni Dei, eiusque clauium; proin videret etiam, atque etiam Cooxeus, ne Sacerdotibus, morte legibus indicta, prohibendis à ministerio innocenti, & necessario ad salutem suæ patriæ præbendo, illam in se quoque à Pharisæis conuerteret, apostolorum admonitionem grauissimam, *Si visum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum? iudicate.* Pergentem pluribus, ad alia omnia auocant; testimonio Bellamicæ recenti onerant, testificabatur se ab illo edoctam, licere sibi exploratoribus negare vllum domi latere Sacerdotem, & vero etiam iurare, tametsi latere aliquos certo sciret. Quo doctrinæ portento scilicet, vniuersum tribunal tam grauem visum est offensionem præ se ferre, vt tantumnon aures obturarint. Quasi Sacerdotes ad sacrilegia, & apostasiam; ad tormenta, & mortes ignominioſas & iniustas venari, tam certo liceret, ac liquido, vt nefas esset vice versa tam iniquis illos, & iniurioſis pœnis, domosque cum iis integras negando subducere aduersus iniqua imperia, & vsurpatam potestatem. Ad hæc Cooxeus insanire, reque certa &

proba extra rem, rectumque traducta exclamare, his monitis exterminari ab Regnis, & rebus publicis, cunctisque hominibus, veritatem, fiduciam mutuam, & optimam gubernationem. Subiecit quisquis is fuerit, cathedram tam pestifera docentem, esse omnino carioſam, & ruinæ proximam. Topcliffus adeò aliena, extra modum effutiit, vt eius denique Prætorem tæderet, iuberetque hominem silere. Audiri vt potuit Robertus, traditum ab se Bellamicæ, sed ab ea detortum monitum syncerè explicuit, versusque ad iudicem, sibi esse in promptu, si loqui daretur, professus est, ex sacris paginis, & SS. Patribus, Theologis, ipsaque ratione demonstrare, qui rogantibus perperam, contra mentem illorum responderent, nec iuri diuino, sed neque humano contraire, nec quicquam hinc nasci publico vsquam bono periculi; quin neque parcendum etiam iuramento, si recta, ac necessario iuraretur. Incipiebatque ab interrogatis sicariorum, & latronum ad hoc scitantibus, vt prædarentur, & necarent; cum ex eo Popamus, haud quidem animi gratia, sed in eius contemptum qua esset ætate petiit. Robertus; eadem qua Christus coram Pilato stetit. Quam vocem Topcliffi sanctæ scilicet aures non tulere. Tute ergo, infit, adeò effrons es, Christo parem facis? Ætate, subiicit Robertus, de cætero, Dei filius est, ego vermis & quidem viliſſimus; pauciſque interiectis, illud ex Euangelio proferens, *De die illo, vel hora, nemo scit, neque angeli in cœlo: neque filius, nisi Pater.* Diem illum postremi iudicij Christum scisse. Teste Hieronymo probauit; sciri negare potuisse, percunctantibus scilicet indicandum, iustas ob causas quas censet idem sanctus. Esse vero hanc prorsus in Anglia Catholicorum causam. Reposci ab iis Sacerdotes torquendos, perimendos, euertendamque in eo Regno veram Ecclesiam; ignorare autem vbinam lateant idem esse, ac nolle contra ius omne illos quærentibus prodere. Nihil habens ad ista Popamus, nec volens videri ea tacendo approbare, pueri nomine Robertum explosit, quem parum deceret scripturarum pompa, & sacrorum patrum: quorum an saltem numerasset libros, & primos legisset indices, contemptim rogauit, Cooxeus conuitiorum plaustra contemptui adiecit. Robertus, furentem demulcens, placide illum consuluit quid opus facto foret, aut consilij quid esset daturus in perplexitate articuli quem fingebat. Fingamus quod absit, Reginam ad necem iniustè ab Rege inimico peti, eamque se latebris tutari, & te illud nosse latebrarum arcanum. Si te vrgeat cruentus, & iniquus hostis illud aperias si scias; vel te iureiurando expedias, & iures nescire. Quæro sisne Reginam proditurus, & manifestarurus latebras quibus solis seruatur; an legitimo, & sancto iureiurando illam seruaturus? Cernens Cooxeus doctrinæ Roberti, fauere iuramentum; Reginæ futuram exitio manifestationem latebrarum; surdi & muti simulatione exiturum, ait, ex iis anguſtiis. Ex Popamo nihil auditum est nisi parem non esse vtrobique causæ rationem; idque quoad personas ipse quoque concessit Robertus, nec itum vlterius. Sed iactata diu est quæstio inter Protestantes, & Oxonienſis Doctor Abboëſius aduersus Southuuellum, & Gerardum de æquiuocatione librum scripsit, cuius pretium

tium tulit Decanatum Vvinceſtrenſem. Huic tamen Garnetus oppoſuit alium quo plenè Catholicis ſatisfecit.

Diſcuſſione cauſæ profligata, ſecedunt Iurati; poſt quartam redeunt horæ partem, & Reum pronuntiant Robertum. Poſt quæſita ex eo quæ ſolent, Popamus in eum ſententiam tulit, & proditorum ſupplicio damnauit, hac ſolum ex cauſa quod eſſet Sacerdos Ro. & in Angliam rediiſſet. Hic demum Robertus ſublatis manibus, & ſereno oculo cœlum tuens pro ſe gratias Deo egit; tum illi pro iis à quibus damnabatur intimas preces fudit. Inde operam Prædicantis deferenti Popamo, gratum teſtatus eſt animum, ſed longè ab ea opera abhorrentem. Religantur poſt hæc damnato brachia, & ſuum in Lymbum reducitur pedes, contra quam volebant qui prono Tameſi cenſebant vehendum ne ſecus quam vellent in via quempiam affaretur. Sed reiectus eorum metus, & reuerſus eſt in ſuum carcerem Robertus explicata fronte, magnitudinem præferens ſemper ſibi ſimilis animi, & notis ſibi Catholicis ſalutationes rependens beneuolas. Vix Lymbum ingreſſo adſunt ipſi aliquot Prædicantes experturi an poſſent eum Lymbo profundius hoc eſt ad inferos trahere; ſed triſti ſua & probroſa iactura. Iis enim acri, & prolixa Roberti diſputatione exarmatis, cuſtos carceris, illius virtute pridem motus, doctrina nunc tandem & rationibus conuictus, fidem amplexus eſt orthodoxam. Hic autem lepido delicatæ conſcientiæ oſtento, patuit quam religiosè Roberti doctrinam exſecrati eſſent de iureiurando, ſuis fidei euertendæ aduerſam conſiliis, qui verum crudumque periurium laudi ac merito ducebant, dum eodem fine & conſilio interponeretur. Examinabat P. Ioannem Gerardum in Turri Londinenſi Youngeus cognitoris delegatus firmiſque ſentiens ſtantem radicibus, ratuſque fortius alieno poſſe inſigni exemplo quam ſuis argumentis quati; Robertus, inquit, Ieſuita, ſed te prudentior, conferre optauit ſua quædam cum noſtris Theologis, (quod erat perinde, vt ciues obſeſſos deditionem ſed honorariam meditari,) volet, inquit Gerardus ſatagere, poſsintne à falſa doctrina dimoueri, non autem illos de ſua conſulere. At enim delegatus, ſumpto coram ex menſa ſacræ paginæ libro, & deoſculatus eum reuerenter, iurauit Southuuellum ad Caluiniſmum ſe parare. Qui aſſidebant delegato, vna voce omnes, vno impetu, & conatu, viro tanto aiunt, & tanto iuramento fidem denegabis? Quibus Gerardus de Southuuelli mente ſecurior ego ſum, quam de fidelitate Delegati, ſomniat forte hic licere periurium, quod fine bono conceperit, mei videlicet euerſionem quam putat optimam. Enimuero reſumit delegatus, ſi noſter eſſe voluerit Southuuellus, recuſaueris illum ſequi? Prorſus, inquit Gerardus recuſabo; nec enim propterea quod Catholicus eſt, aut quiuis mortalium alius, idcirco ego Catholicus. Atque hic iudicio & fraudi concinnatæ finis impoſitus.

Poſtridie manè, Februarij vigeſimo primo Anglis, nobis Martij tertio, Roberto ſupplicium denuntiat carnifex, excipitúrque ab eo ita geſtiente, vt ſi nihil carius, nihil potuiſſet in terris venire illi felicius, cumque aliud non haberet, ſpecimen voluntatis, liberaliſſimè daturus ſi quid præterea

habuisset, detractum capiti pileolum carnifici dedit, à quo licet Caluini mancipio, nec prece nec pretio illum redimere Catholici vnquam potuêre. Inde vltro in traha cratitia supinus, porrectisque ad vincula manibus, vt ad equi caudam in ea ligaretur, à quo erat in Tibornum raptandus, coniectis in cœlum oculis, siccine Domine, tam vilem seruulum tanto te honore dignari? Sit hæc tuæ vnius clementiæ gloria. Qua voce rusticus qui forte aderat, haud scitur vtrum Catholicus, sed piè admodum affectus, Deus exclamat, bene tibi velit, & faciat; adsit, & roboret; nec obiurgatione quorumdam vetari potuit quin repetens pergeret, ac vehiculum oculis sequeretur; cuius etiam ad latus accessit eius soror nobilis femina, fratri vale vltimùm dictura, & imploratura eius preces, ille actis beneuolentiæ gratiis, ab hoc, inquit, te luto exime, (erat enim locus alto ceromate impeditus) multoque citius, ab his fori Ministris, qui tibi facile iniecturi sunt manum, si paulo diutiùs hæseris. Viæ reliquum peregit silens, cum Deo, & in cœlo, totus, vultu ita placido, & sereno, vt inspectantibus admirationi simul & pietati esset. Tiborno vicinus in dorsum resedit tantisper, vt furcas gaudens oculis salutaret; mox in dorsum vt ante recubuit; solutus vehiculo, quod iactatione resilierat in os lutum absterst strophiolo, ipsumque strophiolum, nostrorum vni quem procul agnouerat proiecit, à quo illum deinde Garnetus, à Garneto recepit Aquauiua Soc Præpositus cum narratione mortis eius ab eodem è nostris qui spectârat præsens fideliter scripta, iisque optimè respondens quas aliunde accepi quam plurimas. Est autem illa quæ sequitur, iusso inde currum ascendere Roberto, & stare in pedes, ad ima patibuli soluit thoracis globulos carnifex; & interrogânti fas esset necne alloqui populum, respondit carnifex fas esse. Præmisso itaque illo Apostoli ad Ro. *Siue viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur; siue ergo viuimus, siue morimur Domini sumus*; cum dixisset perpauca, inhibitus est ab alio vlterius tendere; dumtaxat à Deo, & Regina veniam poscere, ac institit quidem paululum inhibenti, vt liceret sibi suprema verba populo dicere, procul offensione cuiusquam, & breuiter; quod illi cum nec negaretur nec annueretur, versus ad Deum culparum veniam ex eo poposcit, interponens illam Christi Redemptoris infinitatem meritorum, ex qua suæ spes omnes æternæ salutis certo aptas haberet, & suspensas. Sanctè deinde testatus est, Sacerdotem se esse sanctæ Ro. Ecclesiæ, & hoc sibi tum bono incomparabili, tum quod Societatis IESV religiosus esset, plurimum gratulari, & immensas Deo gratias agere. Ex duobus vnum qui curtui adstabant Ministellis, mutum pudnit videri occasione tam splendida. Intercepto igitur dicente, magna voce, Domine Southuuelle: si sentis, ait, cum Synodo tridentina, actum est de tua salute, & hoc tibi apertè denuntio: eratque absurdum aliquod decumanum dicturus; sed attentus Roberto populus increpando coëgit interpellatorem tacere importunum. Et Robertus eum compellans, Dominum rogauit operam apud se ne perderet; pertexénsque quod cœperat, testem populo Deum dedit sui erga Reginam insontis animi, & piæ mentis, fusatumque ad Deum quotidie precum,

cum, vt donis illam naturæ & gratiæ augeret, quæ pro sapientia sua norat, eius temporariæ saluti & æternæ conferre; quod tunc item per Christi sanguinem, & sanctissima ipsius vulnera precatus est. Pro Anglia vero carissima patria supplicans, oro, inquit, dignetur diuina pietas pro eius salute meam hanc, & vitam & mortem, acceptam admittere, mearumque piaculum culparum, ex me quidem vilem, & miseram, sed optimi Domini pro quo morior bonitate fortunatissimam.

Hæc ferè illius dicta excepit carnifex, nudare vestibus festinans ad vsque indusium, vt expeditius paulo post cultro pectus nudatum pateret; gulæ capistrum cum aptasset, testes volo, ait, Catholicos, quibuscumque hic spectaculo sum, quicquid donec animam egero, luctanti in extremis fabulati fuerint, & effutierint Prædicantes, haberi à me pro nihilo, morique me in Catholicæ fidei firmitate immobilem. Huc vsque Anglicè locutus, Latinè deinceps ad vltimum halitum, scripturæ versiculis in præsens accommodis; illaque imprimis familiarissima sibi voce *Deus meus & omnia*; inuocatione Deiparæ, & Sanctorum, *intercedite pro me.* Ac post lætum denique celeusma, *me expectant iusti.* Iisdem spiritum Patri Deo, quibus Christus in cruce commendanti, currum pedibus subduxit carnifex, sed fixo per errorem laquei lubrico pependit diu viuens, apertis oculis, vultuque non incomposito sed sereno, pectus tundens, cruce crebra se muniens, illoque hostibus abominato signo testari pergens se mori Catholicum. Ter ferrum carnifex scindendo laqueo admouit, viuentem exenteraturus, sed Baro Montioyeus, toto cum populo magnis vocibus compulere, prius sineret illum mori. Nec prius efflauit animum, quam vi magna deorsum à carnifice protracto elisæ sunt fauces currente denique laqueo, clausit oculos, totusque impalluit. Post rescissum capistrum nec casu vt solet proruit indecoro, nec in lanienæ protractus locum; sed aliqua cum reuerentia, exceptus brachiis, eòque portatus vbi reuulsum cor pectori, & in ignem vt moris proiectum, micare omnes aduerterunt. Ad eius vero sublationem consuetam; *proditorem* nemo vociferatus est, *viuat* principi acclamauit nemo; nihil contumeliæ auditum, sannarum nihil; mirum vbique silentium & quorundã in oculis lachrymæ. Caput Pontis ad Turrim in hasta defixum est; membra secti in quadrum corporis, vrbis ad portas quatuor suspensa. Mansit penes etiam Protestantes, honorifica Catholico nomini eius memoria. Rescitum ex literis, Londino vniuersa incredibiles motus Roberti morte excitatos, Montioyeus, quem dixi Baro, de Religione, inquit, viri huius non sum tam doctus vt statuam. De anima optem, contingat mihi post mortem illic esse, vbi nunc illam degere arbitror, quod idem auditum ex aliis votum. Certè carnifex affirmauit, se qui tam piè, & religiosè moreretur vidisse neminem. Alter denique ex prædicantibus qui patibulo adstabant, verbum mittere non est ausus, nisi suum collegam insolentiæ damnauit, & arguit quod interpellaret tam præclarum tanti viri finem. Præter quæ omnia, viuit quoque superstes Robertus, in libris piis quos stylo maximè florido, & poësi exquisitissima sic elucubrauit vt eneruarer spurcorum salaces illecebras; impiorum errores, cum elegan-

tia robustè confutaret. Leguntur vtrique magna ingenij voluptate, & animi fructu.

Henrici Vvalpoli ad Societatem vocatio debita Campiano; Eduardi Vvalpoli, Henrico fratri. Eduardum quia Catholicus, parens hæreditate pellit, Mater domo. Henrico quia Iesuita, in Batauia mors intentatur. Redimitur. Laborat in Seminariis. Regressus in Angliam capitur.

CAPVT X.

AVT falsò percrebuerat iurasse Reginam Sacerdotem de nostris in posterum, addicturam se morti neminem, quod relicta sui, & suæ sanctitatis opinione magnifica, plus regno mortui nocerent quam viui; aut si verè hoc iurisiurandi se nexu obstrinxerat Regina, videns passim diuersis Europæ locis fundari à nostris Seminaria Anglorum, credibile fit illam censuisse Iesuitas foris quàm ipsa in Anglia, damnosiores sibi, & dogmati quod consectabatur. Proin fas sibi arbitratam à iuramento discedere, vtcumque fuerit, extra dubium erat voluisse tunc illam, Protestantes eos habere aut mortuos, cuius voluntatis properabatur festinatio tam ardens, vt cum Londini Southuuellus ad furcas raptaretur; Eboram Henricus Vvalpolus ad capitale iudicium satellites ducerent; alter illic Martio sanguinẽ funderet, & alter anni eiusdem 1595. Aprili proximo.

Natus erat Vvalpolus familia nobili in Prouincia Norfolcensi; sed illustribus in nomen Catholicum meritis longè clariori, spoliatione bonorum, exiliis, calumniis mortibus, quibus illud fortiter propugnarat. Accessit hinc item non parum honoris in Societatem: ex quinque quos habuit eodem prognatos sanguine, horum quatuor inter se fratribus, maximus natu de quo nunc scribimus, fortunatiss. nus Henricus aliorum trium, pietate velut alter parens, exemplo Magister absolutæ virtutis. Dedit operam literis in Academia Cantabrigiensi; Londini post Philosophiam, legibus, quibus totum administratur Regnum, in Collegio Grayensi: harum quanto quis excellit peritia, tanto ad honores quæstuosos in aula citius promouetur. Illic annorum iam vnius & viginti cum esset, audire contigit Campianum cum Doctoribus Nouuello, & Dayo disputantem, in templo Castri Londinensis. Postea in aula tribunalis Vestminsterienſis, obiectas purgantem accusationes, & innocentia euidentissimè probata, nihilominus pronuntiari reum. Spectauit vltimo ad Tibornum, obseruauítque propius

quæ

quæ ad mortem illius pertinebant, quam & eleganti poëmate Anglicè celebrauit, magna quidem Campiani laude, sed probro Iudicum à quo damnatus fuerat, haud paulo maiori; quare nihil omissum ad deprehendendum qui nomen celauerat, poëmatis auctorem, ac verisimile haud leui Catholicorum periculo: cum eorum vnus, profiteri se ausus illius auctorem ignominiosè auribus truncatus, addictus est perpetuo carceri, vbi ærumnis ante quam annis confectus interiit. Porro hæ quas spectârat præsens congressiones Campiani, magisteria Henrico fuerant veræ doctrinæ, disputando; mansuetudinis in capitali condemnatione subeunda; pietatis heroïcæ in morte. Eius hæc in animum tam altè descenderant, vt semper iis acceptum tulerit quicquid sibi à Deo boni per omnem vitam sensit affluere. Primùm enim, si prius non fuerat, certè tunc euasit Catholicus, & quidem ardens in propugnatione illius nominis, quam tunc vt poterat sustinebat; postea vero quam, omissa iuris peritia, controuersis tunc se quæstionibus totum applicuit, tam fœlicem est nactus earum peritiam, vt notæ minimè triuialis viginti iuuenes è luto hæresis abstractos, trans mare miserit, quorum alij nomen religiosis Ordinibus dedêre, in Angliam reliqui susceptо Sacerdotio redière, opem suis quam possent allaturi. Fructus tamen quem cepit præcipuum Vvalpolus ex morte Campiani, desiderium ingens fuit agendi in Societate vitam quam egerat & quam obierat eandem in ea mortem obeundi. Quod desiderium illi festinarunt missæ vndique ad comprehendendum illum insidiæ, vt qui præter alios complures, Eduardum Vvalpolum propinquum, & sibi à puero intimum Deo peperisset. Hunc parenti mores cultissimi, & innatus candor peculiariter commendabant, præbuerátque se illi à cunis propemodùm, in Caluini doctrina Magistrum, cum esset ipse pessimus Puritanus. Insudauit in illo penitus subigendo Henricus noster, & lentè, & diu: & eluctatus est demum, quod raro fit, vltimam Puritanorum arcem, animi scilicet obstinationem. Magno ad hoc illi fuêre vsui Confessiones B. Augustini, Thomæ de Kempis liber de Christi imitatione; sed forte maiori, perspectus Caluinistarum tumor, iunctus contemptui, & contumeliæ Synodorum, Patrum, & Doctorum quos veneratur Ecclesia velut sapientiæ omnis fontem, veri interpretes, & mundi Magistros. Illi præ se de iis, vt cerebro cassis & garriunt, & scribunt. Sed vltimum telum quo expugnatus Eduardus, Henrici fuit epistola; quid ea contineret sciri non potuit nisi quod ex motu insperato, planeque insolenti quem statim exciuit, dubitatum non est quin scribentis manum Dei digitus rexisset. Discumbenti enim cum esset reddita, vix eam perlegerat, & impetu animi tam violento abripitur, vt nolens, & sui non sat compos, omissis epulis, & mensa, suorum se velox subduceret oculis, moxque extra illorum prospectum in lachrymas, clamores, suspiria, gratiarum voces erumperet, prostratum se à Deo, victumque confessus; ex quo eius animo nihil hæsit in posterum dubitationis de Catholica veritate; nihil perniciosæ obseruantiæ in parentem; nihil morarum & dilationis, vt palam se ferret Catholicum. Mouit parens ad eum euertendum quicquid impotens

amor, & religionis prauæ furor valuere, vt cui multo erat futurum leuius mortuum quam Catholicum habere, deprauandum imprimis tradidit Magistris quos in Prouincia Norfolcensi putauit doctissimos; inde aliis Londini quos vtiliores prioribus censuit; sed nihilo quam ij feliciores in suadenda perfidia, euersionem iuuenis desperarunt. Mater itaque improuiso accitum & libris duobus Anglicis donatum domo pellit. Abiret sanè quo illum fortuna & mendicitas ferret; dum Papista duraret, fixum animo teneret nec sibi patrem esse in Anglia nec matrem; eiurare se illum vt spurium, nec velle vnquam eius meminisse, nisi vt execraretur infamem apostatam, patriæ ac familiæ portentum, & cuius se partu ominoso miseram deplorabat. Fingebat mulier, ignara quid possit Dei amor in oppigneratam sibi mentem, iuueni nobili, primogenito, florenti annorum ætate viginti duorum, à familiaribus delitiis ad mendicitatem & famem redacto, reditura in mentem domestica commoda, parentum blanditias, amorem, opes, hæreditatem, & reuolaturum ex templo in eorum sinum. At longè secus quam fabulabatur apud se mulier hæretica factum est. Spreuit adolescens thesauri cœlestis & æterni iam compos, caducorum quisquilias, & inanias bonorum, cognomentum mutauit, & vocari Pauper pro Vvalpolo voluit, susceptæ vltro paupertatis nobilitate futurus illustrior, quàm natiua. Lapsis inde annis aliquot in Collegium Anglorum Romæ Conuictor se recepit, decursisque triennio quæ nondum explerat superioribus studiis, Sacerdos factus in Belgium rediit, & Societatem illic ingressus est annum agens tricesimum tertium, vbi Deo & Societati votis post biennium solenne obligatus, primos operæ suæ flores Belgio impertiuit; annos inde quadraginta totos, eius laboribus potita est Anglia, miro prorsus & nullius fortassis exempli, inter continua hostium & vitæ pericula, mortisque præsentiam tot annorum tractu, quo exacto Deus operarium fidelem ad mercedem acciuit, anno ætatis suæ nono supra septuagesimum.

Henricus Vvalpolus conuersione Eduardi, & aliorum complurium, Ministris Regni Primoribus Cæcilio, Vvalsingano, & Dudleyo Comiti Leicestrensi, hæreticorum patronis dogmatum, tantum mouit irarum vt modis omnibus, dici non potest quo siue furore, seu sagacitate emissariorum, illum venarentur; interdiu igitur humi iacens, noctu iter agens, ex Norfoldia sua Eboracum venit, vbi ad Castri noui, nec vlli suspectus nec interrogatus, nec agnitus, fauste in Galliam traiecit. Rothomagum, Parisios, & Remos lustrauit, vbi annos dedit Theologiæ tres; Romæ in Collegio Anglorum quod illi adhuc studio deerat dum supplet, Societatem impetrauit. Verum haud multo post aduersam cœli grauitatem non ferens Virdunum transmissus est; confectoque illic probationis residuo, solidatisque per annos tres Theologiæ studiis, Alexandro Farnesio datur, vt eius in Belgio milites in diuinis religiosa opera iuuaret, quod eò præstabat vberius, quò linguarum quinque nactus peritiam, vices vnus multorum obibat. Illic dum miles Hibernis hæret, occasionem occupat Henricus excurrendi

Tornacum

Tornacum ad reficiendum diuinis animum, mensium aliquot meditatione. Burgos reuertens in Batauos incidit qui vt bello captum Flissingam abducunt, claudúntque nihilominus reorum carcere, capitali penitus & cruento, nisi mortem illi maiori gloria distulisset Deus olim in Anglia oppetendam. Iuris erat Bataui carcer; arcem tenebat Anglorum præsidium, apertè siquidem Regina Elizabeth rebelles fouebat in Philippum Regem; Angli vt erant Caluinistæ, nec ignorabant totam Leicestriæ Comiti domino suo inuisam esse Iesuitarum nationem, subodorati Iesuitam Anglum nobilem bello captum, statuunt Vvalpolum de medio tollere, cuius quod prætexerent ius, vel causam cùm haberent nullam, carcerarios ipsos, hæreticorum fecem, & colluuiem perditorum conducunt, vt dormientem confodiant, sparsuri deinde, impatientia carceris captiuum violentas sibi manus intulisse; & patrando quidem nihil sceleri defuit præter facultatem qua vetabantur occidere, nisi dormientem. Multas ergo diu noctes, diuersis temporibus & horis, cum multis mensibus obseruassent, nunquam non sensere vigilem, & in vitæ suæ custodiam arrectum; siue per se illorum cruenta studia percepisset, seu didicisset aliunde. Verum enim vero tam prolixa, & ad vitam seruandam coacta insomnia, tantumnon illi vitam eripuere, accedentibus præsertim à victu, fame, & frigore incommodis variis, nec paucis, nec leuibus. Militaris turmæ dux Rusellus hæreticus, Henricum conspicatus sibi olim in Anglia notum, tam malè vestibus defendi à frigore detractum sibi ex holoserico raso sagum, vi beneuola coegit induêre, quæ significatio amoris, insidiatoribus Henrici, obseruantiam eius mouit non vulgarem, & renuntiatus domi in Anglia eius carcer solitudinem eius liberandi. Ad hoc vnus fratrum Christophorus dissimulato cognomine, aut visendam solum prætexens Battauiam, aut moras aliquas sub stipendio præfecti Flissingæ; fratrem vidit, iuuitque incredibili vtrimque animi voluptate; & Catholicorum maximè Anglorum contributione, carceris annui perpessionibus illum tandem exemit, quam Deus misericordiam Christophoro largiter simili alia, sed maiori rependit, eximens hominem terrenorum amore, & dura seculi seruitute. Fratris enim miratus patientiam ineluctabilem, & tolerantiam sæuissimi carceris alacrem, cœpit affici in Societatem, eamque venerari, vt scholam, ex qua Henricus in tantum virtutis euaserat, meminerat, enim quauis olim ex causa offendi solitum & irritabilem; animaduertebat tunc illos veteres naturæ impetus, in generositatem animi patientis fuisse conuersos. Moras itaque amputans statuit quamprimum se fratri in Societate adiungere. Romamque profectus, admissus, & probatus in Hispaniam missus est, vbi perficiendæ virtuti propriæ annos quatuordecim sic impendit, vt eius cœteris magister fieret.

Assertus liberati Henricus anno æui nonagesimo ineunte, ac Bruxellis consistens, Romam literas dedit, sua quædam amico intimo recensens, ob quæ magnas se Deo gratias debere agnoscebat [Adsum, aiebat, recens, ex gymnasio carceris Flissingensis, vbi exploratius Deum, & seculum, meque adeò ipsum didici, & perspexi. Non potest hæresis à nobis tàm vana fingi,

quam vana est; tam turpis fœda & deformis, quam reipsa se suis sceleribus, contumeliis, proditionibus, perfidia, sacrilegiis, impietate, ac superbia exhibet, quamque sum expertus: meæ præterea virtuti flaccidæ, & infirmæ, manifestior charitatis diuinæ affulsit immensitas, in periculis tutela, lumen in tenebris.] Pergitque suam illi è carcere velut rediuiuam quam eius beneficio receperat vitam cõsectare. Quamuis autem ferebat in Belgio, nauatæ in multos operæ pretium; sed præter Angliam optabat, & spirabat nihil, quod esset laboris, perpessionum, & mortis feracior pro Dei gloria oppetendæ Illam igitur Romæ à Cresuuello, à Personio in Hispania crebris literis popoſcit; semper tamen in vtrumque accinctus. *Ecce me*, inquit, ad Cresuuellum scribens, æquè promptum, vt tanquam, *Sagitta abscondita in pharetra*, vsque ad obitum lateam, aut *missa ad extremum terræ*, mittentis, nutum, & impetum sequar. Audiuit tandem serui sui clamores intimos Dei benignitas, & quibus viis ab Anglia videbatur longiùs amoueri, iisdem illum in Angliam induxit. Impetrarat illum Personius in operæ socium ad Seminaria regenda, quæ Vallisoleti, & Hispali Anglis fundauerat; sed Audomarense, commeatu diu verbis dilato, reipsa subducto, cùm esset ruinæ proximum, excurrendum in aulam fuit, vt compelleretur Belgij præfectus assignatos à Rege Philippo census Seminario numerare. Præcepitque statim Personius animo felicius nemini quam Henrico cessuram negotij ardui expeditionem, & cessit omnino tàm prospere, vix vt oculis suis satis Personius crederet. Iuit Henricus bono genio duce, quod postulabat exorauit, Regi gratias egit; mandata retulit ad Præfectum Belgij nullo effugio eludenda, breui denique confecto itinere, & lento negotio, cum in Belgium appulisset, Regis diplomate quæstoribus oblato, assignatam ex iis pecuniam retulit, misitque ad Personium Audomarensis Seminarij egestate sollicitum; nauim tandem sibi parauit in Angliam, quibus omnibus vt post narrabimus, nihil minus cogitans mortis suæ beatæ causam sibimet instruxit.

Nullæ tunc in Belgij portubus versus Angliam naues stabant ob anni tempestatem nauigationi maximè importunam, & portus Angliæ ad Austrum ob pestilentiam inaccessos. Tres solæ Dunkerci bellicæ vella explicabant, ad omnem vim maris egregiè munitæ: in Angliæ & Scotiæ tractibus, prædas si bona fors fauisset, & procellæ iuuissent, facturæ. Harum vnam conscendit Henricus, data sibi à Præfecto fide, fore quod primum Angliæ ad Septentrionem littus occurrisset, se illic exponeret: quod dum expectatur biduo futurum, in dies duodecim tempestas insuperabilis distulit; quæ ad quartum Decembris anno 1595. cùm detumuisset, promontorium Hamborougum, longo se proiectu in mare porrigens iis apparuit in Eboracensi Prouincia, illic scapha delatum cum paucis Henricum exponunt, meliorem terra quam mari fortunam comprecati. Henricus Kilhamũ cùm venisset quarta dissitum à mari leuca, sibique & sociis duobus legisset hospitium, alteri cuipiam ex iis qui secum in scapham descenderant suspicionem Catholici Sacerdotis de se illico fecit, quòd ita furtim in regnum

gnum subirer. Quare absque mora defertur ab eo, ad Iuris Kilhami administrum, qui iussum tuto asseruari, Eboracum de illo ad magistratus dat literas, adsunt triduo post a Prouinciæ Præfecto comite Huntingtono mandata vt ferro vinctus perduceretur Eboracum vbi tamdiu angusto, & abstruso in carcere procul omni affatu & accessu solus hæsit, dum sui ederet rationem; quæ plane sincera, & candida cùm esset Londinum ad Senatum missa, tunc vero aliquibus copia facta est illius visendi; & P. Ricardus Holtbeyus apostolico ministerio illic fungens, modum adinuenit dandi ad eum literas & accipiendi; ex quibus & Patre Gerardo, multoque vberius ex Patris Garneti, qui tunc iis præerat narratione accurata ducturi sumus, quod superest de concertationibus, tormentis, & beato fine Henrici Vvalpoli dicendum.

Topcliffus Londino Eboracum destinatur ad instruendam Vvalpoli causam. Concurrunt Prædicantes & Theologi ad eum à fide Catholica dimouendum; doctrina sua & constantia illos domat. Reiicit oblatam à Catholicis redemptionem mortis, & carceris.

CAPVT XI.

PERPENSA inter consiliarios Regios quam suis de rebus Henricus ediderat ratione; fuisse nimirum in Belgio cum P. Guillelmo Holtio, cum Personio in Hispania, Madritum à Personio missum ad procurandam cum aulæ ministris attributionem à Philippo, Audomarensi Anglorum Seminario assignatam; hinc virum putarunt grandium capacem, nec nisi moli cuipiam aduersus Angliam mouendæ Hispaniam adiisse; has ergo quas imaginosis suspicionibus diuinabant constructas ab eo machinas, alta ei ex mente vt in lucem exererent; exemptum carcere Topcliffum Eboracum legant, hominem astutiæ palmis, & crudelitatis, pridem inter forenses insignem, iussum nihilominus Eboraci calliditate sola vti; crudelitatem quæstionibus, & tormentis seruare, quorum erat Londini minister. Primæ hic Henrico velitationes cum Protestantibus fuere Theologis, vt suo cuidam amico respondens indicat, [tuo inquit epistola tua carebat chirographo, sed agnoui ab amico venisse, hoc est homine de Societate,] post pauca vero [quid me futurum sit hactenus ignoro,

Dei gratia mihi perinde est quicquid acciderit, nam suis vbique terrarum Deus adest, eius gloriæ vt spero viuens & moriens obsequar, qui cœpit perficiet; mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Disputaturi quidem mecum veniunt nonnulli, sed clamore plus valent, ac strepitu quam suis argumentis.]

Topcliffo vt venit, & Gubernatori visum est conducibilius, blandè primum & comiter expiscari, quicquid Henricus arcani premeret; nec enim post locum tormentis defore. Interrogatus igitur Henricus, de se suisque consiliis, itineribus, vita omni; particulatim, fideliter, & disertè respondit, nihil enim habebat quod mortalium cuiusquam refugeret oculos, aut conscientiam; excusauit dumtaxat efferre quæ Catholicis, & Sacerdotibus, & nostris in Regno latentibus exitio poterant, vel nocumento esse. Cui Topcliffus, hæc mihi sepono ad Breiduuellum audienda (carcer est Londini quo nullus fœdior) illic certas habeo machinas quæ fandi vsum mutis restituunt. Henricus vero superbè minanti, aderit, inquit, & in Breiduello, & in Turri Deus, tuis potentior machinis, nec sinet mihi quicquam excidere quod vitam aliorum, aut conscientiam meam lædat. Rogatus quamobrem rediisset in Angliam? respondit ob nullam aliam, nisi ad Dei supremam gloriam, propagatione Catholicæ fidei latius proferendam, & restituendos huic si posset, populos, nobilitatem omnem, Reginam ipsam. Idem sibi fuisse trans mare pensum; benè omnibus faciendi, consulendique illorum animis in æternum seruandis, ea solum ad hoc adhibendo, & vrgendo religiosa præsidia quæ professioni propriè congruunt in quam Dei beneficio esset vocatus. Hæc ille, nec verbis, nec scripto quicquam dissimulans etiam illorum quæ Audomarensi Collegio à Rege Philippo in aula procurasset, quod etsi doleret in deterius accipi, gratulabatur tamen sibi tantoperè, vt infectum si foret, vellet totis suis viribus confici. Expedito ex quæsitis Henrico nonnullos è suis procerioris famæ Theologos ad eum immittunt (qui fuit alter illius, vt constituerant, leniter inflectendi, & expugnandi motus) nam ex eius vita, & confessione diuinabant futurum vt esset facile occidi; morte dignus non posset probari. Mutatis itaque vicibus suos in carcerem Theologos destinant acturos cum illo de Religione; ac iucundum foret, sed extra historiam prolixam dicta vltro citroque legere, quæ ipsemet Henricus sua manu perscripta, Gubernatori misit à quo tentaturi constantiam Theologi venerant. Ponam hic nihilo seciùs aliqua fragmenta, minus suis argutiis impedita, proin tædij minus lectori factura.

Stetit primus in gradu Doctor Fauorius, & Guillelmus Hardesteyus infamis apostata, prædicantem agens infensissimi vasto illo boreali tractu, rei Catholicæ, & Sacerdotum hostes. Ac prior apostata totam Papistæ fidei suæ summam, roburque maximum in auctoritatem Ecclesiæ referunt, non in Deum qui prima est veritas, nullique prorsus errori obnoxia; prætet scriptum enim, & certum Dei verbum, fidei tantumdem præstare se traditionibus, hoc est aiebat apostata, missis in auras quandoque vocibus, &

per

per aures innumerabilium annorum, ad nos denique appulsis. Hoc vero quid est nisi hominibus credere, suamque in iis credendi firmitatem fundare? Aduertit hic facile Henricus hominem à primis errare principiis, ostenditque illum nescire quidem quid vellent Catholici per traditiones intelligi, eas videlicet quæ pari cum scriptura iure, fluxissent à Deo, & eadem cum ea veritate, suprema niterentur; nec enim dictatas à Deo scripturas, nisi traditionibus nos scire. Elisо apostatæ, & obmutescenti suppetias venit Doctor Fauorius, negans aliunde sanctorum inuocationem nos habere, nisi solis ab hominibus traditam; à Deo enim idcirco non posse quòd cum ipsa pugnaret veritate, sanctis nimirum longè absentibus ad vota nostra surdis; nec tantæ gratiæ apud Deum, vt possent precibus nostra causa, Prouidentiæ Diuinæ decreta mutare; nec tanti meriti, vt essent propterea colendi, & orandi, aut ab iis aliquid sperandum quin nec ipsi, addebat impius Dei matri adhibendam venerationem, nec plus in ea locandum fiduciæ quam in Scamno vbi tunc sacrilegus sedebat. Ad hæc totidem his verbis Henricus, qui vos, inquit, furor agit in Deiparam transuersos? Non redit in patrem videlicet honor filio impensus; & matris veneratio in ipsum cuius gratia colitur filium? ducebant à Christo, vestium contactu sanitatem fideles, non ducent ex virgine cuius sibi Christus carnem purissimam, & sacrosanctum sanguinem induit? non plus ei quam ligno fiduciæ tribuent & honoris? Salomon Christi typus, locatæ ad dexteram matri, *Pete*, inquit, *Mater mea*, creditusque est laudabiliter officio perfunctus; matris in cœlo Christus nullam habiturus sit rationem, cui vixit in terris subditus? *Adorate* imperant scripturæ *Scabellum pedum eius*, haud quidem ait Augustinus, quod terram per se consecrarit in matre virgine corporatus; sed *inuenio*, inquit, *quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ, carnem accepit.* Vobis Deipara non censebitur Scamno venerabilior? His ardenter & magna libertate pro argumenti grauitate ab imparato dictis, nihil Fauorio quod reponeret succurrit, præter pertinacem cacohetis hæretici obstinationem; Scamno exurgens apostata, in genua procidit, supplicaturus serio virgini, an Scamno per ludibrium nescitur. Redit vero idem postridie, seque vno ad approbationem teste abundè contentus; infit, dicens illo ipso die pro concione confirmasse potestatem remittendi peccata mortalium nemini omnino competere. Rogantique Henrico, an voce *nemini* complecti vellet etiam Christum ipsum, respondit Christum qua hominem, & talem hominem non potuisse illam sibi arrogare, vt cuius nemo esset planè præter Deum capax. Vilius igitur, intulit Henricus, de Christo sentitis, quam ipsi eius hostes quibus fuit tam certo persuasum hanc sibi ab eo arrogari, vt eius ad paralyticum offensi verbis, *Remittuntur tibi peccata tua*, blasphemiam illi, blasphemi obiecerint, *Hic blasphemat*, quod autem illam tunc *hominis filio*, quem se tunc vocabat iure arrogaret, ac iure possideret, sanati paralytici probauit miraculo, illudque à fideli plebe duplicis ostento potestatis expressit, *Vt glorificaret*

Deum qui potestatem talem dedit hominibus. Hanc porro vtramque Apostolis à Christo collatam non erasit opinor vester è suo Euangelio Caluinus. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset insufflauit, & dixit accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Sed apostata interpretabatur de mutua iniuriarum condonatione, nequaquam vero de laxandis peccatis, quasi ad eam condonationem omnibus imperatam opus esset Apostolorum potestate, aut Christi afflantis diuina illa adspiratione, aut infusione spiritus increati per illam tacitè expressa. Non erat tam cæcus apostata vt responsi sui non aduerteret absurdum, sed pudorem eius sacrilegum perstringebat splendor probatæ sibi dilucidius quam optasset, eiurati ab se Sacerdotij potestatis. Disputationem aliò extra rem detorquet, de iustificatione tot falsis, ineptis, pugnantibus implexa fabulatur, nunc aiens fidei præuiam, nunc fidei subsequam, vt nec esset probè Caluinista, nec satis Catholicus, sed motus cerebro videretur. Spissum mihi opus indixissem, si vel vnos errores præcipuos suscepissem notandos in quos illa summæ Theologiæ capita impegerunt. Illa Christi verba, *Hoc facite* in meam commemorationem, quibus adstruebat Henricus Sacerdotij institutionem, negabat Kingeus ministellus è Christi ore vnquam prodiisse, testem enim illorum haberi neminem præter vnum ex Euangelistis, quod vnius testimonium si solum adforet plærisque fidem noui testamenti libris non esset factutum. Quin & *Hoc facite*, non hoc magis quam aliud præcipi, quod erat Christum absurdè iubentem inducere. Æquè, ferè, impiè Bennetus Doctor, Christo ex mortuis rediuino cœnaculi ianuas Angelum reseraſſe, momento clausisse. Christi eiusdem in Eucharistia multis in locis præsentiam fines excedere diuinæ potestatis, natura in contrarium pugnante. Fuit in politicis qui diceret, Euangelij libertate omnes solui Principis cuiusuis Ecclesiastici, vel alterius leges, nisi legerentur in sacris paginis; fuêre & alia errorum, & ineptiarum monstra quibus ab Henrico doctè, ac solidè domitis, abibant Doctores muti & cernui, nequaquam meliores, voluntate nimirum magis hætetica quam mente, & adamata vitæ prauitate, rectum iis iter ad fidem obstruente: quod iis Henricus pro ea libertate quam sua tunc illi præbebat conditio, non omittebat exprobare, cogebanturque illum eò patientiùs audire quod vltro ad eum veniissent, & primi ad pugnandum, & miscendum sermonem prouocassent. Lego in vltimo cum iis congressu, cui, vt loquitur, interfuêre Discipuli cum Herodianis, hoc est Prædicantes maiori quam prius numero, cum ministris Reginæ, præbuisse iis legendos in mutuis frontibus apostatarum characteres, & Antichristi præcursorum facto initio ab eorum capitibus & magistris Luthero, & Caluino, nouæ potestatis, Euangelij noui, Religionis nouæ, legum, ac rituum vsurpatoribus: antiquitatis venerandæ, ac possessionis, omnium temporum conciliorum, Patrum, sanctorum, & sapientium aduersus approbationem legitimam & præscriptam deprædatoribus; deprauatoribus sacrorum codicum, offensionum auspicibus & discessionum in Ecclesia Dei, & falsæ animi libertatis

dolosa

dolosa specie, in omnem effusis sensuum & carnis licentiam; animalibus denique mundanæ gloriæ, nihil præterea dum viuunt sollicitis, nisi ingeniosa conscientiam suam incantent fraude, futurique spes, ac metus, cum vitæ præsentis voluptatibus omnibus pacifice componant] Hæc illis coram suis auditoribus Henricus à quo integras has concertationes cùm accepisset comes Gubernator, duosque insuper tractatus, alterum de falsis Prophetis iussis à Christo attentè caueri; de inuocatione Sanctorum alterum, tres præter hos ex illo petiit, quorum illi præscripsit argumentum vnum de Ecclesia; secundum de augustissimo altaris Sacramento; de Papa tertium, quo porro consilio & fine diuinari nullis potuit coniecturis.

Venit interea ad Henricum valdè inopinus à Catholicis nuntius, quo furtiuam illi deferebãt liberationem ex carcere ac nisi non vellet suis ipsorũ in manibus expeditam & promptam. Tam inexpectato nuntio, tam æquato vtrimque pondere viri Dei libratur animus, vt in melioris delectu penderet.

Optabat pro fide Catholica mortem; optabat pro Catholicis laborem; ad hunc fuerat illuc à suis moderatoribus destinatus; ad illam Deus videbatur necandum hostibus tradidisse. Hoc mentis ambiguo, ne quid ab optimo erraret, nec tamen Catholicos repulsa offenderet, nuncium quem ad se miserant, literas, seque adeo totum, vtramque in sortem pariter accinctum P. Ricardo Holtbeyo integrè committit, sponte illi se, non officio subdens, eiusque vtrobiuis iudicio & arbitrio acturus. Negauit Holtbeyus admittenda Catholicorum officia, suæque huius sententiæ rationes subiecit quatuor; iacturam martyrij fortassis inde secuturam; prauum gregi exemplum de pastoris fuga, & timiditate; euentum fugæ dubium; certam eius in cassum tentatæ maculam; multitudinem denique scrutatorum, qui ad eius indagationem infestaturi essent illico vniuersa, cum periculo Sacerdotum si qui occurrerent, & familiarum pernicie apud quas latuissent. Rationes has Garnetus tanti fecit, cum responsione Hortici ad Holtbeyum, vt dignas censuerit quæ asseruarentur apud Præpositum Aquauiuam; & Henricus quidem, Amplector, inquit, ea voluntate, R. vestræ consilium, vt si foret mihi de cœlo datum, mihi quoque in mentem venerant quas profert consilij sui rationes, nihilo segniùs putaui R. vestræ permittendas, hoc solum aliis vt satisfacerem; cæteroqui gnarus, in nususmodi dubiis qui sit Societatis sensus, cuius manifestis etiam in rebus ambio ductu regi, tanquam certo Iesu oraculo. Scio exemptum carcere ab Angelo Petrum, sed vniuersalis Ecclesiæ pastorem, & Patrem, iussumque diuinitus, Romæ prius eius imperium, sedemque statuere, quorum certè ad me nihil attinet; sit mihi pro Roma carcer meus, & pro *Domine quo vadis?* Ex quo didicit Petrus præter quam de se iudicasset, aliter à Christo constitutum; non esse nimirum deinceps fugiendi sed moriendi tempus. Spe certè vt nulla fouerer fore mihi hanc quam iniui, ad bona sempiterna viam; non video qua in re possim vtilius versari, cum hic mihi tam multa suppetant, quibus profitear qualem gero, talem verè ac reipsa me esse. Quare nisi mihi loquatur è cœlo vox, ore inquam sanctæ obedientiæ aliud indicatur, fixum est non

moueri, sed perstare in eo constanter, *Ecce me; fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Hæc vt spoponderat Henricus præstitit, etiam alias magna fide, vitæque beneficium, si vellet officio paulo plus quam ciuili Reginæ obsequi, reiecit fortius, quam forte alij mortem ipsam.

Vltimum ex eo popoſcit Gubernator & Topeliffus responsionem autographam, eius manu ad septem quæsita, ex qua omnis eius viuendi ratio trans mare, constaret. Quid egisset, dixisset, etiam cogitasset? quibuscum versatus, locutus, de quibus? qua sua, & illorum mente? post vero in Anglia vbinam sibi fuisset hospitium lecturus; à quibus excipiendus? alendus? iuuandus? quibusve negotiis eo regno operam daturus. Erat vita Henrici adeo innocens; animus in vna sic Dei & fidei gloria, hominumque salute totus, vt quam illam exigebant tam accuratam sui rationem posse sibi obesse non cogitauerit, edidit illam per singula capita, cauens tamen caute, quod excusauerat ne quem nominaret cui nominis editi præiudicio malo foret cognitio.

Hac munitus Henrici confessione ingenua, & sincera Topeliffus, Februarij 5. anni 1594. leucarum itinere octoginta, secum illum abduxit, & relicto vix Eboraco Londinum versus, cœpit illum indignè & barbarè vexare, vt cui nihil erat crudelitate iucundius. Vbique illum vulgabat proditorem, transmare aduectum vt vitam Reginæ adimeret, qua senex perfidus immani calumnia Henrico infamiam, execrationes, & odia populi; sibi laudem captabat sæuitiæ, qua scilicet iure in commeritum vteretur.

Londini Henricus quartum-decimum tortus, Eboracum reportatur ad absoluendam eius causam. In cuius extremo articulo, vitam & libertatem respuit conditione oblatam sacrilega, vt Reginam agnosceret caput Ecclesiæ Anglicanæ. Damnatur supplicio proditurum. Sanctissimè moritur, vitam sibi eandem sæpius sed conditione eadem oblatam reijciens.

CAPVT XIII.

LONDINI Henricus excipitur carcere, si quis alius in Turri permolesto. Lecto, veste contra vim frigori horrendi, victu etiam parco, & necessariis omnibus ita destitutus, vt carcerarius curator lioqui ferus, pro innata cuique miseratione, requisierit vrbe tota eius ex propinquis

propinquis aliquem, ex quo enumeratis eius miseriis subsidij aliquid impetraret. Se quidem ei ad somnum paleam commodasse, sed vlterius nihil eius causa posse. Annum exegerat in eo carcere, orando, perferendis loci molestiis, & cruciatibus tortorum, cum reducitur Eboracum postremò iudicandus, inter quæ contigit vt P. Ioannes Gerardus in manus hostium delapsus eodem carcere clauderetur; de quo nobis scripto quod sequitur dignum memoria reliquit. [Verti me, ait, ad circumspectandum id meum ergastulum, & fauebat quiddam maligni luminis, cum ecce incisum video incrustaturæ parietis P. Henrici Vvalpoli beatum nomen; precatorium cubital in fenestræ cauo deforis murato; vtrimque choros Angelorum nouem suis nominibus eius manu scriptos; quibus Mariæ nomen Deiparæ, Seraphinis altius eminebat, & supra Deiparam, IESV nomen: coronabat omnia Dei nomen Hebraïcè, Græcè, & Latinè scriptum. Magnæ mihi fuit consolationi sors illa carceris, tanto martyre ac tam pio tamdiu habitati, eiusque tormentis quatuordecies consecrati, quem suis Iudicibus numerum Henricus ipsemet dum examinatur recensuit. Venit meas in manus Eboraco pars aliqua disputationis ab eo Londini habitæ, cum meditationibus de Christo patiente ab eo compositis, eiusmodi omnia charactere scripta vt abecedarij pueri videretur manus, & legi vox vlla vix posset, non festinati vitio characteris, sed debilitatæ tormentis manus, & amissi digitorum vsus.] Hæc ferè suo scripto Gerardus.

Tormentis toties repetitis, & tã atrocibus vt forte propterea subducta sint oculis, ne mouerent spectantiũ odia in barbariẽ Magistratus; tam nihil actum est, vt ne vmbra quidem nedum indicium proditionum illarum, & coniurationum expressum sit, quas imaginosus aduersariorum aut timor finxerat, aut mentita erat calumnia. Reducitur itaque Eboracum Henricus, ad causam illo in foro integrandam, nihil videlicet proderat Catholicis Sacerdotibus, quæcumque fingerentur indicia cruciatibus perferendis liquido purgasse, cum probatione innocentiæ suæ luculenta, & liquida. Longinqui eius itineris milliarium centum quadraginta miseras & continuas molestias, augebat sibi spontaneis. In lecto nunquam pernoctabat; breuem captabat humi somnum; Eboraci pro lecto stoream adhibebat tres palmos longam, in qua orabat de genibus bonam noctis partem; somno fractus in eam se proiiciebat; quibus malis accessit importunus Prædicantium ambitus de conflictu cum hoste tam nobili, aucupantium inanes rumusculos. Ex iis vnum memorat Garnetus, Sandem vocabulo, iuuenem, Eboracensis Archiepiscopi filium, qui lacinioſam quam pararat recitationem vltra horam produxit. Audiuit iuuenem Henricus patientissime; dicendo vel fractum vel saturum excepit, repetitis ab eius exordio singulis, quibus inesse ponderis aliquid ad propositum videbatur; resumpta inde argumenta seorsum singula, tam pulchro, & perspicuo ordine, tanta solidæ veritatis affusa luce dissoluere, vt obmutescceret iuuenis, adstantes mirarentur; exclamaret iurans quidam ministellus. Hic, inquit cerebro plus valet, quam arbitraremur.

Dies erat Aprilis tertius, iustitij finis, causarum tertio quoque mense solenne principium. Ad hoc Iudices Londino in Prouincias legantur; adfuêre Eluinus, Hillardus, & iis illustrior Belmontius, matre quidem natus sanctissima, sed post obitum matris ambitu in hæresim actus, aut hæresis simulationem. Implebant hi tres in abolla maiori purpurea tribunal; assidebant fisci Aduocati; aderat Comes Huntingtonus, Præfectus Prouinciæ supremus, eiusque Vicarius Eboracensis Vicecomes, aliaque Ministrorum forensium turba promiscua. His in conspectum producitur Vvalpolus catena grauis, nullo reorum facinorosorum discrimine. Citatus de nomine, grandi se primum crucis signo munit, quo valdè aduersariorum perstrinxit oculos; tum elata manu ad nomen respondit. Hic versus ad illum tabellio; accusaris, ait, quod Anglus, & Norfoldiensis, fratrum primogenitus & hæres, à primo Reginæ anno regno excesseris, mare traieceris, Sacerdos fueris Romanæ sedis auctoritate consecratus; redieris inde proditor in Regnum violatis Reginæ legibus, Kilhami denique fueris. Dic ergo sodes, reum te putes necne? negauit se reum Vvalpolus. A quo ergo vis, subinfert tabellio, causam tuam cognosci? Vvalpolus; clericus cum sim, à nemine præterquam clerico; quod norat se quidem non impetraturum; sed iuri prius voluit factum satis quam violentiæ cederet, séque iudici subderet non legitimæ iurisdictionis. Tunc causidicus Sauellius dicere aggressus effudit primum contra Iesuitas quicquid in buccam venit; iam enim in artem, & legem transierat vt peroraturi de Religione inuehérentur prius aduersum Iesuitas; & hunc eloquentiæ campum nullus silens obibat.

In Henricum vero, Sacerdotem esse, nec eum de triuio, sed de illa quam descripserat Iesuitarum schola; negotiosum, vt constabat ex eius in Hispaniam excursu, (de quo recitatum est coram illius responsum) actuosum, mouendis in Regnum, & Reginæ caput rebus nouis nimis obnoxium. Redacta bifariam Henricus in summam accusatione (Iesuita est, Sacerdos est, igitur proditor,) in hoc enim tota duplici cardine vertebatur, ad primum respondebat, cum incipientem dicere Hillardus iudex turpiter abrupit, negans proditori tam perfidioso qualem sua illum confessio exhibebat, nefas esse audiri. Cui Pater illico, faxit hæc mea confessio, faxit, inquam, me apud vos reum, quod Sacerdos Romanus, quod de Societate IESV, quod curandæ trans mare animorum saluti, & egestati Audomarensium laxandæ operam dederim; agite sanè, & si me vultis has ob causas reum, quam primum occidite, illas enim & fateor iterum, & vero fidenter profiteor: at enim iis vel mea confessio, vel veri vmbra quam potest culpam affingere, quem perduellis titulum nisi falsum? egítque de officio Sacerdotum; de prærogatiuo Christianismi & sanctimoniæ quod iis Anglia debuisset, vsque ad Regnum Henrici octaui medium. Interiecit his quidem Belmontius haud propterea illum proditionis condemnari quod Iesuita esset vel Sacerdos, sed cum Rege Hispaniæ aliisque Regni hostibus egisset; agunt tamen, subiungit Henricus, cum iisdem, boni & fideles, patriæque amantes Angli,

agunt

agunt quin & ipsi Reginæ familiares, & Ministri, nec scelus propterea, nec opinionem, nec suspiciones incurrunt proditorum, nisi cum iis agant de proditione, quod nec à me est factum, nec de meis confessi responsis portenti eius indicium, vel odor potest mihi à vobis allini. Cur ergo apud vos proditionis tam palam reus, vt ne sim quidem audiendus? Tacebant Iudices; stupebat Hillardus qui præceps antea conuictum denuntiauerat; Belmontius vt causa procederet, verum compellitur eius cardinem mouere, & Patrem ex veris appellare, lege videlicet qua fiebat reus maiestatis, quisquis regnum ingressus triduum differret se Magistratui sistere, & solennem Reginæ profiteri obedientiam. Bonum igitur factum, infit Pater, lege illa quo iure inuoluor? qui ne horas quidem viginti habui, nedum triduum integrum, comprehensus ferè vt in terram exscendi. Digessit his gradibus hanc causam sapientissimus & optimus dominus in famuli sui consolationem & gloriam, vt progressu vario huc tandem veniretur, vnde illi certo coronæ meritum constaret, qua dignos censet Ecclesia, qui mortem oppetunt pro vero & æquo, malúntque innocentes mori quam peccando seruari. Illi enim responso admurmuratum est, contra veto aperto fremitu exprobratum iudicibus quod per summam iniuriam ad damnandum Patrem eam legem proferrent, cuius beneficio deberet absolui. Patefacta ergo ignorantiæ simulatione, & malignitatis studio, consultabant in aurem taciti quo pacto à se pudorem abstergerent, quem in se probrosum sceleratissimè susceperant, sed negante palam eorum infimo Eluino, posse Patrem legis beneficio priuari, conuersus ad illum Belmontius. [Tibi Vvalpole inquit, immerenti licet indulgemus gratiam prorsus singularem, tuum est illam agnoscere, grato animo prosequi, & quanti tibi vita est hanc tanti facere. Damus ergo id tibi vt lege vtaris propitia, eiúsque beneficio sic fruaris, vt præscriptum quoque ab eadem Reginæ obsequium exsoluas, (inferebat porro id genus obsequij exhibendam Reginæ venerationem velut Ecclesiæ in Anglia capiti) conditione hac præstandæ obedientiæ, proditiones, cóiurationes, machinationes perduelles, quorum es perspicuè reus, pro falsis, inanibus, & nullis sunto, ac ne à te quidem cogitatis. Hanc nisi admittis conditionem tam facilem & consentaneam rationi, indubitata mors te manet, quam possis memini imputare, præterquam tibi vni, per nos enim supra vsum omnem, iustóque etiam laxius & indulgentius, vitæ tibi aut mortis permittur optio.] Deferenti sibi gratuitum quod iure debebatur; respondit vir sanctus. Reginæ obsequi, & obtemperare in omnibus quibus non læditur debitus Deo cultus, & debeo, & præsto magna voluntate. Sed auertat Deus ne quid in me conscisca quo ipse vel leuissimè offendatur, auertat & à vobis, ne id mihi esse authores velitis. Amore fidi, & sinceri clientis Reginam veneror; dies abit nullus, quin Deo supplicem, vt iis illam Deus præsidiis cumulet, quibus in hac vita promereatur sempiternam. Sit item hic mihi in testem Deus, me cunctis qui adsunt accusatoribus præsertim meis, & mortem meam præcipitantibus tantum cupere salutis, & veræ vitæ quantum ipsi mihi. Fidei nempe Catholicæ lumen, ex-

tra quam salutis nulla spes, & friuola omnia. His ille (quæ sunt in acta iudicij relata) vehementer populum commouit, teneriterque ob hoc potissimum affecit, quod tunc fiebat omnibus euidens, illa proditionum & rebellionum confícta portenta, nullo vel teste, vel indice, vel verosimili coniectura, colorem fuisse ipsius illitum condemnationi, vt iure occisus videretur. Solum id veri causam omnem omnésque habere accusationes; quod Ecclesiæ caput Reginam nollet agnoscere. Muniti omnibus Iudices quæ scienda ex eo putauerant ad damnationem maiestatis, pars illum verant vlterius effari; pars dicentem ne perciperetur impediunt. Iubentur exire Duodecimviri Iurati, & statuere inter se, esset reus necne? secutus est illos paucis verbis Henricus, rogans etiam atque etiam viderent, num quid aliud sibi crimini verteretur, præter sacerdotium, Societatem IESV, regressum in Angliam ad solam hominum æternùm seruandorum procurationem. Parum ad verba rogantis attenti Iurati, vix aulam seorsum subierant cum statim regressi reum pronuntiant; sed declinante in serum die, differtur sententia in diem proximum, subsistente interea sua in catena, & carcere Henrico. Postridie manè, pœna rebellium damnat idem Tribunal Alexandrum Raulinum, hoc vnum ob crimen quod esset Sacerdos Catholicus; sequenti, quod erat sabbatum, Iudex Belmontius Henricum addicit læsæ supplicio maiestatis, lunæ proximo die necandum suspendio, euiscerandum, in quadras laniandum, qui dies illic Aprilis septimus, apud nos decimus septimus, anno 1595. Acerbissimi decreti cum Deo egisset gtatias, egit & Iudici, significauitque illi horam illam à se cupidè expectari. Quod desiderium in oris illius alacritate, verbisque suspexêre, quos ad eum visendum bene multos aut pietas mouit aut curiositas. Die Lunæ dicto, Raulinus Sacerdos, cum se in traham cratitiam ligandus aptaret, lecta sibi siniſtra, dextram Henrico seruauit vacuam, aiens digniori suum quoque illic conseruandum esse honorem dignitatis. Sub hæc supremus Gubernator, quorumdam suasu, interrogauit illum per certum ex suis quid esset acturus, vel percunctantibus quid esset daturus consilij, si Papa Reginam solenni diplomate, extra communionem proiectam, Regnique ius omne promulgaret, eique bellum indiceret. Cui paucis & clarè, vt semper deinceps ad mortem obseruauit; Gubernatori Comiti dicito; neque tunc aliquid vel acturum me vel dicturum quod cum officio Catholicæ conscientiæ pugnaret, quæ disertè professus eadem qua Raulinus crate tractoria ligatur, sed obuerso ad caput iumenti capite, Raulinus ad pedes, ne se mutuo hortatu animarent.

Raulinum morte defunctum generosa, & Sacerdote digna Catholico, ostentabant Henrico, & falsæ beneuolentiæ studio instabant se tandem respiceret, morem gereret Reginæ tantisper exigua in re, & facili, quibus dum verbis obstreperent; facto & silentio respondit, scalas patibuli conscendens & collum capistro carnificis præbens. Nec tamen propterea cessatum à succutienda eius constantia, sub patibulo Ministri tribunalis, procul populus, cur te tui non miseret Vvalpole, te recipe dum licet; accerse saltem Theologos quibuscum conferas. At ille breuiter malum inquit, datis

consilium,

consilium, vitam videlicet, Dei offensa vt redimam? non facio, vestros mihi accersam Theologos? iis non egeo; nimium probaui quid scirent & possent, mihi tædio est, vobisque inutilis repetita tam crebro arietatio. Postremùm nihilominus ex maioribus Ministris, quisquis is fuerit, rogauit, disertè vt sibi, & procul ambagibus aperiret de primatu Reginæ in Ecclesiam Anglicanam quid esset sentiendum? videtur, inquit, hunc sibi arrogare; illi autem deberi nec credo, nec possum salua conscientia affirmare, qua responsione importunos abegit suggestores, & acclamatus est ab iis reus maiestatis; inuitatúsque quod ante nequiuerat tot inter streperas flagitationes, vt commendaret se Deo proximè moriturus, verum poscentibus vt secum oraret quo pacificum in eos animum moriens testaretur. Mihi pax est ait, cum omnibus excepto nemine; preces autem meas in omnes diuido eosque impensius qui primarias habent in damnatione mea, & nece partes. Pro vobis oro, vobiscum non possum, cum Catholicis si qui adsunt meas ad Deum preces, votáque intima toto animi affectu iungo, vt vos luce diuina omnemque Angliam perfundat, incendátque igne spiritus increati, ne vobis vltro præsentis misericordiæ delata gratia in contemptum nunc cedat, post in exitium, & damnationem nunquam reuocandam. Multis hæc tum Catholicorum tum Protestantium mouere lachrymas. Recitata Henricus oratione Dominica, cœptáque Deiparæ salutatione, de scalis à carnifice deiectus pependit, vsque dum animam egisset, secuta est mortui exenteratio, & laniatio, capitali sententiæ adiuncta. Hic finis Henrici Vvalpoli viri nobilis & sancti, quo, vt verbis vtar inde ad nos perscriptis, multos pridem per annos glorioſior fidei sacrosanctæ nullus extiterat in tractu illo boreali. Magno longè vndique concursu nobilitatis, & populi mors eius spectata est; summus ipse Prouinciæ Præfectus Huntingtonus spectauit, sæuus licet Catholicorum insectator, sed pietatis in Henricum pronæ, nec non reuerentiæ cuiusdam in eum singularis.

Patres Carolus Spinola, et Hieronymus de Angelis aliquamdiu carcere destinentur. Romam Personius, repetit ad sedandum tumultum Seminarij Anglicani. Ricardi Fuluuoodi, fidelitas & ærũnæ in carcere Breiduuolienſi. Proditur Ioannes Ricardus. Matronæ illius hoſpitæ incomparabilis pietas. Capitur alibi, & quanta in altero ex duobus paſſus ſit carcere, quanta in altero egerit.

CAPVT XIII.

HENRICO Vvalpolo magnæ animæ prodigo, & ne fuga quidem, eam redimere dignato, non inſcitè oppono Ioannem Gerardium, quem fuga carceri Londinenſi, poſt morti etiam ſubduxit; eodem vtrobique diuinæ gloriæ, & alienæ ſalutis ſtudio & afflatu. Certè puto hæſurum cui detur optio, Henrici mortem legat, an Gerardij annos octodecim perpeſſionibus, conuerſionibus ad Deum, ferendo, agendoque opulentiſſimos, quos breui poſt relegam, vbi à paucis, ſed neceſſariis ad contextum huius anni geſtis me expediero. Luſitana imprimis naui à Præfecto Anglorum expugnata, ex Tertiariis inſulis Londinum abducuntur Carolus Spinola, & Hieronymus de Angelis, nec de morte, aut carcere actum eſt, quamuis Sacerdotum & palam de Societate, quod eſſent extranei & alio tenderent, nec obnoxij Anglorum legibus, dumtaxat omnibus etiam veſtibus detractis liberi dimittuntur, & nautico habitu, viatico partim murnò, partim mendicatò Vlyſſiponem ſe referunt, vnde ambos deinde Iaponia habuit, viditque poſt conuerſiones innumerabilium hominum, lentis ignibus pro Chriſto abſumi.

Redit item hoc anno Perſonius ex Hiſpania Romam, magno bono Seminarij Anglicani, tumultuantis pridem, & in partes ſciſſi; quod poſt biennium narrabo fuſius, cùm erit de rebus Vveſtoni dicendum, quæ aliter nequeunt perſpicuè ſatis intelligi. Aio nunc obiter tranquillitati ſuæ Seminarium à Perſonio quantum potuit reſtitutum, quod illi gratulatus eſt Thomas Stapletonus, inſignis Theologus, (Societatis olim tyro, culpa vero tunc, aliena magis quam ſua, extra nos) damnans magnoperè illorum iuuenum ſeditioſa ingenia, & ingratum animum in Societatem. Noſtris interea

terea vbertim in Anglia creſcebat ſeges laborum, & tolerantiæ; ſed vice verſa laborum ſocij; & ingentes ad tolerantiam ſpiritus tribus anni huius feſtis ſolennibus conuenere, ad refouendum animum longiori, & ſolitaria meditatione, ad recognoſcendas cum moderatore qui tunc erat Garnetus, conſcientiæ intimæ rationes, & inſtaurandum cum votis religioſi ſpiritus ardorem; ſed hoc manipulatim, in omnes euentus, aptè ſiquidem ſcribebat Garnetus, *Si venerit Eſaü ad vnam turmam, & percuſſerit eam, alia turma quæ reliqua eſt ſaluabitur*, Sacerdotes cenſebant tredecim, præter illos quos tenebat carcer, ne illic quidem inutiles; acceſſit iis Oſuualdus Teſſimondus cum Sacerdotibus duobus probatiſſimæ virtutis, in procinctu paratis, vt ſequerentur Ricardum Biondium, paucorum tunc menſium tyronem, poſtea virum magnum, primum inſtitutæ illic Prouinciæ Præfectum, & Patrem miſſionis illius alterum. Acceſſit hoc anno alius, multorum inſtar Ioannes Gerardius, è Londinenſi receptus carcere, iuratoque ab ipſa Regina interitu. Cuius captio, triennis carcer; & periculoſa, ſed felix fuga, ſequuntur enarranda.

Eſt hic ille Gerardius, quem nuper vidimus, ingenioſo pedetentim progreſſu inſinuaſſe ſe in mediam Angliam & requirendi accipitris quem nunquam amiſerat lepida indagatione, per omnes cuſtodias ſaluum, & liberum bono angelo duce Londinum penetraſſe. Ex eo tempore mihi occurrit nemo, vel Catholicis carior, vel fructuoſior, vel in cultura & magiſterio animorum peritior. Poſſunt familiæ illuſtres & quas Catholicæ fidei peperit; & quas ſupra vulgus piorum ad ſingularem virtutem extulit; poſſunt nobiles virgines, quas parthenonibus, iuuenes quos religioſis ordinibus variis mundum peroſos, & Chriſti cupidos diuiſit; poſſunt demum illius, ſexus vtriuſque in Chriſto diſcipuli, qui vitam longo in carcere traxere miſeram, vel vno ex iis pro cauſa fidei clauſere certamine, quæ illic martyria paſſim dicebantur, poſſunt inquam, de illo ſinguli multa, & ſingularia referre. His inſiſtens, & pridem Reginæ eiuſque conſiliariis, quam notus, tam inuiſus, ludi erat inſtar continui ſpectare quam vafris artibus, & malitioſis captaretur, modis vice verſa quam iucundis, & inopinatis Deus in eius tutelam illas deluderet. Locum ſemel domeſticus proditor Londinenſi Prætori monſtrauerat, in quem hora poſt noctem mediam altera, multis Catholicorum condixerat: eundi copiam, præter morem, præterque vllam quæ menti ſuccurreret cauſam negauit Garnetus ſolo animi præſentis, & obſcuro inſtinctu. Reſcitur poſtridie idem locus ab ſatellitibus Prætoris captus, repertæ in eo latebræ penetrales; comprehenſi Catholici quatuor in quibus Fuluuodius Gerardij famulus, mox ad Breiduellum, tam arcto ſepultus ergaſtulo, vix vt hominem caperet, vbi omnis ſuppellex manipulus paleæ, pro lecto, animalculis tot fœdis formicans, vt quò ſe ab iis defenderet, collecto in glomum corpore cogeretur in obſtructæ feneſtræ vacuo dormire, idque menſes non paucos, diu noctuque ocreatus. Et tam dira velut præfocatus ex putridis pridem excrementis Mephiti, vt ſtrangulari ſibi perpetuo intercluſis faucibus videretur. Tortus

est postmodum, sed cassa barbarie suis cum sociis; ne flatus quidem iis expressus est, ex quo de Gerardio posset aliquid coniici, & erant nihilominus, humili loco nati, sed magnitudine animi nobiles, ac si cui fortassis maleuolentiam, & horrorem mouet tam frequens præclara in gente proditor, & nundinator sacrilegus Catholici sanguinis, sciat fuisse decuplo iis plures fidelitatis solidæ, & inuictæ quibus nihil vnquam cruciatuum vis, & mortis proximæ aduersus Dominos, & Patres euicit.

Gerardij quidem flagitiosus index, etiam nobilem Gerardij hospitem, ipsumque tandem Gerardium perdidit: professione hæreticus, sed ei domui familiariter assuetus, quòd illic olim seruitutem seruisset, facile sinebatur vti confidentia veteri, adire, immorari, nihil eorum quæ domi fierent ignorare; sceleratum interim animum & sanguinolenta consilia, sedulitate in patronum, & amore prætexens tàm tenero, vt lamentaretur apud eum palam, pericula & mala, quæ machinabatur illi clam; & fideliſſimi obsequij specie expiscaretur ex eo omnia quæcumque ad Gerardium attinebant, deferretque Londinum, sine mora ad capitalium delegatum. Verum Gerardius consultissimus doli boni, nunquam se furcifero proditori videndum dedit in schemate ex quo posset Sacerdos conuinci; talem nihilominus haud malè coniecit ex reuerentia qua illum nobilis eiusque vxor prosequebantur singulari; & nummis tercentum proscripta hospitis nobilis, & Gerardij capita Delegato Youngi addixit, quos esset Londini ad manum recentes è suburbano tali die horaque habiturus; sed accidit vt præter nobilem, scrutatoribus occurreret nemo; inuenirerur nobilis, Hieronymi Plati *De bono status religiosi* librum legens, & ad editionem nouam Anglicana lingua elegantiori eum expoliens. Quo sibi postea nihil oportunius veniſſe Gerardio narrauit, vt Senatoribus, de illo quoque libro incomparabili interrogantibus, eius etiam argumentum incomparabile deprædicaret magnificè; sed eò ægrius ab iis auditus, quo viri ex pulpæ, ac sensuum concreti luto, aberant longius à meliori beatitudine appetenda, qualem is liber vnicè commendat; vnicè dirident hæretici veluti fatuam, quæ quicquid dulcius in præsenti sapit, futuri spe perdat, contra nouos, noui Euangelij auctores, & reparatores Ecclesiæ Lutherum, & Caluinum. Perducto ex tribunali ad carcerem ampla non defuit vt molestiarum sic meritorum seges, habita tamen est nonnulla ipsius ratio, indultúsque illi de suis vnus qui famularem præstaret operam, nempe ipsemet ille à quo proditus fuerat vt fraudulenti erga herum amoris & fidei continuata simulatione subolfaceret ex eo aliquid de loco & tempore quo reperiundus foret Gerardius, quod fuit periurio insidiatori admodum facile, vt qui crebras ab hero literas ad vxorem ferret in palatium eius suburbanum vbi Pater latebat. Innuit itaque non diu post, aduersariis si venirent altero Paschæ die, fore illis in manu Gerardium, & viro nihil propius abfuit quam vt prehenderent ad altare; dum enim sacris induitur, cingit cohors armata palatium, occluduntur iis portæ robustis vectibus; & Magistratus Londinensis, obtrudentibus mandata, ita respondetur vt intelligerent, se pro latronibus haberi.

haberi. Eamque ob rem aditu arceri; quem dum foris vi magna, diúque moliuntur exornatur altare, cum Gerardio apparatus sacer, ab indagatorum naribus tuto sepelitur. Erat latebra illic duplex inuentum Ioannis, ab statura cognomento Pusilli, sed grandis reipsa vt inferius patebit animi; & Magistræ in fabricandis latebris, & Sacerdotibus cælandis industriæ. Latebat vnà subterraneo in plano satis ampla, vino semper, & pane instructa nautico, ne quem famis diuturnæ adigeret rabies, vt se sparsis domo excubiis militum proderet. Altera vt tuta maximè, sic angustissima, & valde incommoda, nulloque in famem subsidio munita. Hanc Pater inuitus subiit, lecturus maiorem nisi palatij domina obstitisset, diuino vtrumque consilio, quo vtrique vita, seruata est. Latebat huius aditus sub eleganter ornati cubiculi camino ex quo erat descensus in arctum muri solidi cauum; ligna hinc inde, & lignorum strues supra focum cum stupa ad ignem, si quando res ferret accendendum. Refractis foribus, inter obtrudentes se delegatos adfuit proditor, primusque audacius, & confidentius occurrere, vim queri, atque iniuriam, vociferari, minari, contestari, tam veraci & fido similis, vt ipsam quoque falleret dominam. Hic vero primum delegati familiam omnem in amplissimum cubiculum cogere; inde tota seriatim domo scrutari Gerardium, obire conclauia, tintinnabulis parietum caua; pertricis mensuras rimari, aperire, perfringere, detractis humo lateribus fodere, labore vbique inutili & casso. Die igitur iam tertio equos ad reditum ascensuri captam secum volebant Dominam, Londinum in carcerem asportare; prius illa quam abduceretur, seuocauit ad se scelestum proditorem quo sibi de suis fideliorem credebat neminē: quod obseruasset, illum tam strenuè, audacter, etiam dolenter, & anxiè in aduersarios satagentem, vt si foret illi familiæ intimè propinquus, seuocato arcanum Patris latibulum fidenter committit, curam eius quam sui præsentis, & Dominæ gereret maiorem; latere illum ad conclauis lacunar, cuius parietes rasum sericum vestiebat; ratáque se perspicuè percipi, dedit se Londinum perducendam. Aliquantum viæ confecerat, cum anhelus satelles quem excubitorem domi reliquerant, delegatis adest à proditore missus, regrederentur læti, & certa spe fore illis in promptu Gerardium, & compertas sibi nunc hominis latebras, quas tamen regressis indicato licet quod dixi cubiculo, minimè valuit indicare cum ignoraret illarum aditum sub foco latere. Dilata in diem proximum acriori, & vltima vestigatione, qui ad cubiculum agebant excubias, ignem foco subdunt compositis facili, & instructo lignis; fabulantúrque de Gerardio mira; garrientibus aures Gerardius arrigebat, audiebátque distinctè omnia, suo illo in loculo semper sedens, & quarto iam die famelicus, at deliberatus centies potius illic mori quàm suo per quadriennium hospiti, eiusque vxori sanctissimæ nocumenti vllius causa esse. At ecce dum confabulantur inter se satellites, camini lateres vel malè commissi, vel igne hiantes rimas agunt, quibus tisione & ligno premendis conspicatus miles sustineri caminum tabula socios monuit, posse illic aliquid latere, sed commissa est diei postero, diligentior cura rei ex-

plorandæ, quam nisi Deus incogitantia illorum discussisset actum erat de Patre totaque familia, nam diuino planè miraculo factum à mane ad vesperam perueſtigantibus cuncta scrupulosissimè, vt suspicio illa, & cogitatio camini fallacis nunquam redierit; quod multis per noctem precibus à Deo Gerardius petierat; ne damni aliquid sua causa tam benefici hospites paterentur, vis fabrorum tota in inferius conclaue incubuit, cuius in parietis solidi tanquam loculamento latebat Gerardius pulsando circum, frangendo, vertendo improba accuratione vniuersa. Maior illa iis tandem latebra patuit, in quam Pater optarat descendere, magnisque vocibus lætum εὕρηκα exclamarunt, rati se feram in cubili, Gerardium in suis latebris cepisse, sed cum vacuas cernerent concidit illico præceps plausus, & stultum putarunt vlterius quærere quem subripuerat iis fuga. Ne quid tamen ab iis videretur omissum, fabrum iubent incrustatura parietem nudare qui Patris latibulo proximè respondebat, iamque ad illud accedens propius, vetitus est pergere, & tam elegans opus, labore, damnóque inutili perdere; sat fuit pulsando per exploratorem camini superiora tentasse leuiter, vnde statim exscendens, auditus est à Patre dicere, posse illic tutissimum condi celarique latibulum; quod ab delegatis diuturnum fastidium pertæsis vel dissimulatum, vel minimè auditum. Quare, infecto planéque desperato commissi mandati negotio, sub occasum solis vn vrbem se referunt, relicta in palatio Domina, quod nihil inuenissent eius libertati & innocentiæ opponendum. Illa vbi domum sensit à molestis hospitibus tranquillam, coniecítque iam illos abesse longinquius, portas palatij ante omnia firmare, tum suum Lazarum è sepulchro quatriduanum extrahere. Erant vterque tam sui dissimiles, vt nisi ex voce, & habitu non agnoscerentur. Et is quidem coacta quatridui fame, cibi porúsque penitus experte; illa fame voluntaria, vt experiretur quamdiu cibo posset citra mortem carere; quam vbi sensisset defectu virium instantem, Patris latibulum erat ipsamet per se monstratura, ne illum tacendo occideret. Addidit, & suas ad Deum preces voluisse se diuturno ieiunio fulcire, quò efficacius petita exorarent. Grande quidem exemplum in fœmina nobili, robustæ ac masculæ pietatis, sed non ita mirum in Anglia, vbi assiduè virtus heroïca operibus arduis pro religione exercita, decus illic erat matronis commune. Emerso è latebris Patri, vaferrimus proditor occurſare cum primis, gestire, gratulari haud tamen iterum, importunum se delegatis præbere, quod mittendo ad eos careret nuncio, & Patrem cerneret ad iter accinctum; sed tenax susceptí crudeliter sceleris, tam pressis vestigiis consectatus est abeuntem, vt Londini tandem ex indice, nihil doli suspicante domum didicerit in qua posset facile inueniri. Forenses illuc satellites extemplo immittit Sicarius, qui fores validis ictibus, & ferali clamore quatiunt, primo somno excitus Pater, qui sub mediam noctem aduenerat, suspicatúsque quod res erat, gratiis Deo actis, quod conducta in domo caperetur vbi nemini esset periculo, aut negotio futurus, Ioannem Paruum (solertem illum, quem diximus, architectonem latebrarum) iubet literarum quas ab Catholicis habebat plurimas,

mas, raptim intra foci cineres condere, moxque se lectulo reddere. Vix decubuerat cum implet cubiculum, vilissimorum turba satellitum, ambos comprehendit, detinetque illic in tertium diem dum statueretur, quem essent iure in carcerem mittendi. Crassas interea Gerardio ex ferro manicas induunt, sistuntque tribunali, vbi se liberè Sacerdotem fatetur Catholicum, Societatis IESV religiosum, quamuis omnium maximè indignum. Se vero in Angliam missum non vt rumor calumniabatur, ad auertendos à Reginæ obsequio populos, sed addicendos potius debitæ illi obedientiæ, religioni veræ, omnique morum probitati. Confessioni huic vltroneæ subscripsit primus Cognitorum, claudendum carcere (quem Comitum nominant) ac licet reum maiestatis; & exquisitis dignum torqueri suppliciis; nobilitatis tamen causa quam posset humanissimè habendum. Id an iussum ex vero, certè non est mandatum opere: demissus est enim angusto ostiolo in subtegulaneum carcerem, ægrè lectuli capacem, statura Gerardij breuiorem, fenestra diu noctuque apertum, & quod erat somno, valetudini, naribus maximè infestum, tam pestilentis, & acutæ graueolentiæ, quantam poterat expirare cloaca, in quam diuersi, & multiplicis carceris sordes omnes vndique confluebant. Inde quarto post die, pro tribunali statuitur duorum tantum cognitorum, sed qui versutia instar centum erant. Youngius, & Topcliffus, hic præter morem sine toga sagatus, & ense accinctus, quem Patris accessu lateri detraxit, & super mensa repositum tenuit: prior Youngius ex Patre cùm quæreret de Catholicis quam multi? Quinam? & vbi collectus ab iis hospitio fuisset? Negauit Pater se vnquam dictutum quod Dei, & conscientiæ, & beneficentiæ amicorum, fraternæque offensa fidei prohiberetur dicere; quæ fuit illi perpetua, & constans in ore responsio non solum quoties interrogaretur, sed cum etiam ad necem torqueretur. Hic vero Topcliffus correpto ense, assimulatoque in carnificem vultu; nostin' me inquit, & de Topcliffo aliquid audisti? scito me illum ipsum esse, & scire iuuerit, si sapis, ne grandi tuo cum infortunio cogaris experiri. Gerardius impauida indole, & imperterriti si quis alius, natura pectoris, territari se videns à fatuo, sene, defixis in eum pauliſper oculis. Neque os tuum, inquit, efferatum, nec ensis ille tuus, nec quicquid vsquam est, aut esse potest Topclifforum, efficiet, vt dicam quod nolo, quia nec debeo, nec fas puto; inde quæsitis alterius modestè, obseruanterque satisfaciens huic duriter deinceps, & contemptim respondit; suum vero quoddam tradi sibi responsum poscenti, manu sua conscriptum; de causa sui in Angliam aduentus manu tradidit ita deformata, vt agnosci ex ea familiaris sibi character non posset, delusitque, hac arte veteratoris artem, qui de characteris similitudine contra illum volebat euincere, ipsius epistolas aliquot esse auctographas. Quo ille se lusum pariter & deprensum cernens, excanduit, & rabiosè, faxo, inquit, faxo meas in manus incidas; illic cum te tuis suspendero manibus, otiosè spectabo num te Iesus tuus mihi eripiat. Facies hoc solum, refert Pater, nihil præterea, quod Dei conceſſu poteris, nec tam futurus sum in tua potestate quam in eius tutela. Post quæ redi-

cto in carcerem, mandat Topcliffus indi grauissimas compedes, & annosa scabras rubigine, quibus adstringendis illachrimabatur curator carceris, dolebatque se quoque tam inhumano ministerio adhiberi; sed hunc docuit Pater quantum iis pro Dei, & iusti gloria portandis inesset non modo meri i; sed honoris, & gaudij, & pecuniolæ quæ sibi supererat residuo consolatus est mœrentem. Porrò illas compedes ærugine asperas, scribit ab se Pater tibiarum affrictu assiduo sic per tres menses expolitas, vt læuor iis, & splendor accederet; nam etsi angustias carceris, passus omnino tres metirentur, sed formicino illos incessu & strepero diuidebat, vt ægriùs faceret Caluinistis subiecto carcere conclusis sua concelebrantibus orgia, vel obcœnarum turpitudine cantionum se recreantibus. Tunc enim infesto compedum attrictu & strepitu, tamdiu iis aures studiosè pergebat obtundere, dum molestia illa fracti ab impura illa cessarent animi relaxatione.

Trimestri expleto carceris, cuius mensem primum Exercitia S. Ignatij ab eo fructuosissimè obita occuparunt; datus est ad quæstionem Ricardus famulus, & Ioannes Pusillus seu Paruus, nec ab iis quicquam expressum fumi quo posset eius causa etiam leuiter fuscari. Amicorum tandem sumptuosæ interceſſioni concessit Youngius vt transferretur in carcerem nomine Clinkium, refertum Catholicis, tum nobilibus, tum amicis, ad quos velut ex orco in terrestrem quandam paradisum, gratulatus est sibi se transisse quod illic præter impia, & impura; hic præter Dei laudes, piorum vota, & cantus sacrorum carminum nihil audiret. Probam tamen licet sanctamque custodiam, religiosa sua industria fecit adeò meliorem vt diffunderetur Londino tota eius fructus, & vicina circum regione, fateturque se illa obeunda nequaquam animis tantum fuisse profuturum, quantum ex carcere profuisset. Illic ante omnia sibi Societatis curauit vestem, eoque cultu palam semper agnosci voluit tota vrbe, dum varia per tribunalia circumduceretur, concurrente populo ad spectandum in proprio habitu Iesuitam; illudentibus pueris, Caluini ministris cum fremitu publicum sui contemptum interpretantibus, & exsecrantibus. Erat eius carcer vni muro, cum duplici alio affixus; vno Emersoni, qui Campiano fuerat socius & obseruabatur tanquam sanctus. Claudebantur promiscuè altero conditionis omnis Catholici; qui catè aperta in pariete fissura, suo arbitratu cum Patre agebant, reddebantque illi, & accipiebant literas, dum is interea proniorem daret quotidie operam, vt modis omnibus custodem suum sibi deuinciret, cœteroquin immitem, & suspicioſum, sed familiari, & diuturno vsu, comitate, ac beneficiis, tam fidentem paulatim, & intimè amicum, vt paciſceretur se nisi vocatum nunquam suo conspectu interturbaturum eius colloquia, quod vt spoponderat, religiosissimè præstitit. Vsi occasione Catholici, tam propitia & necessaria, clauim primum qua Pater claudebatur, ducto ex ea exemplo assimulant; inde cuiusuis etiam alterius carceris, breuique nulla fuit tam perplexi machinamenti sera, quin quotidie summo mane reseraretur eorum vni, excitatori aliorum; coïbant omnes in carcerem Patri imminentem, pro sacello; cuius erat ædituus simul,

simul, & incola Lillius, (de quo maiora suo loco) illic sacrificij diuini, Confessionum, & Communionis, quin & tradendorum S. Ignatij Exercitiorum sacra ministeria obibantur, & appositarum, ad dura certamina concionum. Præter hos, furtiuæ in carcere beneficium libertatis in multos alios se fudit partim verè, ac merè Protestantes; partim simulatè ad vexationes fisci eludendas. Ex prioribus illis ferè decem, quod pietatis cultura in Catholicis vacuum illi negaret tempus ad disputationes quibus illos prolixè conuinceret; eorum quatuor religiosis familiis dedêre nomen; Societati duo. Ex alteris fuêre quamplurimi, sed in tantam exculti perfectæ virtutis præstantiam, vt inde multi prodierint qua Sacerdotes, qua Religiosi, rei Catholicæ admodum vtiles. Vnus modo illorum obiter nominetur Ioannes Rigbius qui triennio post nobilitatem auiti sanguinis, tam illustri eius profusione decorauit, vt eam Deus insolitis supra naturam prodigiis dignaretur. Ad mortem proximè iturus dedit ad eum epistolas, quibus centies vocat animæ suæ Patrem, acceptósque fert illi spiritus generosos, quibus ad illam tunc animabatur suprematn pro Christo, & fide Catholica pugnam. Fuit quoque illius operæ pretium Franciscus Pages laïcus nobilis, post Sacerdos, & noster, & quinquennio post, Londini pretiosa morte coronatus. Addendi his magno numero adolescentes, & pueri, quos in Belgium, Hispaniam, & Romam transmisit, intra Seminaria educandos: addendi vltimo qui regrediebantur in Angliam, certo si forent intercepti vitæ periculo. Committebantur omnes obsequiosæ illius charitati, vt iis de victu, de tecto, de hospite, de occupationibus, & latebris prouideret, quæ dum prouidisset alebat eos stipe gratuita in conductitiis ædibus, quanquam nisi ægrè idque à perpaucis, & intimis, & locupletibus stipem minimè admittebat. Sic inter cœteros P. F. Ioannem Gones, aliàs Buckleyum è S. Francisci familia obseruantem; sic Robertum Durium Sacerdotem excepit, ambos Hispali commendatos, ambos demum morte perfunctos glorioſa. Quotquot præterea vicinas vrbes, Londinum maximè inhabitabant Catholici eum tam liberè quam sine periculo adibant, dum sibi vel mediocriter, nec prorsus stolidè cauerent. Inde carcerem F. Emersoni semper implebat turba, præstolantium Gerardi aures ad confessionem; prudentiam ad necessaria de animi rebus consilia, magisterium ad diuina. Eminebat in iis ille nobili ortu clarus Gerardi hospes quadriennis, eiusque causa in carcere reus; & sanctissima eius vxor, tantopere anxia ne inueniretur Gerardus ab aduersariis, aut post quatriduum lethali fame deficeret. Et hæc quidem primæ relicta libertati; vir autem redemptus è vinculis, ex domo conducta Patrem frequentabant, & vicino illius é carcere velut sanctimoniæ schola redibant semper doctiores; sed vir pridem illis quatuor ab annis, quibus hospitem domi Gerardum habuerat, & Magistrum, in diuinis erat ita eruditus, vt de iis suo in carcere, opus componeret, multis optimè conceptum, & digestum libris; & Patrem demum suis potissimum studiis & labore, turri exemptum Londinensi, voluit denuo ab vrbe procul habere hospitem, & habitatorem.

Gerardum accusat Sacerdos sceleratus; eam obrem translatus in Turrim Gerardus atrociſsimè quidem, sed inuicta patientia torquetur. Sacerdos spe falsus à fide deficit.

CAPVT XIV.

HOc cœli aspectu tam vberi, Gerardi labores fortunante, rumpebantur scilicet inuidia, & rabie dæmones, nihilque non mouebant, vt ex suo illo tam feraci probitatis, & sanctimoniæ carcere, transcriberetur in alium, ex quo nec iuuare quenquam posset, sed nec adspicere: irritos vbique Dæmonum conatus, mirum dictu, Sacerdos perfidus, & sacrilegus promouit. Erat Gerardo tunc libertas propè absoluta curandæ salutis alienæ, Topcliffo custodia clauso; morte sublato Youngio, dum partim suo, partim vero Reginæ in Catholicos odio insanit, & frigidissima hieme, nocturnis præsultor exploratoribus, ædes passim suspectas improuisus inuadit. Misit salutem Regina misero animam agenti, qua ille adeo infatuatus est, vt sui Deique immemor, illam suæ Reginæ benignitatem vnam ad vltimum spiritum, mente, & lingua versauerit.

Iam quod cœpi; eundem cum Gerardo, Clinckium carcerem incolebat Sacerdos, egens, miser, victu, hospitio, latebris à Gerardo, & olim, & in carcere adiutus, matrisque ac fratris conuersionibus, ad meliora prouocatus, sed nunquam sic intimè veréque emendatus, vt offensioni Catholicis esse desineret, qui carcerem illum in sanctitatis cœnobium verterant. Lego in tabulis illorum annorum Atkinsonum quendam Sacerdotem publicè desertorem, suis ad Georgium Blackuuellum curionem literis, Gerardi meminisse, qui cum egisset eodem in carcere; huic, siue alius quilibet fuerit, inuidiæ rabies Gerardum fecit capitalibus odiis inuisum, quod sua virtute Catholicorum in se beneuolentiam, amores, studia, & venerationem conuerteret; hunc si expelleret (quod frustra molitus est) subiturum se ipsius loco; sin autem, consiliarios habiturum se beneficos, & obstrictos. Monet itaque illos sine mora, Gerardum Iesuitam, se coram cernente, accepisse ex Belgio & Roma literas; earum aliquot ad Garnetum misisse, per Ioannem Paruum, (piorum contributione nuper assertum ex carcere,) reliquas sibi tenuisse. Ad hæc eodem cum Garneto, consilia, literas, & nuntios miscere, quod procliuis esset omnibus copia eius adeundi hæreticis iuxta, & Catholicis. Nulla poterant Ministri Regij accusatione ardentius incendi: audito

audito maximè Garneti nomine, qui quod nostris in Anglia præesset, velut Rebellium & proditorum Dux audiebat. Indignabantur præterea, quod eum tot annis nulla vi, nulla fraude, perfidia, emissariis, sumptibus, authoritatibus deprehendere potuissent. Se nunc quapiam tandem ex eius epistola, vel extorta saltem, si minus spontanea confessione Gerardi, comperturos quo cauo sepultus conderetur. Tres fori Ministros, cum custodum Præfecto in carcerem destinant; qui primùm circum omnia rimantur, ne quo forte illas noto scrobiculo Gerardus occultasset, verum acutior fuerat eas occultando, quàm ij quærendo secreti: conscius Emersonus quod quemque tangebat huic tutò reddidit. Hinc Gerardum scrutari aggressi, aspero ad carnem cilicio deprehendêre loricatum, quo nempe offensus piaculo scrutatorum vnus, diripere illud eius ex corpore vi tentauit, sed obiurgatus à Præfecto, illud Patri remisit. Eius ergo in carcere cum præter illum nihil esset inuentum, in turrim traductus est omnium animos, & desideria, etiam hæreticorum secum ferens, sic vt eius quoque in carcere custos, illum eius dicessum dolore fleret incomparabili.

Præfecti vices obibat in Turri Bartleyus Eques aurei calcaris, hic quia vergebat in occasum dies præcepit Gerardum infima ex tribus includi custodia, quæ illo in castro turrim conficiunt, comportato illuc ad somnum, & cœnam fœni manipulo, & cautè munitis vecte ferreo foribus, custos abit. Hunc antea carcerem Henrico Vvalpolo habitatum eiusque toties repetitis tormentis consecratum, Gerardus agnouit, gratulatusque sibi hanc patientiæ tam illustrem scholam, dum exempli robur, & meriti opem, precesque subsidiarias ab eo expectat quem venerabatur vt martyrem; coactus postridie ascendit in tertium, carcerem supremæ contignationis; quæ licet dicta nimis forte minutim, sed scitu sunt necessaria ad narrandorum mox perspicuitatem. Tertio quam illic agebat die ad examen accitur in domum Equitis Bartleyi ipsomet Turris in Complexu sitam, dumque illuc descendit, bona cum venia custodis iam inde illi extrema omnia metuentis, deflectit obiter in sui Vvalpoli carcerem, imploraturus breuiter eius præsidium; Iudices quinque conuenerant ad cognoscendam eius causam, omnes præcipuæ iurisdictionis, quorum caput Guillelmus Vvadeus in locum Youngij suffectus. Ad priora de rebus status publici quæsita. Captum, me inquit Gerardus, tenetis iam triennem, prodeat si quis est, qui possit mihi affingere dictum aliquid à me, vel scripto mandatum quod non pertineat ad salutem & conuersionem animorum. Hoc me vnum in Angliam reuexit negotium, vnum in ea me detinet; præter hoc aliud nec habent, nec conscientia integra, nec nisi violato Generalis Præpositi decreto, habere possunt homines de Societate. Atqui, intulit vnus ex cognitoribus, ista literarum, & nuntiorum communicatio tam crebra cum Garneto Regni, & Reginæ inimicissimo, coniecturam præbet nouarum rerum tam violentam, & collaræ cum eo proditore coniurationis vt purgari ad purum non valeat, nisi denuntiatis quibus se tutatur latebris. Ego refert Gerardus tam longè à vero vestras de Garneto opiniones abesse certò scio, vt possim iu-

ratus affirmare', nullam eius in venis stillam sanguinis micare, quam non sit paratus pro Regina & Regno fundere, quicquid vobis secus aut rumor vagus, aut sanguinolenta calumnia dictarit. Cœterum vbi sit nec scio, nec si sciam adducar vt vobis eum prodam, quod me charitatis & æquitatis seruandæ necessitas, à tantæ iniuriæ crimine arceat. Hic illum alij obiurgare; minari alij; nonnulli rogare, suimet vt vellet misereri, nec stulta beneuolentia suo exitio vitare alienum, quod esset omnino futurum, si compellerentur manum tormentis admouere; simul & torquendi legendam exhibent potestatem, citra quam illorum qui Turri clauderentur neminem liceret ad quæstionem dare: quantum ille tacendo obstinaret; tantum se torquendo instituros, quoad vel animam corpore, vel ore quæsita exprimerent. Quibus ille solidè obfirmatus; nolle se omnino, quod volens peccaret, idemque iis, quod olim Topcliffo respondet, nunquam se illorum in manibus sic fore, quin foret magis in Dei tutela in quo spes omnes habebat repositas. Sub hæc sequitur præeuntes ad horrendam illam & formidandam specum, reis torquendis destinatam, & ibant (inquit sua quadam quam præ oculis habeo, narratione satis fusa) velut supplicabundi procederent, portantibus funalia famulis, & prælucentibus ad subterraneum cæcumque ingressum. Vastum intus & terribile armamentarium, vario instructum excruciandorum reorum apparatu; quorum singulis essem admouendus: proin mihi maturè consulerem pro suo erga me affectu hortabantur, quærebántque num vellem denique imperatis parere? negaui me velle, flexisque genibus paulisper orani.

Producor inde ad alteram ex duobus quæ tectum fulciebant columnis ligneis cuius summa ex parte porrigebant se quædam ex ferro organa vncinis instructa & annulis ponderi sustinendo aptis. Mihi arteria manus diuisim vtriusque circulo ferreo cingitur, fulcra duo suppedanea, vel tria conscendere iubeor, & surfum brachia tollere quorum seorsum ad singula insertus vtrimque per manicas bacillus, seorsim item per columnæ annulos transmittitur. Fulcra demum quibus institeram paulatim subducuntur, & ecce corporis tota mole de manibus pendeo. Deum illic aliquamdiu precatus, interpellor à cognitoribus delegatis, qui coram adstabant, vellemne tandem quæ poscebar fateri, nolo, inquam, quia nefas scio. Eratque iam tanta doloris acerbitas, vt illa quatuor efferre verba ægrè potuerim. Vexabat autem potissimum tormenti atrocitas pectus, ventrem, brachia, & manus in quas mihi videbar quicquid erat in corpore sanguinis mittere, & extremis expressum digitis fundere quod tamen reipsa non fiebat; sed intumuêre, tam deformi aspectu manus, & brachia, vt tumoris labra manicas sepelirent, eoque tunc accreuit dolor, vt animo linquerer, nec putarem posse diutiùs perferri. Nunquam tamen animo succurrit efferre, quæ tacenda erant; sed magno potiùs Dei dono luctantem in extremis refouit hæc cogitatio; quod optassem pro Christo toties mortem oppetere; tunc tempus agi rem, nec defuturum mihi sua ope Christum: hoc desiderio moriendi recreatus est non mediocriter spiritus, visique sunt dolores

corporis

corporis minui, quanquam per se opinor crescebant potiùs molè defecti corporis totius, manus quibus pendebat grauius premente. Delegati meo abacti silentio, robustis custodibus me seruandum committunt adiuncto mei carceris custode qui fronte sudorem detergebat, quo totus continuo madebam, solabaturque me illo officio non parum; sed verbis quæ illi, aut benenola mens, aut ministrorum fraus suggerebat, tantum mihi creabat fastidij, vt eum rogarem, afflictum affligere ne porrò, & frustra pergeret. Stultum esse sperare salutem corporis fore mihi æterna pretiosiorem. Pergebat nihilo seciùs, & accessere ad eum tres alij custodes, sed erudiùs pij, minati reportaturum me ex illo supplicio fractum in omnem vitam corpus, si tamen viuus ex eo euaderem; sibi enim mandatum me tamdiu torquerent, donec aut animam inter cruciatus egererem, aut quod premi secreto dolebant ederem. Precabar interim submissa voce, vt poteram Iesum & Mariam, quo à verbis illorum attentionem auocarem. Post horam correptus deliquio, sed breui vt suspicatus sum, nam pondus corporis tantisper brachiis statim erexere, & fulcra pedibus reddere quoad animum recepissem, atque hic denuo, dum animaduertunt restitutum, denuoque orantem, iterum me tormento admouent, repetuntque has vices horarum quinque spatio nouies, prout defectiones vitæ quibus violentis opprimebar, cogebant illos ne morerer cauere. Redit quinque post horas Vvadeus, propiusque accedens, vides, inquit, tuoque experiris damno Reginæ parendum eiusque consiliariis. Dic ergo sis, vel nunc quod tibi fuerat conducibilius antea dixisse. Ego, vrgetis, inquam, idem quod antea vt vobis aperiam quod lege diuina vt premam vrgeor, proin idem vobis quod ante respondeo. Saltem Vvadeus dic te Regij scribæ Cæcilij colloquium poscere, ne id quidem, aio, facturus sum, quòd nec illi quicquam dicendum habeam, & offensioni futurus sim suspicaturis me victum cruciatu, aliquid ei quod erat tacendum indicasse. Ergo, infit, discedens, & fremens Vvadeus, illic pendens putresce dum membra tibi frustatim defluant, & puto cum eo socios pariter abcessisse, ferè namque post, signum ære est datum quo solent occludi castri portæ. Hic meo illo ex tormento depositus, etsi nec tibiis, nec pedibus læsus, in pedes tamen nequiui consistere. Reportatus igitur in meum carcerem obuios habui ex captis nonnullos quos sinebat custodia libera toto castro vagari, factus iis propior alta voce, & ex proposito, custodes alloquens; miror, inquam, maiorem in modum me adigi ad prodendas Garneti latebras, cum nefas sit cuiuis prodere innocentem; hoc vero non faciam, etsi me sciam propterea millies moriturum. Hæc palam vt denuntiarem duplex me ratio adegit; prima, vt falsi arguerem mendacissimos homines qui cùm præfuissent Sacerdotibus torquendis, iactabant ab iis hospites, conscios, amicos, socios coniurationum fuisse vulgatos. Hac olim infamia Campianum, Southuuellum, & alios fœdarant. Altera, vt qui tunc aderant, dicta referrent ad Garnetum, & significarent, vigili oculo, sibi vndequaque attenderet; quod nihil æquè aduersarij arderent, quam vt vngues in eum iniicerent.

Adest postridie qui me Vvadeo sistat; interroganti eadem quæ prius, cum & eadem ego, eademque fiducia respondissem; prodire iubet immanis staturæ, & tertibili aspectu hominem, quem reis torquendis Præfectum nominat, cùm esset ipse librator machinarum, & hunc inquit, Reginæ nomine, eiusque consilij, edico bis hodie torqueas, bisque singulis deinceps diebus, dum pertinacia domita, morem gerere compellatur, & quod exigitur fateri. Referor hinc ad hesternam mei supplicij columnam quæstioni reddendus, non potuere manibus indui circuli ferrei, nisi intra sulcos, quos grandes pridie impresserant, sic intumuêrant cœtera, vt nullus iis par esset circulus, suspenso doloris quàm prius sensus atrocior vexabat manus ex quibus pendebam, mitior ventris, & pectoris; quare mente, & ore precando absque deliquio animi duraui aliquamdiu; sed superuenit defectio virium & sensuum tanta, vt iis non possem restitui, de me solum hoc scio, vti oculis vt cœpi, video me in trunco sedere; Turri Præfectum Equitem Bartleyum multosque alios circumstare, fouere, refixis ferro maxillis calidam instillare, & si quis esset superstes spiritum reuocare, multis enim credebar expirasse. Exprobrabat hic mihi Eques silentium pertinax quod tanti mihi staret, suadebatque vt illud abrumperem; sed hoc cruciatuum meorum tristi articulo, tantum mihi Deus affudit vocis & pectoris, vt suadenti referrem, malle me millies, si toties possem viram profundere, quam hominum gratia Deum offendere. Miserari me visus, admonuit tamen, nondum horam fluxisse torquendo destinatam; iterandumque sub vesperam tormentum. Ergo, inquam, eamus conatusque frustra in pedes assurgere, alienis manibus ad meam columnam accessi, & hos mihi animos suggeri in Societatis gratiam agnoui, cuius licet maxime indigna, pars tamen sum aliqua. Alligatus vt prius, summum quidem probaui corporis dolorem, sed magnam animi voluptatem, profectam vt reor ex desiderio moriendi; satin' puro, & vere pro Christo moriendi; an ex φιλαυτία, & Christi præsentia fruendi, nouit is qui nouit omnia. Mihi quidem certo videbar morituros, & consolabatur me singulariter, diuini placiti constans amor, spreta cuiusuis mortalium voluntate. Sed me nondum hora integra pensilem Bartleyus eques demitti mandauit, seu desperans, ex me se quiduis aliud præter animam extorturum; seu naturali erga me affectus miseratione. Certè paulò post auditus est dicere, abhorrere se ab innocentibus tàm dire excarnificandis; trimestri vero post, Turris præfecturam se vltro abdicauit. Meus quoque custos dum me lachrymosus carceri redderet, narrauit vxorem ex quo primum columnæ applicitus fueram, nunquam à fletu, & precibus cessasse, etsi me antea vidisset nunquam. Protulit is paucillum aliquid quo refocillarer, sed emortuis manibus exiguum illud quod sumebam cogebatur terere in minutal, orique indere, reuiuiscentibus deinde digitis, quod carpere poteram non tactu, sed pondere sentiebam; post menses vero tres sensus manibus rediit, sed æger & stupidus, nec nisi post menses inde sex, cum me Turri subduxi manus ad officium integrè redire.] De se hactenus suisque cruciatibus Gerardus quæ peculiaribus de causis describenda

benda ex eo censui, quo & eius, & Southuuelli, & Vvalpoli generosus & Deo confisus animus, Deique in iis potens inter æstus dolorum, & ministrorum barbariem roborandis præsidium intelligeretur.

Supereſt infelix & æternum lugendus Gerardi proditor qui pro illa quam perfidiosè deiecto Gerardo ambiuerat Catholicorum reuerentia & amore, omnium incurrit execrationes; fuitque illis tam detestabilis, vt ministrorum confisus gratia proditione parta, desertione vitam sacrilegus, libertatem, & subsidij aliquid ad victitandum coëmerit. Subtracto dehinc è Turri Gerardo, quicquid vafritie & ingenio valebat, magno videbatur ardore, ac desiderio mouere vt nanciscereturalicubi Gerardum à quo proditionis peteret veniam, & reconciliandæ gratiam beneuolentiæ, vel vt dictis facta verius loquebantur ad eum crudelius proditione iterata caro aduersariis vendendum. Ac offensæ quidem quam se aiebat flagitare, veniam ad illum vltro misit Gerardus; vt autem illum condicto conueniret sibi ad genua prouoluendum, & suo Catholici & Gerardi bono negarunt conducere:

Amor singularis Catholicorum, & Reuerentia in Gerardum. Horum præsidio euadit è Turri Londinensi. Londini nihilominus frequentatur, & pristina ministeria repetit. Denuo proditur. Sed proditionem, famulus eius fallit seque illum assimulans capitur, torquetur; fuga euadit, in Societatem admittitur.

CAPVT XV.

RESTITVTVS suo carceri Gerardus multos illic dies ad nouos hærebat se parans cruciatus, quorum metu & minis fuerat impugnatus. Verum, nec volebant consiliarij tacito in illis, sed ignominioso ad Tiburnum supplicio mori; nec sperabant quicquam vi vlla doloris extortum iri ex eo de Garneto, hæc illos, non iuris, aut pietatis cogitatio auertit à cruciatibus repetendis. Ille hac interim morarum ambiguitate bene vsus ad comparandum animum diuinis nutibus, solitudine illa in sacrum secessum; carcere in cellulam verso, Exercitia S. Ignatij mense integro iterauit, quibus Diuini Officij Ecclesiastici, & sacræ paginæ accessit lectio, quæ ab Caris amicis ex Clinckio carcere acceperat, nec quo-

tidiani cilicij, neque flagellorum vltroneæ deerant afflictationes, præter continuum anni totiusciunium, refectione in diem vna temperatum, euoluto Exercitiorum orbe legitimo, partes diei succisiuas, paruis ex malo aureo crucibus, & precatoriis globulis concinnandis ludebat, quæ deinde munuscula mitteret amicis veteribus Clinckij carceris, & per eos etiam aliis, obuoluta cartis, sed minimè vacuis tametsi candidis, succo enim inscriptæ malorum aureorum, quæ illi custos carceris emebat, quod cælauerant candore, ignis obiectu fuscatæ legendum referabant. Sic se arte mutua, cum iis Pater vicissim solabantur, erigebantque dandis quærendisque consiliis, ignaro literarum quas ferebat earum baiulo, eodemque Gerardi custode, cuius tamen fidei tribus post mensibus earum artificium credidit, qui cum erga Patrem, & afficeretur teneriter, & Catholicorum pecunia aliqua mulceretur, neglecto capitis quod vltro subibat discrimine non iam dissimulata, sed vsitata forma suscipiebat quotidie reddendas literas à Ioanne Lilio quem nuper vidimus Gerardo æditiuum & carceris socium, Catholicorum nunc largo sumptu extra carcerem liberum. Sed fidelibus eorum desideriis & amori parum satisfaciebant mutuæ literæ, nisi Gerardi etiam aspectu, vel præsentia fruerentur, eam ob rem secundum Tamesim deambulatione simulata operiebantur dum è feneſtella carceris spectanti genua flecterent, faustamque ab eo referrent adprecationem, quod quidam tam piè, quàm incautè, & crebro præstitit, vt obseruatus à scrutatoribus, Gerardi ob oculos mancipatus sit carceri, & lepidis casibus appulsus in Societatem, vitam denique pro Christo posuerit. Sed hoc alibi fusius. Matronis duabus matri & filiæ cessit commodius ingenium piæ curiositatis iis vitæ suæ periculum curator carceris nummis aliquod vendidit, spectandorum leonum specie qui erant in Turri, & inuisendæ illius vxoris, dissimulato cultu nobilium feminarum, deduxit illas in conspectum Patris, vbi ei ad pedum osculum aduolutæ, post piam eius adprecationem tacitæ abscesserunt, voce omni fletu & lachrymis penitus intercluſa Quæ vota, Gerardi, velut amantissimi omnium parentis vltimum salutandi, Catholicis omnibus erant communia, quod desperarent se illum deinceps in viuis, nisi ad furcas Tibornas visuros. Idque proximum factu significabant etiam consiliarij Regij, & denuntiauit Gerardo Garnetus à quo grati animi responsum accepit optatissimum nuncium, sed enim haud multo post tempore, cum esset fisci Aduocatus illum vltimo examinaturus, aliique cœtera præmissuri quæ solent ex formulis postremæ sententiæ præuerti, præter spem nihil tale cogitanti, offert se fuga occasio & fugæ modus quam suo ipsemet sic stylo descripsit.

Inter Turrim illam cuius suprema contignatione claudebatur, stabat alia ex aduerso sita, horto interiecto; hæc muro & fossis propinquior quæ castrum cingebant, Ardenum habebat incolam virum nobilem, Catholicæ fidei decennem iam reum, morti pridem addictum, sed neglectu, aut obliuione, suo velut sepulchro carceris dum absumeretur derelictum. Emerat is à suo eodemque Gerardi custode copiam, in tecti plumbei conscendendi

plana,

plana, spirandíque illic liberiorem auram, & cœlo vndique aperto, recreandi oculos & animum, vrbis & ruris circumspectu. Inde quotidie inambulans Patri mox vt comparuisset flectebat genua quærens sibi ab ipso benedici. Ac Pater quidem quotidie pariter suam sanctè fallebat pietatem, recitabátque Missæ formam veluti celebrans, & mente, siue, vt dicitur spiritualiter Christi corpore reficiebatur; sed Iulij vltimo anni 1597. die S. Ignatio solenni, sanctiori instinctus cogitatione, sperauit posse rem diuinam ex vero in Ardenij carcere fieri. Ad hoc duobus opus esse, humanitate custodis quæ ad manum erat; & ornatu sacro, qui etiam poterat solerti ludo præsto esse. Ardenij vxori bis quot hebdomadis licebat maritum adire, & vimineo canistro, recens linum, & alia priuatim necessaria deferre, pridemque custodes id habere suspectum desierant; fore igitur pronum vt supellectilem altaris totam, paulatim ad eum deferret. His mente versatis Gerardus, significauit Ardenio procul variis nutibus, & argutiis digitorum missurum se ad illum pia munuscula, sed cartam explicaret qua inuoluerentur, admouerétque illam igni, intellecturum se ex ea quid vellet. Ægrè quidem sed tandem & nutus, & succo velatum mali aurei characterem percepit nobilis, renunciauítque, & vltro & libenter, & nihil sibi æquè in votis esse. Custodis gratiam expugnauit nummus. Postridie natalis Deiparæ, Gerardum deducit in Ardenij carcerem, ambos intus sollicitè concludit, ratus aliud nihil pensi habere nisi vt familiari colloquio solitudinis leuarent molesta tædia. Iuit inde nox tota, in parando ritè ad rem diuinam animo & communionem Eucharistiæ sacrosanctæ, ab Ardenio annos decem totos frustra expetitam. Consecrauit simul duas, & viginti hostias Gerardus, quas secum referret, & consequentibus diebus ad corroborandum in mortem animum sumeret; hic dum piè inter se variis de rebus multo iam mane fabulantur aduertunt ab illa in qua erant turri, tam prope abesse tum fossam, tum à fossa murum, vt primo aspectu, non videretur fuga insuperabilis; deinde etiam si cui pectus non desit prona & facilis, in quod altius defixa cogitatione Ardenius (quem decennium carceris & desperatio libertatis vrgebant acrius) cœpit rem Patri demonstrare factu procliuem, & securam, ductoque de summa & modo, in longum sermone, inter eos conuenit, vt consuleretur à Patre Garnetus, quod is sensisset haberetur pro Dei placito: si remanendum patienter; si fugiendum strenuè curaretur. Respondit nec diu post Garnetus, si tuto posset, & vita incolumi fugiendum, & hanc esse item Catholicorum nobilium mentem, illius præsertim apud quem Gerardus fuerat hospes quadriennis, cui nihilominus pro suo in eum affectu ne fugam tentans aut rucret alicunde præceps, aut excubitorum vigilantia sisteretur visus est prius florenis mille custos eius tentandus & centum aliis in vitam annuis, si Gerardi mutato habitu dissimularet è Castello egressum; sed eo tam audax periculum vt maximè cuperet abhorrente, assensit demum fugæ cum aliis, fuitque illius primarius etiam Administer. Fugæ autem modus, intus per literas, foris per amicos condicto digestus, fuit qui sequitur.

Die mediam post noctem certo, adfuturi erant manuaria in scapha, prono Tamesi Ioannes Lillius, & Ricardus Fuluuodius memorati nuper in carcere Clinckio, eodemque in carcere Gerardi custos haud quidem Catholicus, sed eius amore, ac reuerentia mirè captus; eius scapha cum esset, illum scapham ex arte solita, & experientia ducturum; linum singulos ad pectus candidum apperturos vt internoscerent inuicem, rudentem in scapha gestaturos; appliciturus è regione turris qua tenebatur Ardenius, velut operam piscationi darent. Hunc, & Patrem Gerardum quem oportebat præsto esse, cateto plumbeo, filo pondus facturos quo deorsum proiecto, alligatum filo sursum ad se rudentis attollerent caput; dum extremo inferius rudente capitis ad truncum arboris fortiter adstricto, sic tenso quam posset vi maxima, cum fossam velut ponte iunxissent, commendarent se Deo, suisque brachiis, seque illum per funem deorsum lentè demitterent. Rebus ita consultis, expugnatoque iterum custode vt Gerardo noctem in Ardenij carcere iterum indulgeret; tres scripsit Gerardus epistolas, quas esset fugiens in turris tecto relicturus. Primam ad Custodem, ad Equitem Bartleyum alteram castelli Præfectum, tertiam ad Senatum. Priori fugam quam humanissimè excusabat, daturumque se operam ne qua posset pars eius illi attribui; Bartleyo omnem à custode suspicionem amouebat, vt qui mille tunc florenis, & centum deinceps perpetuis non potuisset expugnari. De vtroque scribebat ad Senatum, addebátque fugiendi causam extitisse non mortem ad quam iam stabat per Dei gratiam expeditus, sed mortis iniquæ falsissimas causas, & iniustissimas, quibus vita Garneti viri sancti, & fama, & innocentia, proditione sacrilega, calumniosa, & coacta petebatur, ad hæc naturæ vsum iure, innocentibus debito, se fuga seruasse vt animorum prodesset saluti, & ministerio Sacerdotibus proprio iis succurreret quod solis animi & futuræ vitæ negotiis continetur. Iis se vnis, animum ac vires, intactis cæteris intendisse, se nimis certo Senatui compertum ex diuturni carceris annis tribus, quibus vitæ suæ anteactæ rationes omnes subtili examine perpendissent. Præter has literas summa in turri exponendas; quartas miserat ad amicum, amantissimo custodi reddendas. Adest interea rei gerendæ articulus, eius euentum cœlitus fortunari certant Catholici, & largitate in pauperes, afflictatione sui, & orationibus à Deo illum impetrare; & ij quidem ex vrbis nobilitate primaria, in quibus fuit, qui hebdomadarium sibi dum viueret, voto indixit ieiunij diem, si recepisset Gerardum incolumem. Quo precum sanctarum tanto molimine quam necessario res illa egeret subinde patuit. Primum eius tentandæ aditum, inanem fecit è vicinia vir, tres illos in scapha, quos dixi, conspicatus, & alta voce cum iis locutus, ex quo illi putarunt cautius in omnem euentum, nocte illa nihil experiri, sed cum prono feruntur Tamesi, pleno maris redeuntis fluento impares abripiuntur in trabes, pontis interfertas parastatis, Deum & homines in opem, magnis clamoribus vocantes. Actum erat de illis, nisi grandis, & periculo par accurrisset nauis, & iactis è ponte funibus emersi constitissent.

ſtitiſſent. Amiſſis rudentibus, & ſcapha euasêre. Spectabant cum mari, & morte luctantes, audiebántque Ardenius è turri ſua, & Gerardus cum eo votis ardentibus ſalutem miſeris; ſed magno ſilentio poſcentes, ne quis ipſorum afflaret gemitus ſubiecto in horto excubantes. Defunctus hoc infortunio Gerardus ſuo ſe mœſtus carcere abdidit, omni aleæ denuo mittendæ poſita cogitatione. At trium illorum Gerardi magis quam ſui amantium fortia pectora, vitati donum periculi argumentum putarunt operæ Deo gratæ. Scribit die eodem Lillius ad Gerardum, benè omnia per Dei gratiam poſt naufragium habere. Rediret poſtridie, horaque eadem, & operirentur redituros. Extorta ſed ægrius & duplicata mercede venia Gerardus, cum Ardenio tertium pernoctandi, animaduertunt cimbam ſurdo remigio propinquantem, filum proiiciunt plumbo alligatum trahuntque ad ſe innexum rudentem quem firmis ad proſtans è turri tormentum bellicum, & multiplicibus adſtringunt & tendunt nodorum vinculis; vice verſa qui erant in cimba, trunco arboris ingenti colligant, & vehementiſſimè intendunt. Verum enim vero haud valuit vi tanta intendi quin tanto quod iunxerat ſpatio lentus flacceſceret & in arcum penderet, ſic vt per eum deſcenſurus non ſatis ſui pondere iuuaretur, ſed neruis opus eſſet ad ſuperandam illam rudentis curuaturam, & dexteritate ad æquilibrium tenendum in cannabina illa æquitatione, quod vtrumque metu æterni carceris, aut mortis non dubiæ, ruinæ metum dubium pellente, Ardenius feliciter exegit, foſſamque, & murum per aërem tranſmiſit. Gerardus lentato laxius quam foret antea rudenti ſe committens, accita in auxilium Dei matre, & duplicis illius carceris duobus incolis Southuuello, & Vvalpolo, aliquantulum confecit viæ, ſed neruorum defectu, mox in ſupinum euerſus pependit è cannabe, promouitque nihilominus vſque ad medium: hinc prorſus defectus viribus, & halitu, nec valens tranſuerſum digitum procedere, ſtatuebat ſe aquis præfocandum, cum ruinæ proximus in foſſam immineret. Collecto igitur quod ſupererat extincti ſpiritus, euaſit ad murum extremis pedibus tangendum; inde illum adrepens traxit Lillius in terram exanimum, & cardiaco liquore modicè recreatũ cimbæ impoſuit, poſt ſecto rudente de turri pendulo, in aduerſam ripam celeritate ſumma traiicitur, liberatis Deo infinitas agentibus gratias, liberatoribus bonum factum, & ſanctum feſto ſibi fletu plaudentibus. Rem vt retuli geſtam nocte poſt quartum Octobris proxima anni 1597. teſtantur datæ non multo poſt literæ quas præ oculis complures habeo. Breue ſpatium pedibus emenſi obuiam cernunt occurrere cum equorum pari, Ioannem Paruum quibus ſub auroram inſcentis eò volant vbi Garnetus habitabat, milliaribus à Londino paucis, quantis vero vtrimque lætitiis cogitetur meliùs quàm narretur.

Iam quarta Gerardi epiſtola, vix illuxerat poſt fugam dies, cum eius cuſtodi reddita eſt coramque perlecta. Docebat illum Pater fugæ cauſam vitaret ipſemet quantumuis innocens, futurum diſcrimen; rebus ſi quas haberet in turri componendas, expeditis, abſque mora ſe domum reciperet (quam illi deſignabat) illic ei tum equum, tum viæ ducem præſto fore, è

quo subduceretur in tutum saluus, vbi esset abundè ad victum inuenturus, flo renosque insuper quamdiu viueret, per annum ducentos. Gerardi fuga, & improuiso periculo sideratus custos, videbatur stupere, & congelascere, sed necessitate præcipitantis articuli, stuporem illico soluente, omissa Turri, & lare proprio equum statim conscendit, & à Ioanne Fuluuodio vno ex tribus cymbæ ductoribus, subtractus est in domum Catholici nobilis, milliaribus ab vrbe centum vbi annum egit percommode, quoad recepta Londino coniuge, in aliam migraret Prouinciam, in qua vitæ residuum præstatione promissæ pecuniæ honestè exegit, quodque omnibus præferendum sincerus ad mortem Catholicus. Custode Bartleyus, per multos in cassum perueſtigatores requisito, Gerardi literas in turris tecto expositas, tulit in Consilium Regium, à quo maiori admiratione quam strepitu, quod gestum fuerat exceptum. Vnus quin etiam è Senatoribus assidenti sibi nobili in aurem, fuga Domini Gerardi quam morte plus gaudeo, cui nisi fugeret cogebamur illum addicere. Vnus magno fragore tonabat & tumultuabatur Bartleyus ne putaretur, aut Reginæ infidus, vel fugæ particeps, aut saltem conscius, poscebatque ardenter à Senatu viros quoquo versum Catholicorum palatia, & ædes cum potestate scrutaturos. Risere Consiliarij postulatum, nam qui tantum amicis, mente, & pectore valuit ad rei tam nouæ, ac periculosæ felicem exitum; huic scilicet amici, equi, animus & industria defuerit, vt rem prosperè confectam in tuto collocaret, amoueretque se hinc in tractus peregrinos, vel ignotos. Gerardum porrò, mortis metu haudquaquam fuisse in fugam adactum, sed animarum studio, & amore, argumento sit, quod paucis post diebus Londinum rediit; ædes sibi conduxit; ministerij sancti labores repetiit, primùm cautè magis, quàm timidè, Catholicis intempesta nocte adeundis, docendis, iuuandisque dum illucesceret; paulatim liberiùs, eoque demum confidentiùs quo animaduertit, tantum se prope ab aduersariis sæpiùs, illorum semper è manibus Dei beneficio exisse quoad anno tandem æui nostri sexto coactus est deserere Angliam, laboriosis clarus victoriis, & animarum spoliis opulentus.

Duobus tandem Gerardi liberatoribus quid factum sit, vel eò dicendum, quòd eorum alter huc propriè spectet, Fuluuodius quidem Gerardum ad fugam compertus adiuuisse, ad furcas damnatus est. Proscriptum eius caput grandi pecunia, si quis repræsentasset virum, aut monstrasset latentem, impar vitæ venali tot inter emptores circumferendæ & seruandæ in Belgium traiecit, totumque se contulit in vtilitates Anglicæ missionis. Longè aliter Lillius; suo enim non ferens ab Garardo diuelli, dedit se illi perpetuo in seruum, conditione famulari, amore filij, fidelitate plusquam intima & fraterna, quæ morte propria vitam redimit alienam. Captarat Gerardus ad Exercitia S. Patris obeunda, simulque nobilibus adolescentibus tradenda, secessum domus Catholicæ, & illustris, cum ecce tibi, quinto vix ab inceptis die, flagitiosi serui perfidia proditus, videt repente Delegatos duos furtim domum subire; ipse ad omnia casu, tam subito imparatus, quod vnum poterat, vestem sibi talarem detrahit, seque suo vt licuit diligenter

genter cubiculo claudit. Ad hoc erat acceſſus per anterius conclaue quod ſacelli præbebat vſum, & ſacro altaris, & ſupellectilis diuinæ ornatu ſplendebat, dabatque Sacerdoris indubitatam coniecturam. Patris ergo ad fores pulſare dum pergunt ſatellites, iſque intus ſilens humeriſque obnixus impellentes ianuam moratur; matrona prudens quæ illis præibat, clauim ſi vellent qua illam reſerarent indicaturam ſe illis obtulit, iis eam ſequentibus, penetrat ſe raptim in cubiculum aliud Gerardus, ex quo erat in latibulum ignotus aditus; Lillium vrgebat ſecum pariter abſcondi; ſed huic ſuus erga Patrem amor, quantum animorum, tantum prudentiæ ſuggeſſit; nam ſi ſequor, quis, inquit, Domine? Quem prehendant, Sacerdos præter te? Domi enim Sacerdos quin lateat non poſſunt ambigere; partes tuas obibo, tu meas ſis obi, & pro me Deo enixè ſupplica; cum his Patre diligenter clauſo, in cubiculum redit ex quo Garardus effugerat, adſunt claui nuſquam reperta ſatellites, id enim ſolum quærebat matrona vt ab eius cubiculi foribus illos amoueret, quibus illi denuo pulſatis, vim parant ad eas emouendas. Prodit Ioannes magna grauitate, vultuque compoſito: interrogatus quis eſſet, geſtiit ſcilicet, aduertens Gerardum non eſſe illis de facie notum; ſeriùs tamen & ſeuero ſimilis, ſum, inquit, ille ipſe quem cernitis. Sacerdoſne, inquiunt? Veſtrum eſt reſpondet videre ſi ſim, num ſim dicere, nihil ad me. Proſtabāt in menſa ſcripta quædam, coniectis obiter in ea oculis, aduertunt ad concionandum, & meditandum ea pertinere; hinc & talari è tunica quam à ſe Gerardus abiecerat; certo conficiunt Gerardum hunc eſſe quem petebant, prehenſumque de Reginæ mandato carceri deſtinant domus vero Dominus binis cum famulis, dum tenetur, addiciturque fiſco res eius omnis, ſcripta in faſciculum colliguntur, ſacellum ne quis eò ſubiret obſignatur & nobiles matronæ complures in aula inferiori ſe continent, quoad reliquam domum perueſtigaſſent Delegati. Lillius in eam inducitur; illæ còram aperto capite, & in pedes ſtare, tunc vero is graui ſchemate, auctoritatiſque velut debitæ ſpecie introgreſſus, cum eas ſalutaſſet, nulla earum ducta ratione, nihilque hæſitans, ſuo quaſi iure caput operuit, ex quo illæ perſona quam aſſimularet catè animaduerſa, reuerenter illum ſalutarunt, mirè apud ſe ſerui fidem & induſtriam laudantes, quædam etiam flentes præ gaudio quæ magis dolere videbantur. Abeuntibus Delegatis cum præda captorum quatuor, ad Gerardi latebras curritur, Deo laudes & gratiæ dicuntur; celebratur apud illum fides, & ſolertia Lillij. Cuius poſtridie citata in Senatu cauſa, paucis interrogatis deprehenditur laïcus non Sacerdos; Lillius non Gerardus; Pharmacopæus olim per annos ſeptem Londinenſis, per alios quatuor pro fide Catholica Clinckij carceris incola. Quibus efferati pudore iraque Senatores, Delegatos remittunt, integraturos cum furore accurationem rimandi omnia; ſed ſero tametſi præcipites, Gerardus cum ſole iter inierat; eratque multis iam milliaribus ab vrbe inter ſuburbana Catholicorum illuſtrium vbi Lillij vita feruidis precibus commendabatur diuinæ bonitati, acceſſerat enim ad ea quibus premebatur; vxor eius qui cuſtos olim Ge-

rardi fuerat, hæc interrogata de Gerardi fuga, eius administrum fecerat Lillium, fallusque ingenuè ipsemet fuerat Popamo iudici, nec de illa fuga quicquam eius custodi posse attribui, curatorem se illius fuisse, & auspicem, vni sibi & facti meritum, & eius gloriam deberi, tantique hoc sibi videri apud Deum, vt eius recordatione reficeretur magnoperè, essetque alias, si ferret occasio, propenso animo idem tentaturus, quo mortis & vitæ contemptu magnanimo pars illi non parua decessit tormentorum quæ illi parabantur. Nam percontantibus vbi esset Gerardus nescio, inquit, sed neque si scirem, dicerem, cum Christiana charitate id veter dicere, & hominem eius sanctitatis & innocentiæ, quam septennio integro nauatæ illi seruitutis in eo probaui dare vobis excarnificandum, & reorum infamium necandum suppliciis? ante mihi lingua in tabum effluat, quàm in os, vel mentem id nefas admittam. Cruciatus est ad columnam quam dixi non plus horis tribus, quod duritiem hominis viderent in sua constantia obfirmatam nihil ab se passuram exprimi Gerardo aduersum; priusque facile, vel comminutis ossibus frangendum & occidendum quam à proposito flectendum. Ærumnosa ergo custodia conditus, pares loco miserias quadrimestri toto, inuicta patientia exhausit. Post in carcerem transcriptus quo capitalium conuicti tenebantur, illic offendit Sacerdotem, expectatione supplicij vehementissimè anxium; à quo per quicquid est rogatus, vt si qua valeret, excogitaret modum, quo se restitueret libertati, quem is tam felicem, & propitium inuenit, vt se cum illo pariter, ex morte, & carcere in libertatem assereret, quantis vero id Gerardi lætitiis, cum eos præter spem, præterque cogitationem, vidit coram adstare improuisos, difficile dictu sit. Potissimum vero cum Lillium audiit, nouam sibi deferre profiterique seruitutem, nec exhantlatis pro illo periculis, & morte terreri. At enim tum demum sua dignus mercede, ac præmio erat operarius, tam frugi, nec triumphatis denuo committendus periculis. Optarat is pridem adscribi nobis in Societatem, nec deerant merita, nec testis meritorum Gerardus, qui norat hominem, vbique locorum, occasionum, temporis, & conditionum promiscuè ac perpetuo agentem, eius tamen esse innocentiæ tenacem, vt confessionem audienti, non posset, absoluendi materiam sat certam suggerere. Igitur ad Garnetum missus nostris in Anglia Præfectum; inde ad Personium, Romæ adscriptus est inter domesticos adiutores, & septennio post lenta correptus febricula, iustoque seriùs in cœlum patrium remissus, paulatim contabuit, sanctèque animam efflauit.

Mors

Mors Guillelmi Cæcilij Ecclesiæ Anglicanæ hostis acerrimi. Tumultus Seminarij Anglorum Romæ, pro Patribus Angli Catholici constanter se gerunt. Causa iuridice tractatur, & Refractarij damnantur. Archipresbyterum Anglicano Clero præficit Pontifex. De libris, vita, fluctuatione, & obitu Guillelmi Vvatsoni.

CAPVT XVI.

EVAVIT hic annus 1598. Catholicam Angliam funesto pondere, & immani, quod illi per annos quadraginta incubuerat premens, & opprimens. Guillelmus Cæcilius, Burgleyensis Comes, ærarij Regij Præfectus hoc anno moriens eam liberauit; homo ad nutus Elizabethæ omnes sic natus & fictus, vt suus illum Camdenus tradat fuisse omnium in Regno potentem, habuisse plenam regni administrandi potestatem in manibus fidenter ab ea repositam. Quamuis ipse suarum consultissimus rationum summæ illius gubernationis & potentiæ quam exercebat reipsa, inuidiam, modeste verbis à se auerteret. Fuit semper, dum vixit eorum vox eadem, & constans qui ex Anglia scribebant, tot ac tam atrocia decreta, quæ publicis, subinde suffragiis firmanda in Catholicorum perniciem, direptionem, & neces prodibant, fuisse illius dictata. Eius inuentum fuit Sacerdotum in Angliam aduentum, Iesuitarum potissimum, repræsentare populis mendacissima specie; vt persuasum haberent iuuandorum studium animorum, ad coniurationem & res nouas spectare; conuersionem hæreticorum in auitos ritus; ad rebellionem aduersus Reginam; discessionis schismaticæ ad caput legitimum reuocationem, conscriptionem esse stipendarij exercitus militaturi Ro. Pontifici proin necem illis, proditorum, & rebellium supplicio illatam, nec ministris, aut ipsi Reginæ crudelitati datum iri; nec Religioni ab iis vexatæ, quod Religionis causa omnis, à Cæcilio esset in proditionum, & perduellionum transcripta titulos. Nunc ergo tandem sanguinis tanti reus tot Christi Sacerdotum; desertionis tantæ reus in quam tot millia ciuium secum egit (auctor enim, Reginæ fuerat præcipitandæ in rebellionem aduersus Ro. Ecclesiam Angliæ) nunc, inquam, ad metam currum fregit ætatisque anno vnde octuagesimo & vltimo, vtinam ne primo mortis

sempiternæ, quam ex propriis Camdeni legibus taceri oportuit, etsi non desint quæ credibilem faciant, sed me nihil attinet de iis fusiùs scribere. Haud tamen cum illo extinctum odium Catholici nominis, eiusque vexandi potestas impia, & crudelis, vtriusque hæredem reliquit filium Robertum Cæcilium, dignum tali magistro, & patre discipulum, quem sibi iam Elizabetha in Patris gratiam, ab secretis scribam inaugurauerat, paulo vero post in cancellarium Lancastrensem, reluctante grauibus inimicitiis Comite Essexensi, quibus tandem eò redactus est infelix, vt caput sub ferro carnificis Londini poneret.

Verum enim vero, si vnos habuisset fides Catholica hostes hæreticos, non foret admodum eius dolenda conditio; iacturas illius pensabant lucra glorioſa, immenso fœnore; vitæ factis ingentibus, & heroïcis illustres mortes; pectoris generosi excelsitate insuperabili venerandas, quibus ex duabus ventura sæcula; si rectè auguror admirationem ducent, & exemplum. Damni maioris, & frugis nullius extitêre, (vnde vnde oxortæ) Sacerdotum inter se æmulationes, puerperia factionum, & partium, proinde à Protestantibus quibus vsui magno erant, omni studio promotæ, Catholicorum enim contentionibus, augebantur victoriis Protestantes.

Eam ob rem Brancrofio Episcopo Londinensi negotium dedit consilium Regium, vt ardenti iam igni ligna suggereret, easque maximè animaret; & iuuaret partes quæ in Reginam ibant propensius. Earum memoriam æternauêre scriptores hæretici, & quidem tragicè, vtinam & falsò; nisi quod culpam fortassis paucorum in omnes contulêre, quos sui legitima, & necessaria Religionis defensio præstabat non modo innocentes, sed & merito laudandos. Missis quæ fortè partes alterutras pungerent cœtera memoro. Nam quos penes fuerat culpa, non obscuro Deus à reliquis discreuit indicio, quorum essent profecto pandenda fusius consilia improba, & mens læua, vt ex iis posteri discerent perfectæ partes concordiæ, sedis Apostolicæ, Deique ipsius constanter retinere. Verum Seminarij Anglorum Romæ quos pridem innueram tumultus à Personio sedatos, recentioribus his Angliæ calamitatibus, cum occasionem dederint non paruam; eò enarrandos huc distuli.

Die Octobris sexto & decimo anni 1594. vita excesserat Guillelmus Alanus Cardinalis, huius loco poscebant Odoënum sui sectarij (quem deinde culpauit apud Pontificem Inspector Cardinalis, quod dum sua per suos ardenter magis quàm rectà & sincerè vrgeret, multorum fuisset malorum occasio) hunc inquam, poscebant, nationis suæ fieri Cardinalem. Interea vero in futuri pignus prærogatiuis Alani gaudere, quibus suo delectu, remittendos in Angliam Sacerdotes pensitationibus iuuabat annuis à fisco Apostolicæ Cameræ attributis. Et fuit qui iuuenes Seminarij Anglicani eò egit, vt hoc à summo Pontifice, nationis totius nomine libello supplici peterent; quod ij vt facerent quàm facilè tàm inconsultè concessum est ab Hieronymo Florauantio tunc eorum Rectore, Anglicarum rerum inexperto, & clandestini ignaro consilij quod libellus supplex proba

proba ſpecie occultabat. Indignati repulſa iuuenes, & iniqua ſpe caſſi, propenſis ſtudiis factionis antiquæ dictata complexi ſunt, turbulentorum acceſſu in dies auctioris In eum omnes intenti ſcopum erant, vt ſuum attollerent Odoënum, Alanum deprimerent; de Societate quererentur; inuiſum ſibi Perſonij fuſcarent, & abiicerent nomen, quem fama erat, contra quam optabant, fore proximè Cardinalem. Seminarium itaque ab iis tam lethali, eſt ſciſſum, pertinacique plaga; tot quotidie triennio integro motibus, & diſſidiis laceratum, vt inde nec arte, nec vi vlla ſanari valeret; nam quæ agitabant exterius, flocci erant ad illa quæ foris in Anglia, Belgio Gallia cum ſuis tacitè mouebant factioſis, quorum improbas, & ſurdas machinationes in rem ſuam, ſuoſque ambitus vertebant. Ex quo illud olim tanto paratum ſudore & ſanguine Anglicani Romæ Collegij auguſtum nomen, cœpit obſcurari, ac longè aliter quam Seminarium Martyrum appellari. Cuius mali tantus ſapientes Anglos, tota ſparſos Europa cum pudore non leui afflixit dolor, vt de iis ad Clementem octauum dederit litteras, Inglefildius Eques aurei calcaris, Mariæ olim Conſiliarius, vir cordatiſſimus, & ſingularium in rem Catholicam meritorum. Reddo hic eius epiſtolam quod ea perſpicuè ſeditionis huius ortum, & cauſam explicet.

[In hac mea, inquit, ſenectute, & his ferè annis quadraginta, quos extra patriam, bonis ſpoliatus, & pro fide Catholica & Romana ſede voluntarius exul traho, nihil mihi acerbius, & lachrymabilius accidit, noſtri Romæ Seminarij tumultu, haud planè alterius quam dæmonis artibus excitato. Nam ſi vbi pax, illic Deus; vbi diſcordia quis præter dæmonem? Retractans enim ab ſua origine flammæ huius ortum, certò comperio, hæreticorum in Anglia cæcis artibus accenſam, miniſterium ad hoc ſuum dæmoni ſuppeditantibus. Quod veſtræ fortaſſis ſanctitati, vt prima ſpecie minus credibile videatur; ego annos iam ſexaginta, illorum expertus & fraudes priuatas, & publicas; & domi & extra Angliam, certò poſſum ſanctitati veſtræ confirmare, illos perpetuo in hoc incumbere vt per idoneos homines clam ſua conſilia in aula Romana promoueant, etſi capitalibus odiis illam proſequantur; id vero tam diſſimulanter, & callidè vt illos ipſos fallant quorum ingeniis ad ſua deſideria vtuntur, nec hi fraudem aduertant, niſi poſtquam damno illius icti ſunt. Explorata res eſt beatiſſimè Pater! hæreticos, maximè vero Senatum Angliæ, ex quo probarunt quantum boni Seminaria in Angliam inuehant, quantum errori hæretico deceſſum; æquè nihil egiſſe, quam vt funeſtam diſcordiæ facem, inter Seminarij alumnos & Sacerdotes iniicerent, qui à Patribus Societatis Iesv educantur, æmulatione vſos pro fomite, quo facem illam ventilarent. Ad hoc ipſum (vt facilè comperi) multis iam ab annis, peſtilentem quorumdam ex Belgio, & aliunde ſeditioſorum adhibent operam, qui licet ſe Catholicos venditent; ſed in omnes arrecti occaſionum articulos, omnia odorantur, omnia colligunt quæ poſſunt Societatis Patres quorum eſt præcipuus in Anglia labor, & ſummè fructuoſus, Anglis exoſos face-

re, vel suspectos. Maligni huiusce hominum fermenti, huc etiam nonnihil transiit, qui nacti aliquos eiusdem secum ingenij, vel ambitu, vel inuidia occupatos, suum hoc per illos Seminarij alumnis credulis & incautis; nimirum iuuenibus, instillauêre virus quo nunc insaniunt.] Ex quibus conficiebat vir illustrissimus, pellendos omnino seminario Anglicano turbulentos, & dandam operam ne semel eiecti, aut eorum sequaces cum residuis, & modestis miscerent colloquia, vt qui ore pestilentiam circumferrent, & mortem proflarent.

Post hanc viri magni, ad Papam Epistolam, nemini opinor difficile creditu euadet, quod sibi alioqui persuasisset nemo, ausos iuuenes illos postulare, vt sui Romæ Seminarij administratio quibusvis crederetur, dum ne Iesuitis; vt quicumque forent in Anglia Societatis Sacerdotes, & edictione Pontificis seuera iuberentur regno facessere; vt Apostolicæ potestatis claui, regni eius portæ iis æternum clauderentur. His enim legibus Catholicos omnes, nedum Sacerdotes, pacificè illic, & liberè acturos, nihil fore ab aduersariis grauius ferendum; versum iri Angliam in deliciarum Paradisum. Mera hæc Reginæ ac Senatorum eius vota (conscij necne) sonabant iuuenes. Quodque illa cum suis desperabat vi vlla se posse in Anglia consequi, hoc se dolo, & arte, Romæ putabat adepturam; eam rem cum magnis, & validioribus muro aheneo rationibus niti oporteret, & tam enormia postulata, commenti sunt illas etiam maximis summéque vrgentibus, & necessariis maiores, & validiores. Sacerdotes nimirum in Anglia Iesuitarum comparatione perinde esse, vt si ne essent quidem; non quod idoneis carerent dotibus, sed quod in illos imperiosam quandam Iesuitæ auctoritatem sibi arrogarent; illos opprimerent; iniquis oculis intuerentur appellentes; quicquid foret ab iis susceptum, transuersi eliderent; quicquid eorum spectaret famam deprimerent, vt cum essent à nobis in nihilum redacti, soli nos vacua in aula regnaremus. Horum tale nihil vnquam ad aures Pontificum venerat, videbatúrque vero valdè absimile trecentos minimum latè per Angliam sparsos Sacerdotes, nihil vnquam eiusmodi indignatos at questos; ac ne verbo quidem, aut scripto locutos; è contrario alumnos Seminarij Anglicani, assumpta per sese Anglicanæ Ecclesiæ persona, vltro eius causam suscipere nullius mandantis delegatione, aut expostulantium querela. Quare introspiciens Pontifex quod res erat, sapienti consilio statuit malo simul præsenti remedium facere, simul ire periculis obuiam, quibus pronum erat sollicitatum iri iuuenes ad desertionem, si suarum contemptum accusationum, sui contemptum interpretarentur; & proritari se repulsa duplici. Daretur itaque partibus dicendi locus, exigeretur vtrinque causa, rationum momentis, & pondere; elucidata rerum veritate, alieno deceptos, & turbatos dolo, ad mentem redituros, pertinaces in suo errore, & libidine turbandi, sanationisque desperatæ, resciffum iri à conuictu, & consuetudine aliorum. Commodum tunc Romæ vrbis Ecclesias inspiciebat ex officio Philippus Sega Cardinalis, & Placentinus Episcopus quem vitæ quidem integritas, & sublime, sagaxque

sagaxque iudicium mirificè commendabant; sed rerum maximè experientia, plus annis triginta ex sedis Apostolicæ obsequiis parta, & in Belgio, Lusitania, Hispania, Gallia, & apud Imperatorem exercita. Hunc delegauit Pontifex, Anglicani Romæ Collegij inspectorem, iussitque nihil omittere cognitionis exquisitæ, quod sibi videretur ad causam iure summo, & liquido absoluendam. Hoc ille haud segniter supremis quinque vitæ suæ mensibus præstitit anno 1596. fassus nihilominus de omni boni Iudicis paratu, nihil maiori sibi fuisse vsui quàm patientiam, audiendis scilicet placidè iratis adolescentibus in quibus apertè, incautis licet nec sentientibus, perturbatio animi loquebatur; iisdemque erigendis, vt scripto, & voce pectus effunderent. Ipse contra nihil prætermittebat, quæcumque obiecissent, licet ex dictorum pugnantia manifestè falsis, Patrum opponere responsa, & depulsiones. Quibus demum confectis, summam causæ perfectæ Pontifici obtulit, qua, si foret typis in lucem edita, nihil aut antea fuerat, aut erat postea futurum Societati nostræ illustrius, solidius nihil, & glorioſius in eius commendationem. Quod alias quoque in similibus contigit, vt in præcipitatis Seminarij Rom. iuuenum motibus componendis delegati non semel viri sapientes, post subtilissimæ cognitionis examina nihil (quæ Deo sit laus) referre potuerint, nisi quod esset Societati nostræ tâm lætum & honorificum, quàm alia omnia expetentibus, & præstolantibus triste ac molestum.

Vulgatis inde per Europam Romani Anglorum Collegij turbis, potissimum vero examine, iudicioque libelli supplicis, quo postulauerant iuuenes, nostros omnes ex Anglia à Pontifice reuocari, tantum vna doloris, & verecundiæ per omnem Italiam, Hispaniam, Belgium ipsamque Angliam Anglos afflixit Catholicos vt crebræ vndique ad Clementem VIII. Cardinalem Caietanum Angliæ Patronum, ipsosque iuuenes pluerent literæ querimoniis refertæ, quibus nostram longè acerbiùs ferre causam quam suam videbantur. Et si quid illi Ecclesiæ omnem vndeuis opem promeritæ impenderamus sudorum, & sanguinis; rependeretur id nobis significatione amoris & grati animi adeo copiosa, & illustri expressa charactere, vt molitiones quæuis paucorum contra nos haberi à nobis pro leuibus deberent. Sed mirè ad rem nostram, & principem causæ articulum venerunt tot literæ quibus velut totidem spontaneis testibus, conuincebatur eorum falsitas quorum nos iuuenes turbulenti insimulauerant; longinquitate opinor stolidè confisi, qua putabant suas accusationes tam procul abfuturas, ab elucidando quod inuoluebant mendacio, quam procul ab Anglia distabat Roma. Nec enim ipsa solum ex Anglia, sed multis & variis Europæ locis, paratos se Angli scribebant, longè alterius numeri, auctoritatis alterius, fidei, gradus, & ponderis ad confutandas iuuenum perfidorum fraudes. Scripsit ad tutorem Anglorum Cardinalem, clarum illud Religionis & Theologiæ lumen Stapletonus, diuinorum Louanij Magister, cum Doctoribus & Sacerdotibus vno, & viginti; laïcis supra octoginta cunctis nobilitate conspicuis, fide in Deum pro qua exulabant illustribus: scripsit Duaco Ricar-

dus Barretus, cum Seminarij illius cui præerat grauissimis quibúsque Doctoribus, qui pernicioſa Romanorum Anglorum poſtulata, puerilem vocant, & offenſionis impudentis audaciam. Quin & è Belgio ſcripſit P. D. Robertus Dalbiſcirus Carthuſiæ Prior, eiuſque cœnobij Patres præcipui. Poſtremo antiſtita monialium B. Vrſulæ (erant hæ quoque Louanij pro Chriſto exules ex flore nobilitatis primariæ, nec ſilendus ille duplici titulo maximè illuſtris Stanleyus copiarum Præfectus, bonorum videlicet pretioſa pro Chriſto iactura; & partis in Belgio per ſuos Anglos victoriis. Affirmabat ille militari ſuo, & libero ſtylo non poſſe Reginam aduerſus Catholicos educere militem formidandum magis quam forent Romæ, Seminarij Anglorum iuuenes turbulenti. Si quidem minimè dubium, habere illic Reginam aliquem emiſſarium latentem, qui iuuenes per ſe ſat irritabiles, obiectis ſubinde diſcordiæ pabulis acrius inflammaret. Nec abſimilia, iis inculcat Sacerdos & Doctor Thomas ſtilintonus; nam ſi quicquid vſquam hæreticorum eſt, ſi omnes, inquit, in conſilium coirent tum noſtri tum veſtri aduerſarij capitales, ad euertendum hoc veſtrum Collegium; cauſamque Religionis Catholicæ, voſque adeo ipſos, quid poſſent præſentius, quid efficacius ad hoc comminiſci, quam quod vltro per vos, & ſponte ſatagitis, vt ab Socieratis Patribus diſcedatis? Mitto Feriæ Ducem, quam Religionis amor, & patriæ Angliæ impulit, vt argumenti eiuſdem ad Clementem VIII. literas daret grauiſſimas. Mitto alios complures, diuerſi gradus, & conditionis, ſed eiuſdem omnes ſententiæ. Superſunt qui ex Anglia ſcripsêre, quanquam vna non omnes de cauſa. Trium mihi delectus abundè fuerit qui poſſint quàm minimo faſtidio perlegi. Primus Ioannes Bellus Sacerdos, & ipſe inter Seminarij alumnos olim turbulentus, & in turbatorum inquieta conſilia procliuis. Acceptis enim quæ machinabantur, ſic eos Londino alloquitur vtinam fratres ac ſodales mei, poſſem longè à vobis diſſitus, eoſdem quos nunc gero, notiſque iiſdem ſenſus altè vobis imprimere. Senſi enim vobiſcum fateor aliquando, iuuentutem noſtram à Patribus Societatis regi aſperiùs quàm ferri à nobis deberet; Seminarij Rom. ſeueriorem eſſe diſciplinam; illos aut forte imperio, aut eius ambitu gaudere; ſed Roma profectus, poſtquam in res præſentes huc veni, eaſque oculis iam non fuco præſtrictis inſpexi, riſi ſcilicet meipſum, meaſque illas quibus offendebar, & conturbabar ineptias, & liquido comperi, quam periculosè imaginoſis opinionibus, contra Dei ſeruos, & noſtræ ſalutis adiutores, ingratiſſima ſtudia verteremus. Cuius deinde, ne quid diſſimulem, cum noſtros viderem Sacerdotes quamuis de Patribus peſſimè meritos, ab iis tamen inuicta charitate, & conſtanti beneficentia iuuari, tantus me cepit mei pudor, & facti pœnitudo, vt nihil ſuccurrerit quo valerem ſatisfactionem Deo, & hominibus condignam offerre, niſi me integrè Societati mancipando in religioſum, quod fixum mihi eſt Deo propitio præſtare.] Pergitque narrare Ricardo Baoræſio illic Sacerdoti, Romæ item alias ægrè tractabili, & valde Patribus moleſto, precarique ſuo & eius nomine vt turbidos illos, & indociles ſpiritus ponerent, nec de ſe hilarem hæreticis fabulam, dolorem Catholicis, & Religioni detrimentum darent.

Alter Ludouicus Hugheſius Sacerdos Anglus, & Cornubienſis, qui Roma Londinum cùm tranſiſſet, iiſdem quibus alij oculis, & ſuſpicionum nebulis faſcinatus, vbi ex vero vt ſe res haberent comprehendit, vnaque audiit, turbare tunc etiam, & mouere alumnos Seminarij Anglicani, cum periculosè decumberet dictauit literas, ad Cardinalem Caïetanum Angliæ tutelarem, quas & ſuo muniuit chirographo; aiens, Societatis Patres in Anglia inueni deuotos, ſanctos, charitatis plenos, feruoris & zeli, quique ſingularibus virtutum dotibus, & viuendi exemplis magnam habent apud omnes probos & fideles venerationem, & famæ pretium. Nec verum eſt illos Sacerdotibus è clero ſeculari, imperitare tumidius, multo minus illos opprimere, vt falſo obtrectant calumniatores; quin è contrario illis fauent, appulſos excipiunt; pecunia & hoſpitio iuuant. Idque ipſe tum per me probaui, tum multi ante me; ſed maxime quatuor ſunt experti qui mecum venerant, quantumuis de Patribus Romanis non bene omnes, vtque par fuerat meriti. Sacerdotes vero è clero ſeculari cum Patribus de Societate, magna inter ſe fiducia & conſenſione in rebus omnibus verſantur. Hoc ego ex certis mihique perſpectis teſtificor, & hæc à me dictata confirmat epiſtola, quamuis mea ſolum ſubſcripta manu, febri ne illam ipſemet ſcriberem vetante. Georgius denique Blackuuellus, (quem tanti fecit Roma, vt eum Archipresbyterum, totius Angliæ præficeret clero,) annos ſupra viginti illic commoratus, noſtrique illuc & teſtis aduentus, & per annos ſedecim ſpectator, de iis ſcribens ad Cardinalem Caïetanum quæ tunc agitabantur Romæ, à dolore orditur inuſtæ Anglicano clero iniuriæ quem falſo calumniæ tumultuantium traducebant tanquam à Societatis Patribus diſcordem. In quo, ait, ſi nuda quorumuis accuſatio reum facit, quis ſe præſtiterit innocentem? vulgant nos temere Angliæ Sacerdotes malè inter nos conuenire, à Patribus vero Societatis diffidere, vtque ſit latior mendaciis campus Patres illos queruntur hoc vnum agere, vt ſuam in clero dignitatem, dominatumque promoueant, clerumque ſibi ſubdant, accuſatio profecto quàm grauis, tam falſa penitus; & quam mea hæc vt confido teſtificatio, mutam efficiet. Anni ſunt Deo laus, viginti & vltra quibus in hac Angliæ vinea noſtrorum culturæ incumbo, & rei Catholicæ, ac Romanæ, tam longo tamen annorum decurſu nihil memini quod diſſenſus vllius ſimultate inuicem moleſtũ fuerit. Omnes fateor ſumus tum homines, tum *infirmitate circundati*: verum quæ Dei eſt gratia, tam diuturnis, & calamitoſis temporibus, geſſit hanc Dei noſtri curam, nihil vt inciderit, quod ſciam quo pax inter nos turbaretur, aut mutui amoris interciperetur, conſenſio. Iam illa pars altera inuidioſæ accuſationis, qua R. P. Societatis Iesv grauantur iniurioſius, ita eſt manifeſtè falſa vt per ſeſe, ac in ſe concidat; à cupiditate dominandi tantum abſunt, vt de ſe vbique illuſtria humilitatis Chriſtianæ, manſuetudinis, charitatis, & pietatis argumenta edant; & futuri ſimus maximè ingrati, niſi eos colamus tamquam patres, tanquam amicos complectamur; agnoſcamus vt beneficos; imitemur vt magiſtros, & proſequamur affectu ſingulari, velut præcipuos regni huius opitulato-

res, & propugnatores salutis illius, tot inter procellas miserè æstuantis. De iis qui aliter loquitur, nec illos, nec seipse sat nouit, nostros enim vndeuis Sacerdotes in patriam reduces, quis oro colligit, vestitu idoneo, victu, pecunia, equis, viatico, iuuat subducitque in tutum apud sibi addictos, & prudenter sagaces Catholicos? Apud quos lapsorum casibus erigendis aliorum firmanda constantia, & diuino cultu propagando strenuè adlaborant. Plus vltra quoque se porrigit illorum charitas. Nos enim qui *pondus diei & æstus*, tot iam hic ab annis portamus, fatemur ingenuè, illorum è fontibus hausisse nos vtilitates summas. Sciret vtinam D. V. illustrissima quantos faciant de suo sumptus, (nam quod aliunde stipis nomine iis erogatur, pars horum est minima), sumptus, inquam, de suo in hoc ministerium profundant, refouendis in carcere Christi confessorum ærumnis & pœnis; oppressorum laxandis angustiis; omnium denique leuandis calamitatibus; foret profecto D. V. illustriss. plus satis vt cogeret inuidiosæ Patrum & insontis famæ obtrectatores malignos, & inuidos ad resorbendam audaciam, quam in eos vomunt.] Sic ille, cuius & placet magnoperè, & libenter itero pium votum; vtinam in foro, nostrarum causarum, legitimis cognitionibus, partibusque pro se coram pugnantibus, exprimeretur veritas rerum pura, & liquida, vt in hac causa præstitum est, nec admitterentur accusatores iidem qui & testes, & eorum ex testimonio torqueretur in partem sententia suæ adhuc interdum ignaram accusationis. Hinc forte fieret, vt longinquiores etiam Anglia cœteræ nationes, veritatis cuiusdam fierent conscíæ, cuius agnitio veri amantibus, & foret cognitu periucunda, & vsu maximè oportuna.

Menses demum post paucos absoluta causa, eiusque actis Iuridicis Clementi VIII. exhibitis, excessit è viuis Cardinalis sega. Nihilo seciùs sententia iudicum in opus confertur, mouentur Collegio capita factionis, turbulentorum primipili, quos nulla ratio non dico valuit restituere rationi, sed egit etiam in ambitum gloriæ inanis, ex impugnatione rationis. Sed prius vltimos experturi linguarum mendacium conatus, causæ suæ narrando, tantam affinxere honesti speciem, vt eius Toletum Cardinalem & Germaniæ assistentem Tirium, natione Scotum Patronos inuenirent; mente vtrumque proba, sed parum consulta. Nam & Tirium sua simplicitas, credulitati nimiæ; & Toletum negotiorum moles, errori præbebant obnoxios in causa potissimum, tanto apparatu, maturitate, & integritate tamdiu iuridicè disputata, tantisque probationum firmamentis damnata. Toletus nihilominus partem iure cassam suscepit in patrocinium, & pro ea qua nihil non poterat apud Papam auctoritate, res Seminarij eum in statum restituit, quo excogitari non posset deterior; verum enim vero, hoc item haud diu post Segam mortuo, paruaque interiecta mora, etiam Tirio; tandem Personius ex Hispania, redux suauiter iuxta, & efficaciter, Seminario primam pacem, & tranquillitatem restituit, eiectis tamen exulceratos secum animos inde portantibus, & exerentibus linguas maledicas vbicumque aures nacti essent.

Is

In Anglia certè prodigaliter fabulabantur de rebus Romanis, eoque licentiùs quo erant probatu difficiliora quæ lubebat illis in cauſæ ſuæ ſuffragium mentiri. Fuit in iis, vt reliqua taceam, lepidum, & atrox eorum acroama; Odoënum ſcilicet, Toletum, & Tirium quod ſtarent ab ſuis partibus fuiſſe à nobis de medio ſublatos, nec aduertebant ſtolidi hac ſua tam atroci calumnia locum ſe calumniæ mutuæ probabiliorem, deridiculè præbere; Segam videlicet idcirco ab ipſis ſublatum de medio quod eos iuridicè conuictos damnaſſet, & ſententia ſolenni Seminario expuliſſet, tanquam manifeſtos illius corruptores. Nempe animus perturbatus, cæco impetu dum currit, illic ceſpitat, & ruit, vbi ſe putat firmius conſtitiſſe.

Hoc rerum ſtatu tam mobili contigit aliquos è clero Anglicano quandam inter ſe, conſulto nemine, quaſi Societatem colligere, cuius Septentrioni pars altera; ad meridiem altera præeſſet. Vtrobique tribunal ſtatuere, officia munerum variorum digerere, modumque gubernationis auctoritate priuata decernere, poteſtate ſolum penes Congregationem illam reſide, alios in eam adlegendi. Quibus Pontifex acceptis, & ritè cognitis, malis inde oriri procliuibus iturus obuiam, matura, & certa indagatione conditiones item & merita didicit Anglorum Sacerdotum, inter quos ille quem ante memini Blackuuellus, cum ſcientia, probitate, pietatis ardore, vſuque experientiæ diuturno, conſenſu omnium, omnibus emineret, omnibus quoque eſt antepoſitus, & Eccleſiæ Anglicanæ à ſummo Pontifice Archipresbyter conſtitutus. Sex illi de Sacerdotibus Angliæ additi Aſſeſſores, totidem ipſe priuato delectu alios adiunxit. Horum tredecim tribunal iura illi Eccleſiæ dicturum, quod Papæ nomine ſcripſit patronus Angliæ Cardinalis. Quibus ſapientiſſimè decretis, & ſuperſeſſum eſt tranſmittendo illuc Epiſcopo ne maiorem in modum efferarentur ſuſpiciones Reginæ regnique adminiſtratorum; ſuperſeſſum mittendis in Angliam diplomatis Breuibus, ne Parlamenti lex, qua ſtatuebatur maieſtatis reus, qui quaſuis acciperet ab ſede apoſtolica literas cuiquam exitio fieret. Propenſiſſimis omnium, & alacribus ſtudiis acceptus eſt Archipresbyter, & Rector illius Eccleſiæ, veneruntque ad ſummum Pontificem innumeræ agentium gratias literæ ſibique gratulantium tantum boni, quarum faſciculos penes me habeo benè grandes, in iis Sacerdotes, & vincti & liberi, in iis Garnetus cum viginti è noſtris quibus is præerat; læta nouo delectu omnia videbantur, cum aſſeſſoribus promulgatis, qui locum ſibi eorum in numero dictante ambitu metat iam fuerat, vt ex eo ſe excluſos penitus, nedum iis vidêre poſtpoſitos, conflare de ſuis (& erant perpauci) querulum, & clancularium conciliabulum; Blackuuello ſua negare obſequia, in quo detrectatæ, vt notam obedientiæ vitarent; variis argumentis Blackuuelli poteſtatem elidere. Enimuero priuatis Cardinalis patroni literis, parum legitimè ſtabilitam, quibus non ideò ſtandum aſſerebat quod teſtaretur Pôtificis nomine ſe illas ſcribere, cùm eſſet Pontificibus ſolenne, diplomatis Breuibus, quæ vellent edicere, vt plena iis fides haberetur. Ad hæc in Anglia, quantilli fore ſolitarium Archipresbyterum? Tanti videlicet Angliam non eſſe vt ei

Episcopus deberetur? Cum multitudine Episcoporum tanta se circumspicerent Protestantes? Sed hoc esse nimirum ab Iesuitis fabricatum, vt imperitarent Archipresbytero, quod non essent ausuri apud Episcopum, & hæc equidem illi, sed à veris tam procul, vt nullis non precibus, & rationibus apud Pontificem Personius egerit, quo illuc mitteretur Episcopus, tantum abest vt nostri, conficiendæ rei obstiterint. Iam qui primos istos cogitationum, & partium impulsus, secuti sint fluctus (longos enim iere in annos, & se in varias deinceps fregere tempestates) sed eos perinde tacuero, vt si ad nostra nihil attinerent; etsi earum ignoratione, multa quoque lectores cogantur ignorare, quæ lucem ex iis ducerent, longèque aliter se habent quam vulgo credantur. Malo nostra in obscuro iacere, quam aliena in lucem educta displicere, in hoc igitur argumento obliuione voluntaria sepulto, vices meas trado huiusce temporis scriptori, cuius nomen propterea edo, quòd morte proxima sapiens, exsecratus sit libros suos quibus illud indiderat, & coram populo Vvincestrensi dolens abominatus sit ad furcas illos perfidi sui & indocti ingenij partus infelices; hic est Guillelmus Vvatsonus, in Seminario Remensi olim seruus, hinc tantum doctrinæ laboriosa contentione assecutus quantum iudicabatur sufficere, vt esset in Anglia vsui, mox vt eo peruenit, deregitur, capitur, Consiliariis Regiis dat manus, templa eorum adit; prodit Catholicos à quibus fuerat hospitio collectus; cuius deinde perfidiæ, ab iis veniam per literas petiit. Deinceps caput partium effectus, tanto audaciùs scribendo insudare, quanto minori ad calumniandum, & mentiendum egebat scientia. Detestabiles misit in publicum libros, in quibus illum quem Quodlibetica nominauit. De quo vt verbo complectar omnia, Caluinista historicus cùm euomuisset totum virus in Archipresbyterum eiusque Sacerdotes [*Si quis*, infert, *plura videre velit, quodlibetica Vvatsoni consulat. Nihil ibi sceleris, nihil flagitij prætermittitur.* Nam ad eius doctrinam quod spectat, illinc non nemo tunc aduersarius, post melius sentiens; tribus suis quas adhuc seruamus epistolis, persuasum se hoc libro testatur, vt Sacerdotem Catholicum hostibus traderet, seque propterea ab ipsomet laudatum Vvatsono, asserente nihil esse dubij, quin liceret omnes Iesuitarum sectarios prodere. Eidem Vvatsono mortem attribui, Ticburni, Pagei, & Vvatkinsoni Sacerdotum, Londini pro fide obitam, atque vt breui expediam cœtera; librum suum absoluit Vvatsonus, dum Regis Scotiæ Iacobi machinaretur necem, paucis quàm esset inauguratus in Regem Angliæ mensibus, coniurationis socio, Clarko quodam, percelebri quondam Seminarij Ro. turbatore, cuius parricidij pœnas ambo iustas, & solitas Vvincestri luêrunt. Sed Vvatsonus iam apta in capistrum gula, fassus est primum magna voce, se in Regis caput, & Regni pacem coniurasse. *Post, aduersus Patres Soc.* Iesv, *elucubrasse typisque mandasse varios libros falsos, & scandalosos. Veniamque illorum ab iis rogare.* Commendato demum misericordiæ diuinæ, reo, & multum dolente spiritu carnificis manibus & ferro se permisit. Patres pro charitate Christiana, huius, & Clarki animam multis sacrificiis iuuere; præsertim Personius

quem

nius quem fœdius cœteris, lacerarant, quod autem Vvatsono probra illa in Patres, vna odij contra illos concepti dictaret libido, ipsemet antea Guillelmo Arxinsonio testatus fuerat, ex quo per literas id item didicit Blaxuuellus, se nempe quæ scripserat in Ioannem Gerardum portenta scelerum, scire non modo esse falsissima, sed nec tanto in homine, veris similia, vulgasse nihilominus tanquam vera in eius odium, & conditionis eius velut pœnam, nempe quod esset Iesuita. Guillelmi Vvestoni custos hæreticus Vvisbicensi carcere detenti, cum ad ea legendo peruenisset quæ illis in libeticis Vvatsonus de Guillelmo narrat propudiosa, & prorsus indigna, librum à se iratus proiecit, mentiri librum, & libri auctorem iureiurando vociferans, cum ipse tot annos Guillelmi vitam præsens obseruasset, comperisseque tam insontem, & sanctum, vt fide licet ab eo diuersus, hunc tamen sibi apud Deum intercessorem expeteret. Sed hæc vsque ad annum 1599. indicta sunto, cui ex rebus Vvestoni perspicuitas accedet maior nos illum in carcere reuisamus, retexamusque vitam quam illic annis ab hinc duodecim transegit, cuiue inde fuerit in locum peiorem traductus.

De Vvisbicio iterum carcere, & sanctimonia illorum qui eo tenebantur, quamdiu inter se concordes vixere. Cruda illic insectatione vexatur Guillelmus. Defensione Sacerdotum octodecim apud summum Pontificem laudatur. Apud Consiliarios Regios calumniam passus, Londinum transfertur, & carceraria crypta ærumnosissima conditur. Infelicissimus illorum qui eum vexauerant exitus.

CAPVT XVII.

VVisbicij carceris diuersa ergastula in Cantabrigiæ insalubri, & planitie nuper statuimus, restagnationibus aquarum obnoxia, quæ latè ex mari refusæ in cæcas lentè moriuntur, & putrescunt lacunas cœlumque vitiant. Captorum ergastula siue cubicula cingit castrum muris item, & fossa præcinctum; intus, quod olim à Præsule habitatum, nunc semirutorum conclauium reliquiæ vete-

res, pluſque ruinarum quam fabricæ. Has ante Vveſtonum viri magni habitatione ſua virtutibus, & morte pretioſiſſima conſecrarant, Thomas Vvatſonus Lincolmenſis Præſul; Ioannes Feckenamus, Abbas Vveſtminterienſis; Vvodius Reginæ Mariæ à confeſſionibus Sacerdos, pluresque alij. Incolebant triſtia rudera triginta quinque vt plurimum, ſeu morte, ſeu perpetuis damnati miſeriis; viua certè omnes inter parietinas penſiles ſepulchra Quidam ſuo in cauo ſoli; nonnulli cum ſociis. Clauſi omnes tam arctè primis ſex annis quos egit ibidem Vveſtonus, vt egrederentur nunquam niſi omnes ſimul, idque ad prandium vnamque ad menſam, cuius vnum ad caput accumbebat Graïus vxor ad alterum, ne quid ſuper menſam clam iis, dici poſſet. Graïus porrò curator carceris, homo ferus, & bilis accerrimæ Puritanus; ab Catholica vero tam pertinacibus odiis auerſus vt profiteretur demens, ſi ſibi conſtaret, niſi apud Papiſtas Dei gratiam, & ſalutem nuſquam reperiri, ſibi tamen futurum optatius damnatum mori, quam Papiſtam ſeruari, & viuere. Cuius impiiſſimi voti homo nequam, compos factus, vitam peſſimam morte clauſit, qua ſuos etiam Puritanos grauiſſimè terruit; ſed filiolæ ſuæ, pridem feliciter nutantis conuerſionem integrè abſoluit. Virgo erat Vrſula nomine acuto ingenio puella, Caluinum ſolita lectitare, alioſque erroris patrij ſcriptores, & ab ſuis audiri, obſeruarique inſtar prophetidis: ſenſim illam ſermones qui ab Catholicis de Religione mouebantur; tum de ſua cum ipſis hæreſi contentiunculæ; parentis denique Puritani obfirmata in exitium rabies, errorum ſuorum fecere apprimè conſciam, planeque inimicam. Parens mente illam, ac vita, vt pro Catholica ſe palam gerere deprehendit, doloris impatientia, prope in amentiam decidit, & fruſtra conatus miſeratione, ac lamentis eam à propoſito reuocare, die quadam furens, capillis correptam iugulaturus inſtabat miſeræ, ſi culter ad manum quem poſcebat fuiſſet. Illa ex eius elapſa manibus, in vicum aufugit Proteſtantibus habitatum, vbi vnus illi occurrens Catholicus, illo in pago reſiduus, receptum domi ſuæ dedit, moxque illuc fuga ereptam ſubduxit vbi vitæ, & conſcientiæ ſecura, virtutum omnium documentum omnibus, extitit, ſed tolerantiæ præſertim, cum morbis grauiſſimis ita conflictata, vt acquieſceret iis læta & beata velut diuinæ voluntati. Diuini quoque patrocinij eſt ſeruata F. Thomæ Pondo vita, (de quo nos libro huius hiſtoriæ priori ſat fusè) accumbebat is inter alios Vvisbici, cum lacunar ſuopte depreſſum pondere vetuſtas carioſa putrefactis deiecit trabibus; oppreſſura omnino ruinis Pondum, niſi præter conſuetum, media illa hora abfuiſſet. Quod ne caſu factum putaretur, ſed peculiari Dei nutu, de lacunari corruente, tantum parieti affixum pependit incolume, quantum erat neceſſe vt ſubiectum altare vmbellæ inſtar protegeret, nec damni quicquam ex ruina ſenſit, quiſquid illic ſacri erat expoſitum. Sed iam carcerem repetamus.

Iuri dicundo Præfecti quatuor Londino miſſi, poteſtate propria carceri præerant; qui extraordinarias ad cauſas, viros prudentes duodecim Vvisbico pago in conſilium adſciſcerent: affari clauſos fas erat nemini, niſi miniſtellis

nistellis acturis de Religione, & piorum stipem qua sustinebantur ad eos ferentibus. Sub serum diei occludendis portis, & ponti ductario tollendo præsto erat sub signo manipulus peditum, quorum pars intus obseruabat, totam noctem pars castro circum ibat. Leges captis seruandæ, quà multæ, quà rigidæ prostabant illis publicè in cartacea tabula. Præfecti subinde introgressi perscrutatione improuisa, omnes angulorum rimabantur fissuras; nunquam tamen felices tàm infeliciter vt detegerent latebras quibus diuina ad sacrificium supellex condebatur, quod erat vnicæ afflictis consolationi. Affligebant enim maiorem in modum, contristabantque illos Puritani vicinis è pagis turmatim in castrum confluentes vt sua illic peragerent Orgia; & narrat Vvestonus supra mille interdum ab se recensitos cum suis iumentis, bibliorum onustis tradu&tione vernacula Geneuensi, quam cum suam quisque exposuisset præ oculis, altercabantur iuuicem, de sensu nunc eius, nunc alterius loci legitimo, cumque apud illos ad perfectam Theologi laudem sufficiat, esse Puritanum; conueniebant indiscriminatim in circulos, viri cum feminis, cum pueris senes, rustici, nobiles, Doctores prædicantes & promiscuo clamore digladiabantur, quærendo, exponendo, probando, explodendo, tam inconditis vocibus & iratis, vt ab iis ad conuitia, à conuitiis ad manus veniretur, adeò certum est & extra dubium, lumen illud beatum quo se quisque illorũ iurat instinctum cœlitus à spiritu sancto, ad perspiciendam paginarum sacrarum sententiam.

Exacto Vvestonus sexennio, alij citiùs à Præfectis, & custode improbitate precum denique exorarunt, vt miseriarum, & loci angustiis soluti custodia libera fruerentur, intra castri dumtaxat ambitum; viserentur amicè à Catholicis quibusuis ad occasum solis; colloquerentur liberè, proculque arbitris; talarem induti clericalem, incederent, suaque, quod erat omnium maximum, Sacerdotum obirent officia, dum ne id fieret quibus temporibus Puritani suas ibidem cogebant synagogas. Igitur inter se statuunt tanto ambitu petitam, tanto concessam libertatem, in religiosi cœnobij disciplinam, formamque digerere, ad signum campani domestici omnia peragi; mira nullo iubente parentium obedientia; priuata munia, & quæ affluebat piorum largitas, & victus, omnia in commune. Statæ prælectioni de Theologia Morali, de Scriptura Sacra, de linguis Græca, & Hebræa horæ. Concionibus præterea quibus ad pulpitum fingerentur priuatim tirones, & quibus publicè erudiretur auditor non infrequens. His longè fama celebratis, prodigio erat Angliæ vniuersæ Vvisbici carcer: de Doctoribus nihil dico, qui vsque ab Cantabria illuc ventitabant cum curioso lectorum iuuenum comitatu, disputatuti de Religionis capitibus; de Catholicis tantum ago quos sua vndique toto Regno mittebat pietas ad celebrandos partim anni dies augustiori cultu venerandos, & participanda sacrorum mysteria; partim ad visendos confessione Christi iam nobilitatos; ex qua illorum carcer in religiosum euaserat locum, & piis peregrinationibus frequentandum. Grauissimorum de conscientia nodorum, ex eo Collegio solutiones quærebantur, & responsa scripturis Protestantium

reddenda, contendentibus præsertim fas esse Catholicis eorum templa ritusque adire. Horum intus & foris tot ac tam vtilium diuinorum operum, vel auctor, vel magna pars Guillelmus Vvestonus, cum aliis de Societate, qui detinebantur eodem carcere, P. Thoma Mertamo qui vitam ibidem morte absoluit glorioſa anno 1592. Thoma Pondo habitatore illius carceris antiquo; Roberto Bickleyo etiam tum nouitio & tyrone, qui omnes operum quæ dixi curis cómunibus addebant quæ Societati sunt propria, quoad locus ferret, meditationes; Examina; Exercitia S. Patris vtorum instaurationes; collationes mutuas de rebus diuinis, & alia Collegiorum vsu trita.

Tam sanctus, & nobilis carcer; tam fructuosæ, ac celebris tota Europa famæ, nullus satis deploret, ac lamentetur dolor, quam fuerit in contraria omnia repente pessumdatus, illamque detestetur multitudinis conditionem miserrimam quæ stare in gradu perfectæ virtutis propterea nequit, quod perfecta virtus paucorum sit; valeatque plus vnus ad multos corrumpendos, quam multi ad vnum integritati amissæ reddendum. Quod gemit martyr Cyprianus ad Christi confessores scribens, eodem septos, iunctosque carcere, sed animis dissitos, & diuulsos, hoc sensit Vvisbicensis carcer. Mali huius Origo tres homuli, nullius doctrinæ, pretij, nominis. Proinde nec illos nomino, maloque historiam ominosis carere tribus vocabulis, quam ferre capitum inauspicatorum propriam mentionem. Primus ob sua haud sanè ferenda commerita, Roma pulsus à Cardinali Anglorum Patrono, gradum emit Doctoris in quadam Academia, contra summi Pontificis expressissimum mandatum, anniquevnius qualicumque studio magnus Theologus, os suum Angliæ inferre ausus est. Tentus illico, & ad Cæcilium perductus ærarij præfectum, Turri Londinensi concluditur ex qua facile impetratum tulit, vt cum Guillelmo Vvhitakero sua quædam de Religione conferret dubia; primas Theologiæ docendæ partes Vvhitakerus in Cantabrigia sustinebat, indeque suo, Caluini, & Lutheri ore, in Catholicam veritatem, trifaux Cerberus adlatrabat. Hic suo cuipiam fratri, professione Prædicanti hominem committit integrè dementandum, à quo paucis exinde mensibus Vvisbicum mittitur, vbi mox tanquam sol minora sydera defectione luminis sui damnat, prærogatiuam Doctoris, gradus insignibus confirmatam, tanto fastu, ac strepitu toties ostentans vt tantumnon eius Academicum diploma affixum pectori præferret; quo ne frustra tumere videretur, positas quæstiones, eò decidebat audentius quo erant intricatiores, etsi vt plurimùm, aduersus communem aliorum sensum, ne se vel hoc ipso, vnum ex aliis fateretur, sed monstraret saltem solitudine illla singularem. Sic Graio morte horribili sublato cùm substituisset Cæcilius hominem, iurisdictionis fines vltra fas porrigentem, & arrogantem sibi suo modulo maiora, nouus hic è tripode Doctor, vt anteuerteret eius gratiam falsa sententia emere, pronuntiauit non licere modo, sed ex officio conscientiæ habendum pro legitimo iudice personarum, causarumque Ecclesiasticarum. Sacerdotem ergo qui socium carceris Sacerdotem grauiter verberarat, effugiis haud scio quibusnam, sic

ab-

ab canonis pœna immunem statuit, vt nec anathemate solutus; nec conciliatus percusso Sacerdoti, nitentibus in oppositum sociis pergeret diuina quam cœteri non timidius vsurpare. His & similibus cum non esset Vvestono liberum non obstare, in tantum furoris exarsit homo rabiosus, vt cum quoties occurrisset morderet conuitiis, indoctum, temerarium, & hæreticum sugillans, eaque de illo & scribens, & in illum mouens, quæ statim referemus. Alter è tribus professione atteque medicus, suas opinor ob laudes egregias carceri addictus, pestem loco inuexit, nihil de Catholico retinens præter vocabulum, turbulentus, infamis, offensionum sator, & cum theologastro illo Doctore, Doctor quoque ipse in medicis, ita iunctus, vt vnum putares, nisi ex duplicibus quæ inferebant damnis sensisses duos esse. Tertius fuit, quem aiebam, Sacerdos, percussi reus Sacerdotis; Prædicantis olim apud Caluinistas ministerio functus; inde Catholicus, sed mutata in melius fide, inueterata Prædicantis vitia nequaquam exutus Religione Catholicus vita hæreticus, sic vino iram & cerebrum assiduè mancipans, vt appareret impos sui. Ac principio quidem discors ab omnibus, post longè damnosius in triumuiratum duobus cum aliis, concors, qua tricipiti factione abduxere ad se alios tredecim ex triginta duobus quos diu carcer ille instituerat omni probitate. Nunc quotidianum istorum pensum, confabulari cum Protestantibus Vvisbici oppidi, ludere, commessari, sobrietatem aliorum, naso suspendere; quibus initiis, vt solet, in grauiora scelera, & offensiones exeuntibus, qui restabant probi nouemdecim, segregare se ab iis coacti sunt, ne reorum culpa infamarentur innocentes, crederenturque non diuersè ab iis viuere, à quibus non erant habitatione, tectoque diuisi. Conficiendæ rei modum inter se dum consulunt, anteuertuntur facto ab iis, eorum consilium iam subodoratis; & pudorem quem erant eiectione subituri, discessione vltronea præoccupantibus; in qua licet omnia inuasissent, tametsi communia, quæ minus erant incommoda, nec iis ad quietem, nisi humum nudam reliquam feciissent, vexarentque illos conuitiorum, & oris maledici perpetua grandine, insimulantes superbiæ, seditionis, & schismatis, leuius tamen hæc, ipsaque adeò vitæ pericula ab iis ferebantur, quam dissoluta prauorum licentia, eiusque sibi pariter imputandæ, quod erat procliui, discrimen.

Seiunctum ergo intra muros, quantum interius potuit, merati locum, illic sibi præclarum operum ordinem formarunt, dignumque Sacerdotio, quo præter Pondum omnes præditi erant, & dignum hominibus mortem pro Christo quotidie operientibus. Ad delectum vnius qui cunctis præesset confluxêre vltro in Vvestonum omnes, solus ipse, se contra, omnibus obstitit, aiens sibi omnium minimo sat esse, quod vel vnus esset ex omnibus. Rem tamen ad se singulorum delatam literis probauit iussitque Garnetus, sed prudenti hac lege, ne præpositi nomine, sed directoris præesset Vvestonus; ne peculiari & proprio sederet loco; ne cum potestate imperaret, aut reprehenderet, aut ius dissentientibus diceret. Suo solum consilio rogantes, & præsidio iuuaret; quod etsi ferè plus nihilo concessum,

exaggeratum est ab aduersariis magna mole, calumniantibus Vvestonum, qui dissidiis animorum, & discessione, monstrosam illam aucupatus esset Præfecturam, qua Religiosus Sacerdotibus secularibus præficiebatur. Tanto literarum per Angliam, & extra, Romam vsque commeatu, & strepitu querelæ perlatæ sunt, vt Aquauiuæ Generali modestissimam sui rationem compelleretur Vvestonus exponere, & de suis illis Sacerdotibus sociis ad Clem. VIII. destinare, qui causas ederent, ob quas illum sibi præfici rogassent, quod cum minimè impetrarent, obtinuisse saltem illum Directorem, & velut speciem vmbramque Præpositi: horum ex oculis & testimonio Sacerdotum habemus de sanctimonia Vvestoni, in Vvisbicensi custodia, de implacabili corporis odio & cruciamentis eius spontaneis, cum esset totus in alios melleus vultu serenus atque affabilis, licet compositus, & grauis ex longa vero tot annorum tolerantiæ palestra, patientiam adeptus, tam imperturbatam vt contumelias inter grauissimas nihil ei vnquam exciderit iratum, sed æquabilitatem animi, & colorem vultus eundem semper tenuerit. Testatus autem est sed aliquanto post Præfectus custos Turris Londinensis Papistarum quos ipse habuisset fuisse neminem patientia heroïca Vvestono parem: somni erat paucarum horarum, ac ferè in tabulis storea instratis, noctis reliquum in preces ibat; quanto porro ardore pietatis conciones pararet orans, significabat copia lachrymarum quibus illi gemens plaudebat auditor: ægroti si aderant noctes apud illos exigebat insomnes sibique hanc peculiarem reseruarat curam, vt iis necessaria omnia videret; nec se premi sinebat liberalitas eius misericors intra carceris angusta, porrigebat se in omnes, quicumque illam imploralssent, suppeditabátque illi Deus ex larga piorum charitate, quo illis succurreret; vnde illud vt suum minimè asseruabat, sed primi egentis, qui eum id poscceret, videbatur illi apud se depositum repetere potius quam rogare. Alienis vero sic erat solitus mederi incommodis, vt sua semper posthaberet, sibique interdum mutuo ad victum necessaria sumeret, quod quæ habuerat omnia iam in pauperes erogasset. In ministerio animarum quantus esset longum sit referre, Hebræa, Græca, Theologiam morum, controuersias quæstionum, prædicationis sed veræ, & Apostolicæ artem nobis tradebat. Summus eius & præcipuus labor de perplexis atque inuolutis conscientiæ dubiis distinctè sanéque respondere, quæ huc toto è regno extricanda mittebantur; dare consilium in casus lubricos, periculosos, & nusquam non obuios, calamitosæ illius Christianitatis; & corrobare Catholicos, & consolari prolixis literis. Consulebatur enim velut oraculum in cunctis ad scientiam doctrinæ pietatisque spectantibus; adibatur præterea tanquam optimus patens, aut iis quos metus aut dolus transuersos egerat in simulationem aliquam hæreticæ infidelitatis. Pandebat omnibus brachia & pectus, teneriterque cum iis flens, & dolens, eorum vulneribus medebatur, nihil ad vltimum spectari mirabilius poterat manipulo illo tredecim seditiosorum, in eum atque in nos iurato, sigillatim ac simul, insaniente in illum indignitate omni, quæ potest proiectæ conscientiæ hominibus in

mentem

mentem venire. Vveſtono ex alia parte prorſus immobili, nihilque in iis, aut ab iis dolente, præter offenſionem Catholici populi, & Dei offenſam. Imo illos inter ſe reconciliante, cum probris, minis, & prope manibus inuicem ſæuirent, coramque genua flectente, vt mutuam ab iis inter ſe pacem exoraret, quamuis inter ſe placati, & concordes, peius in illum quàm ante furerent. Tam longè attamen à pace illius turbanda aberant, vt illuſtri amico plurimum inuitanti ad fugam è carcere, quam illi parauerat, quo ſe ab illa improborum vexatione aſſidua liberaret, paucis reſponderit, ſe ſibi, & aliis fructuoſius in carcere degere quàm extra carcerem.

His rationibus ad ſummum Pontificem ſuo munitis chirographo, Sacerdotes octodecim Vvisbicenſi ex carcere teſtabantur Vveſtonum ſe reluctantem licet delegiſſe, vt eius prudentia regerentur, nec ſe vllum cenſere vſque ab Indiis tanta veræ humilitatis laude clarum, tantum aberat vt poſſet calumnia faſtus illius vmbra ei officere. En nihilominus Vveſtoni ipſius ex literis ad Præpoſitum Aquauiuam, quibus ipſum coloribus aduerſarij pingerent; quo nempe retro ab Indiis, nullus eſſet facinoroſior; ad minas, inquit, vociferatus, & terrores, quibus perpetuis infeſtamur, ad ipſas etiam carceris noſtri fores, addidêre famoſas literas, & præcones qui fanda infanda nobis ideo affingunt vt populi odia, & indignationem plebeculæ contra nos incendant; cælatiſque data opera diſſidiorum cauſis falſas perfidiosè ſubſtituunt; quod ſimus hæretici, ſchiſmatici, auari, ambitioſi, & quid non? quod furens inuidia, & odij rabies, abominandum linguæ ſuggerere, aureſque puerorum, virorum, feminarum, nullo diſcrimine omnium, quotidiana in nos maledicentia inceſtare, ac perſuadere hominibus, nos eſſe mundo, & luce indignos. Sed vbi, quod multum ſperauerant ad vexationes huiuſmodi redimendas, redituros nos ad vitam non cum iis modo, ſed ex iis agendam, nihil quicquam moueri, aliò conſilia vertere; duos foris accerſunt cauſæ huius cognitores, & Iudices quorum auctoritate compelleremur ad eos accedere. Horum alter Doctoris inſignibus, ſcientiæ nomine, & canitie venerandus, nolens cauſa indicta, & partis alterius defenſionibus inauditis pronuntiare de iure quæſtionis tam indignè ab iis, & contumeliosè extruſus eſt, vt cœlum verſus attollens brachia, & velut extra ſe, repetens exclamaret IESV! IESV! & hoccine eſt Catholicum eſſe; eſſetque vnius è noſtris comitatu ad portam deducendus quoad eorum è manibus ſecurus exiſſet] hoc ſuis literis Vveſtonus. Quo factum, niſi potius votis ad Deum ſupplicibus, & patientiæ inſuperabilis conſtanti argumento, vt ex aduerſariis tredecim, reſipiſcerent quatuor, & & in Vveſtoni amplexum refugerent, cum mutua vtrinque conſolatione. Ex nouem reſiduis peruerſitatis ſuæ tenacibus cum duo aufugiſſent, alter ab ſuis ipſius propinquis tentus, vel miſeriarum perpeſſione abſumptus contabuit, vel ab interitu proximè abfuit. Septem alij ſic ab ſe diſtracti, vt quadrifariam ſcinderentur, vnus Epiſcopi Londinenſis emiſſarius factus eſt, inter Sacerdotes rixarum fautor. Rodolphus Itel ſacrilegè impudens, non modo ad hæreticos defecit, ſed Prædicantis munus in iis obiuit. Me-

dicus quo peioris linguæ Vvestonus sensérat neminem, dum manum supremam calumniis admouet, quas cum suis in Patrem consarcinauerat subtypos mittendis; plaga duplici, de cœlo ictus est. Primum enim repentè obmutuit, sic deinde certo cerebro euersus vt stupidus fieret, cumque nihilominus diebus aliquot superstes documentum terroris in carcere vagaretur, improuiso ictu instar cadaueris in tertam allisus, alienatusque abse, & sensibus nullo pœnitentis, & Christiani hominis dato indicio, animam eiecit; cuius porro in manus? loquantur eius acta præterita. Longè interea Londini fœdior in Vvestonum surgebat tempestas, illorum septem fœta calumniis qui se posse illum recuperare socium desperarant, nec eius tamen poterant oculum, & censuram pati. Accusarant Vvestonum perduellionis in caput Reginæ coniurati. Ad hoc secreta versare consilia cum Cardinali Caietano Anglorum tutelari; cumque tunc rebellij nihil; proditionum nihil fingeretur cui non allineretur color aliquis à Papa, & Rege Hispaniæ quæsitum, vbi præsertim de Sacerdotibus & Catholicis ageretur, intexuêre vtrumque accusationi, Vvestonus cum Sacerdotibus carceris sociis coniuratorum corpus creduntur conflare ad euertendam funditus Angliam. Probabiliter, nec ne, in securum itur. Iuris Præfecto Vvisbici mandatur, Vvestonum cum tribus quos de nomine citabant Sacerdotibus Londinum transportet. Præfectus consultò tempus legit quo suum quisque extra carcerem simul discumberent. Adest stipatus armatorum manu, stansque media in porta rectus, Edmundum Vvestonum (nempe vt ante significauimus) Guillelmum, nomine accersit, tum duos Sacerdotes Egidium Arcerum, & Christophorum Southuuortium. Postremò F. Thomam Pondum suo quemque tradens singulari custodi & proprio, à quo aliorum prohiberetur affatu, & accessu. Vacuum exinde perlustrans carcerem, quicquid libuit secum aufert, maximè literas, & scripta, & quicquid ad sacra pertinebat, flentibus vbertim, & deplorantibas orbitatem suam, quos parens optimus suo nudatos præsidio cogebatur furenti audaciæ aduersariorum discedens permittere. Hiems erat cruda; iter tridui Londinum, multis vt ea tempestate incommodis consitum præter molestias, quæ à trahentibus potiùs quam ducentibus accedebant. Londinum ingressi horas duas, inter solutissimi popelli scommata, & iocos quibus maximè Vvestonus petebatur ex Societatis habitu notus & inuisus præstolantur se tandem quid fieret. Coacti demum decreto consilij, suo quisque carcere clauditur. Vvestonum excepit, tam horrenda, præter alias ærumnas ergastuli sui graueolentia; vt, quod ipsemet scribit, præfocaretur illius mephiti, sentiretque fore naturæ procliuius semel mori, quam diu in tantis dutare miseriis. Siue autem ad vnam custodiam seu magis ad cruciamentum aptus esset locus; capi somnus illic non poterat, nisi defectum vigilia, & viribus corpus, humi prostratum concidisset. Maligno lumine quod angustum mittebat balistariæ foramen fenestellæ, pænè oculos amisit. Diem totum ad eam applicitus, sacras perpetuo legebat, relegebatque paginas, vna illarum consuetudine beatus, adeoque in iis diu tritus,

vt

vt diceretur omnes memoria tenere. Euoluto illic biennio custodem accepit paulo mitiorem, qui ascensum ei pandebat in tectum ergastulo imminens ad cernendum liberius cœlum, lucem viuam captandam, & auram minimè pestilentem, sed corrumpebat beneficij gratiam, negligentia illius, & contemptu, inductum enim in superiorem prospectum cum recedens clausisset, ante quartam interdum noctis horam ad eum non redibat, cœlo interea, imbribus, frigore, aliisque iniuriis ingruente, quorum ei nullum dabatur leuamen præter sui cauum ergastuli cui denique restituebatur; interdiu vero ibidem consistens à colluuie hominum, ex editiori turrium vicinarum probris,& conuitiorum grandine vexabatur, nnonunquam etiam saxorum. Quod patientiæ quæstuosum, & nobile studium decurrit Vvestonus ab anno 1559. ad Elizabethæ mortem, post quam cum multis aliis, Anglia pulsus est, nouo Rege Iacobo, exilium iis beneficij loco indulgente. Ex iis autem sceleſtis, & perfidis qui nostros atroci criminatione Vvisbico expulerant Vvestonum & Pondum; acerbo suo cum dolore, & ambitu suo cæsi quatuor minimè expectati, sed nec cogitati, quarto post mense adstitêre; magna proborum consolatione, grandique virtutum ac spiritus exemplo, quo splendere oportet homines, tàm alta, & ardua professos.

Ab Secretario seu Scriba Reginæ cassa consilia. Sacerdotum & Catholicorum vexatio increscit. Carcer, & mors P. Rugerij Filkockij. Annæ Linæ virtutes, & merita, eiusque Germani Guillelmi Heighami; & P. D. à S. Marco ex venerabili ordine S. Benedicti.

CAPVT XVIII.

NOvo cum seculo, noua exagitant Angliam de Religione, & summa rerum consilia, inania vtraque, mouentium imbecillitate; eam ob rem illa nisi leuidense non attingo, etsi mihi eius ex literis nota sint, qui multus in iis erat. Nitebantur hæc versatilibus fallaciis, & machinamentis iunioris Scribæ quem Elizabetha habebat à Secretis. Hic immensum quantum suo ingenio, & vsu rerum nonnullo confisus, potentiaque supra quam Secretarium deceret, in eam venit amentiam, vt putaret se posse amanuensis stylum sceptro Angliæ mutare. Ad hoc cœpit mouere de Arbella Stuarta in vxorem ducenda cum titulorum iure multi-

pici quos ad succedendum Elizabeth secum trahebat legitimos; amicorum parare præsidia, Barones Regni, & iis addictos, omnes simul rem suam acturos propriam; terra marique armorum Præfectum, Comites, & præcipuæ in agendo notæ, ac ponderis dominos. Vt autem partes Comitis Essexensis inimici sui, Catholicorum minueret numero à quibus plurimum, spe meliorum amabatur, pactus est cum vno ex primariis illorum conscientiæ libertatem, & Religionis Catholicæ vsum, sanctè nostris integrum promisit. His se præmunitum subsidiis, prensaturum se sceptrum non indecoro ambitu sperabat cum Rege Scotiæ Iacobo, at hic præter eadem iura, Regum vltimas rationes arma præsto ad nutum habebat in manibus, nec se illi aduersum propterea Secretarius exhibebat, sed eius potius fautorem partium officiosum & vtilem, destinato fortassis de Arbella sua consilio, quam semel adeptus, mox vt imperasset Reginam acclamari, moturus erat sibi colligatos, & senem cadentem, proinde neglectam, vtque longis solet ex imperiis, inuisam & exosam Elizabetham amoturus ab se quocumque libuisset. Hæ Secretarij machinæ in omnem fortunam Regni sibi subdendi libratæ, potentia partium quibus pollebat in Anglia Iacobus, laxæ in nihilum recidere, primusque ipse appulso è Scotia Iacobo, & inaugurando Angliæ corona portas aperuit. Quæ hic breuiter decursa opinor voluerint, ad ridendos illos qui felicitatem rerum omnem sagacitati Elizabeth; prouido pectori, cordato, & erroris experti assignarunt; quæ nunc suis quam vnquam antea suspicionibus pertinacius intenta, dum foris omnia obseruatione scrupulosissima, timoribus vacuis, exploratoribus, & cogitationibus anxiis peruagatur, & in Catholicis Angliæ vexandis tota est; domi non videt quid ab suis, ab intimis, ab eandem secum religionem sectantibus, in Regni perniciem vitæque suæ periculum moueatur. Præterquam quod, cuius prudentiæ, cuius imo cæcitatis censendum fuerit Secretario vni, Publici potestatem eo cum imperio credidisse, vt maiori Rex potiri vix possit? Hinc sensata cuiusdam de illo epistola. [Habet, inquit, fratrem Prouinciis quæ sunt ad Scotiam Præfectum; Cornubiensi dabit successorem; Montioyum ex Hibernia reuocabit; argento pollet infinito; potest omnia, & facit; adulatur, & timet nobilitas. Rex est denique, vt verbo absoluam. Ac si sceptro reipsa potitus fuerit, haud magnam propterea gaudendi fiduciam reponant Catholici in promissis tametsi millies & sanctè iuratis, nisi fortè suis rationibus conferre sentiat, plus aliquid conscientiæ ipsorum indulgere. Meri enim politici, omnem in scenam versatiles, vtilitatibus suis omnia metiuntur; promiscuè illis sunt iurata, peierata, sacra & profana, dum rationibus propriis conducant. Quod hic anno proximè sequenti patefecit, sparso vnde vnde in vulgus temerario rumore (quem forte ipsemet coniuratis suis vulgandum crediderat, vt suscitaret publici odia in Iacobum cuius se riualem tacitè ferebat in amoribus coronæ Anglicanæ; simul, vt aulæ erga se studia, & vultus populi obseruaret.) En illum ex Patre Garneto, sceleſtissimum rumorem cum iis quæ consecutæ sunt ex eo cruentis cladibus. Orta est, inquit, de repente in nos procella terribilis;

terribilis; furitque ac fremit tam dirum in modum, vt nulla sit nobis tam cæca latebra quam aduersarij ignorent, nullus digiti motus quem nesciant.

Superiori hebdomada Londini scrutatus est singulas vrbis regiones, qualis antehac nunquam indagatorum numerus. Eorum vel vnus pro virili sua quadringentas domos perscrutatum se ait. Seueræ interim intra palatium & ad portas, custodum excubiæ; ob missam vndeuis temerè stultam vocem, Iesuitas cum Rege Scotiæ Iacobo in caput Reginæ coniurasse. Ducenti ferè iam carcere tenentur, quadraginta in iis Catholici, Sacerdos vnus, in cœpto assiduè pergitur. Nostrique vno iactu sperabantur ab iis reti eodem inuoluendi, quod scirent omnes Londinum conuenire. Sed eò paulatim, & omnes conuenimus, singulari, quæ Deo sit gratia, nostri animi voluptate, & nihilominus ab aduersariis securi. Professi sunt Iudices non semel pro tribunalibus, promissum sibi à tribus nostrorum aduersariorum, fore vt omnes sibi proderent Sacerdotes, assectatores Blackuelli Archipresbyteri. Sexcentis tamen vallati periculis, missam nihilo tristius cantu solenni celebramus.] Hactenus Garneti epistola.

Non fuit tamen annus sequens, ab sanguine Societati siccus. Eius spargendi sors fortunatissima in P. Ruggerium Filkockium incidit, magnum planè virum in omnibus quæ valet pietas, & doctrinæ suppellex, ad lucrum animorum, culturamque conferre. Duacensi ex seminario, Vvallisoletum missus, iamque illic & Theologus, & Sacerdos traiecit in Angliam duratura de se virtutum præstantium relinquens monumenta; ferensque vicissim Apostolici ardorem pectoris, & desideria fundendi sudoris, & sanguinis, in Christi obsequium, & Societatis, ex qua illos hauserat spiritus, quorum fructum auebat illi reponere. Bilbai soluens Cantabriæ portu cum P. Osuualdo Tesmundo applicauerat securus in Angliam anno 1598. tam præsenti vbique sospitantis Angeli, comitatu vt cœlesti magis quam humana ope viderentur hostium manibus subduci. Ac Filkockius quidem in media statim quæ nusquam ingentia deerant, se immisit pericula diuinæ præ omnibus intentus gloriæ & Catholicorum bono, quibus sacerdotalem nauabat operam, peculiare sui experimentum dare Garnetto ardebat, vt adscriberetur ab eo in Societatem. In hanc post biennium adlectus parto bono dum gestit, insistitque illius implendis partibus; proditur, capitur, Portæ nouæ carcere clauditur cum P. à S. Marco Barkuuorthio, Monacho S. Benedicti; paucis inde mensibus citatur ad tribunal Februarij die apud nos vigesimo tertio, anni 1601. biduoque post forma omni iudiciorum, & iuris omissa, ex sola qualicumque coniectura, proditorum damnatur supplicio, quod verè an non, præferret tamen, posset que Sacerdos præsumi. Qua forma iuris tam informi, paucas ante horas necatus fuerat P. à S. Marco, teste nullo, nullis argumentis, nullo Duodecimvirum Iuratorum suffragio; vna Iudicum iniquorum suspicione voluntaria, facti euidentiam sibi arrogante. Vnus tantum actorum oculis præditus, inuisibilia cernere solitis, affirmauit illius in fronte se legere *bestiæ characterem*; Sacerdotij notam volens intelligi animo impressam quod sacrilegium resorberi ab il-

lo oportuit responsione generosa Patris à S. Marco. Fronte, inquit, aperta Christi crucem gero, quæ me aduersus dæmonem, hæreticos omnes, aduersarios, Dei hostes confirmat & roborat, nec quicquid à vobis intentetur minarum, & malorum, vos metuo; mihi enim haud vnquam fuit optatius viuere, quam pro fide Catholica mori. Sic ille tunc, sed longè seuerius, Prædicantes abegit duodecim, ad euertendum illius animum submissos. [Facessite, ait, diabolici canes] tribusque his ab se amouit verbis, quorum tamen post paulum, ipsum pœnituit, dataque ad amicum epistola timuit, ne quem eorum offendisset qui ea audierant; [Quæso, ait, ne mihi culpæ vertas, quod Dei hostes acceperim acrius. Pastus annos supra viginti duos virulenta illorum doctrina, quantò de illa recogito, tantò illam magis auersor & detestor Religionis saniem, Religionis omnis expertem. Anni sunt octo, ex quo in schola Christi do studiis operam. Magistrum in fide nactus sum, Doctorem Barretum virum prudentem, & venerabilem annos duos. Ante tamen Duaci Ecclesiæ me restituerat P. Georgius Fiamingus, cui si quid profeci in rebus animi, si quid operatus sum boni, totum ferè id illi debeo. Cæteris de sancta Societate IESV hominibus mirabilium virtutum, laude eximiis ago amplissimas gratias, eosque amo, ac veneror magnoperè cupiens, idem vt omnes mecum præstent. Fuit mihi semper in paucis amicus & vnicè carus confessor Christi Dominus Arturus (hoc P. Ruggerius Filkocxius latebat sub nomine) siue olim liber, siue nunc mecum in compede; vir excellenter humilis, patientiæ, pietatis, & charitatis exquisitæ, dignus cuius exemplar viuendi norma sit. Dictat mihi animus futurum vt simul moriamur, qui simul tamdiu viximus.] Planè autem illum dictatæ animo diuinationis exitus non fefellit. Postridie ambos Februarij vigesimo septimo veha craticia seiunctim ligatos ad patibulum raptauit, quò dum incipiunt tendere via lento tunc, & alto cœnosa luto; exiliens gaudio P. à S. Marco, modulatè illud incinuit. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus*; præeuntem, cantu similiter excepit Ruggerius, *& lætemur in ea*, viæque residuum ad Tibornum vsque cantantes, & alacres peregerant. Illic Ruggerius sublatis in furcas oculis, matronæ nobilis virili, sanctoque spectaculo incredibilem hausit consolationem. Huic aures solitus præbere confitenti cernebat hoc ipso temporis, prærogatiuam pugnæ, triumphique obtigisse, datumque vt sibi in cœlum præiret. Vitam egerat valde sanctam, & heroïcarum nomine virtutum magno apud Catholicos in honore, ne propemodum prius adulta quàm martyr, grauibus adeò perpessionibus semper exercita; ob collectos domo Christi Sacerdotes, eandemque ob causam capistro denique addicta. Quicquid boni tenere se cœlitus confidebat, acceptum ferebat Societatis ministerio, quæ magnam vice versa opem ad Ecclesiæ illius auxilium habebat in ea repositum, quare nostris in rebus, meritò eius meminimus. Anna Linea dicebatur de mariti sui cognomine, nobilis alioqui, oriundaque ex familia Heighami opulenta, sed patre feroci Caluinista, qui post lacessitam inaniter eius constantiam, cum fide naturam abiiciens,

dote

dote illam boniſque omnibus ſpoliauit; patrimonio autem legitimo Guillelmum natu maximum filiorum, hoc eſt octies mille florenis annuis. Et Guillelmo quidē præbuêre quem ſolent inuictis Catholicis commeatum Conſiliarij Regij, iuſſum prehēdi, ne quem exēplo magnanimo comoueret ad Breiduellium dānant, quem eſſe diximus colluuiem flagitioſorum, & Regni ſentinā. Illic ſub fuſte operum hortatore, viliſſimis, & moleſtiſſimis miniſteriis, quæ norunt etiam qui nihil norunt, iiſque victum ſudant, & emunt, Guillelmi penſum erat rotam grandem inceſſu perpetuo verſare quæ machinæ cuidam flexu ſuo imprimebat, miniſtrabatque motum. Hunc Ioannes Gerardus, mutatis perſonis, & veſtibus adibat ſæpiùs refouebatque egregium iuuenem ſtipe ſubſidiaria, & robore animi, quo vtroque illic egebat plurimum; illo ad ferendas eius loci ærumnas, hoc ad periculum, donec ab eo ſeruili opere grandi pecunia redemptum, & in Catholici ædibus aliquamdium retentum, in Hiſpaniam miſit, Societati quam ardenter optabat adſcribendum. Anna Catholico integerrimæ fidei, & conſcientiæ viro nupſit, ac ſponte propterea pauperi, ſpoliatoque Patris barbarie, omni hæreditatis iure, & quouis ab ſe in malam rem quam longiſſimè amandato idcirco hunc hoſtes fidei, extra mundum clauſere, hoc eſt accenſuêre damnatis carcere, ſed cauſa indicta, qui diuturnis confectos miſeriis denique abſoluat.

Viro mortuo Anna, ſui tunc iuris, & Dei tota, Gerardo ſe integrè permiſit in interiori homine fingendam, qui ea in arte mirabilem ſortitus prudentiam, magiſterio ſingulari, eiuſmodi animas virtutis eximiæ initiatas fundamentis ad ſummum prouehebat. Huic equidem vitam tolerabilem faciebat deſiderium mortis pro Chriſti cauſa oppetendæ, ſed alia omnia millies, ſuis vt aiebat peccatis commerita, ſperare illam verecundabatur, etſi ad hanc omnis eius vitæ tendebat ratio. Domum triennio ſeruauit, quam Londini Gerardus conductam tenebat in hoſpitium Sacerdotum, & neceſſarias haud raro eorumdem conſultationes: miniſtrabat iis materna cura, & reuerentia ancillari, ſuggerente Gerardo neceſſaria ad victum, & veſtes, in diem horaſque verſatiles: illic periclitata ſæpiſſimè; vitamque Sacerdotum ſæpè induſtriis, & ſolertibus latebris tutata, domum tandem illam deſerere cogitur, quod eſſet iam exploratorum oculis nimium obiecta, & cubiculum conducere quàm longiſſimè ab vrbis frequentia ſemotum, eò ad diuina dum conuenirent Catholici, & die quodam maximè ſolenni Franciſcus Pages ſacris ornatus ad aram procederet; ecce tibi ad fores Catholicus proditor, cum capitalium Delegato, & lictoribus armatis, incurſione tam ſubita; vt ægrè Pages fuga laberetur, quem cum tota domo non inuenirent ſcrutatores; eius tamen altare, & ſupellex ſacra indicium faceret; capitur Anna, & iudicio ſiſtitur, interrogataque à Popamo, num quos domi quandoque Catholicorum Sacerdotum hoſpites habuiſſet, reſpondit omnino in hæc verba; Domini mei! fateor quod res eſt hoc vnum dolet, nihil præterea, quod non potuerim millies tantum quam feci excipere, millies quam curaui leuamenta illis, & miniſterium nauare. Ex

quo tam nobili responso Popamus feminã nobilem, ægrotam, alienis ad tribunal portatam manibus, ac ne illic quidem in pedes cõsistentem ad furcas damnauit, quibus pio, & dulci osculo salutatis, mortem cupidius excepit quàm alij vitam consueuerint seruare. Mortis huius accepta generositate, honorarium Reginæ gynecæum pro sua parte, verborum conuitiis omnibus discerpsit Popamum, dirisque omnibus deuotum quæsiere, num esset hominis sensu animæ aliquo, & scientiæ præditi, ac non pessimi potiùs, & indocti matronam nobilem, citra causam probatam contra ius damnare, cum eum qui fugerat, Sacerdotem esse vna suaderet anticipata suspicio, & femina nobilis suum generatim desiderium testata, de illo nihil prorsus affirmasset. Verum enim vero effrontis iudicis assuetam similibus frontem ferream, probris verberabant. Fuit ergo hæc Anna quæ Filkockium ad mortem quam expetierat vix hora integra præuertit, qui absente Gerardo ei à confessionibus fuerat, eique licet breuissimè ad mortem beatam præunti sanctissimè inuidit. Nec tamen statim illam secutus est, anteuertit illum P. à S. Marco qui solutus crate versusque ex curru ad populum, sui, ac fidei, & Catholici dogmatis rationem edidit tam fortem, & liberam, vt eam luerit, inhumanitate aduersariorum extra omnem morem : nam cùm esset procero, grandique corpore, nec dispari robore, duraturus erat cæteris breuius antequam laqueo fauces clauderentur; subducto nihilominus curru pendentem carnifex sustentauit ne molè corporis breuissimo illo strangularetur spatio quod alter carnifex in rescindendo ponebat laqueo; hinc quod erat necesse consequi viuens, & sentiens euisceratus est, tam inusitata barbarie, vt cum exemptis iam carnifex inferioribus intestinis, in apertum plaga capaci pectus immisisset manum, ad reuellendum ex eo cor, sensu doloris viuacissimo exclamarit. *O Deus! miserere mei:* cui spectans è curru Filkockius, accinctus vt eum mox consequeretur, cœlum inclamauit, & quibus proximè instaret cœli fores, & tolerantiæ præmia, quantò grauioris, tantò pleniora, & illustriora, paulòque post illum nihil eius laceratione consternatus, nihil conturbatus, fauces laqueo, pectus cultro carnificis subiecit.

Postremum,

Postremum, maximè in Societatem Elizabethæ Reginæ edictum. Quod explicatur in gratiam Catholicorum Sacerdotum. Gerardus Ecclesiæ & Societati Franciscum Pages lucratus eius causa comprehenditur suaque industria illum seruat. Postea Sacerdos, & iam noster captus, proditorum supplicio damnatus moritur.

CAPVT XIX.

POSTREMOS Reginæ spiritus ad quos sensim legendos accedimus, stultè quis putasset, venæ futuros melioris quàm quæ annis quatuor supra quadraginta aduersus Catholicos; viginti duobus aduersus Iesuitas æstuasset, quanto sibi acerbius inuisos, tanto minus reipsa, & verè metuendos.

Argumento sit huius anni minax, & lamentabile edictum, cuius laciniosa prolixitas in immensum iret, si particulatim ad condignas singula exigerentur notas, etsi alioqui nouis historiam aucturas. Pauca solum ex iis seligam, quibus multa non pridem peculiari à me perscripta studio euidentius confirmentur quæ si ex Reginæ ipsius autographo, & manu, iussaque illius mandato editione non constarent, nec fide forsitan censerentur, nec publico digna.

Suam principio attollit infinitam clementiam, in qua culpam etiam agnoscit nimiæ placabilitatis cum aliquo licet ditionum suarum detrimento, imo & vitæ periculo, proin à sanguine abhorruisse se semper longissimè (Sacerdotum nempe secularium mortibus, & nostrorum) & in quendam potius declinasse, legum quas ipsamet tulerat, minus forte laudabilem neglectum, quibus Religioni veræ cautum voluerat (suæ videlicet Parlamentariæ) contra illius turbatores, maximè Sacerdotes Roma missos, eorumque occultatores, & partiarios. Quo in articulo notandum distinctius quod refert plurimum ad eximendum Catholicis errorem, haud scio quibusnam, certè suas quasdam ob causas proprias minus benè in Angliam affectis, qui ventorum ignari, vnde hæc mota fuerat tempestas, dicere ausi sunt, totam eius causam, Regni reique publicæ causam esse, Religionis Catholicæ nequaquam, sed huius titulum, ac nomen ad rationes publicas, seu rei caput velut obliquè accessisse. Eam ob rem, & Sacerdotibus, & aliis, Religionis

nomine in Anglia cæsis, deesse meritum quo possint vnquam in martyres ab Ecclesia adscribi. Atqui, pergit hos contra interpretes Regina; *Fatemur*, ait, *ingenuè speraſſe nos pro noſtra clementia meliora de Sacerdotibus his Romanis, auctoritate aliena, & inani* (hoc est Ro. Pontificis) nostram in Angliam transmissis, ad seducendos nostros populos, *& ab noſtra Religione auertendos, & certa conſequentium ratione à debita nobis obedientia.* (Vt Gubernatrici nimirum suprema, & Anglicanæ Ecclesiæ capiti) quis enim questus est aliquando, aut per calumniam commentus Sacerdotes Catholicos detrectare illius imperia, temporariæ potestatis, & maiestatis indicta iure, vel ab iis quenquam auocare? Cùm è contrario Puuritanorum damnent, & detestentur licentiam, qui leges Principum somniant pugnare cum Euangelij libertate, nec iis obstringi se posse. Quod ergo Regina præcipuè spectat; & quod huic adiungit, Religionis causa est. Illud generatim ad totam attinens sectæ suæ fidem; hoc ad dissidium schismatis, & diuulsam ab Ecclesia sacrosancta, eiusque legitimo, & œcumenico capite consensionem. Hoc vsa proœmio suam graui lamento prosequitur malè feriatam clementiam; & Catholicorum cæcitatem, quod vtrumque, vt iure credatur facere, accusationes in Pontificem Ro. in Regem Hispaniæ, in Sacerdotes exaggerat, maximè Iesuitas vitæ suæ, ac Regno capitaliter infensos. Librorum quorumdam farraginem quos testes producit coniurationis ab Sacerdotibus, & Iesuitis in caput suum motæ, Blakuuello Apostolico Archipresbytero, auctore & auspice; sed enim rem aliter habere, solosque esse Iesuitas qui pergant ab suis partibus quoquo modo stantes diuexare. Ac ne, inquit, impia natio vnquam desit, instituêre commercia nostrorum iuuenum quos in Seminaria transportent externa, primum vt regni præcipuas corrumpant familias, deinde vt sibi post se relinquant simillimos, hoc est libris, insidiis, machinis, æternas nobis facturos molestias. Commemoratis sub hæc partibus diuisorum, ait, Archipresbytero subiectis, id esse propositum vt Reginam occidant, & Regnum euertant (hoc est Catholicæ Religioni restituant) alios vero iis oppositos (quos nolo cum ea suis nominibus censere) maligna eorum consilia non modo exsecrari, sed scripto, & voce suam ad arma deferre operam, vt in primis ordinibus contra illos pugnent. Inde coniici maiorem Iesuitarum nequitiam, & adhærentium Archipresbytero; sed nec ab aliis integrè sibi satisfactum; sequitur siquidem, stupere se vndenam hi Iesuitarum aduersarij, nisi ex patientiæ ipsius abusu, diuinent, & buccinent cogitare se de conscientiæ indulgenda vbique libertate, & Religionibus duabus in Regnum admittendis, quod Deo innocentiæ nostræ teste, nec nobis, nec nostris consiliariis in mentem venit cogitare, aut huius diuinationis, & stultæ licentiæ suspicionem nullam nedum spem fauere, quippe quæ huius Ecclesiæ statum pacificum esset funditus euersura, & confusè mixtura rerum publicarum ordinem præclarè institutum. Effrontis est impudentiæ, in iis minimè tolerandæ, indulgentiæ huius & concessionis nunquam cogitatæ suspicionem feciſſe tam temerariam, vt ea confisi, luce palam, & de meridie, haud secus, ac liberi tota

Londino

Londino vagarentur. His demum incommodis, & periculis obuiam itura, Regni administris seueriſſimam, ſi vnquam antea, mandat Ieſuitarum inſectationem, & Sacerdotum iis adhærentium, iubet vtroſque intra dies triginta in continentem traiicere; alios Reginæ, vel ſeſe miſericordiæ committere penitus, vel Regnum pariter intra ſpatium dimidio amplius purgare. Ieſuitas vetat, ſeu quoſuis alterius ordinis, & Sacerdotes Anglos, pedem in Angliam mittere ſi abſunt; pedem ſi adſunt, in ea diutiùs præſcripto ſpatio figere. Appulſos tecto, aut re vlla iuuare, proditorum morte his omnibus indicta, & hactenus quidem funeſta & vltima Elizabethæ indictio, cuius infelix! quadrimeſtri abrepta progreſſus vllos ſpectare vix potuit, nam Franciſcus Pages noſtrorum poſtremus qui ſub eius Regno, ferroque vitam poſuere iam anteceſſerat. Hic vero, & librum hunc, & noſtrorum tormenta, vincula, & cruciatus, & mortes ſub Elizabethæ imperio coronabit.

Erat Pages honeſto admodum, locuplete loco & commodo natus. Expletis Londini legum ſtudiis municipalium, earum domi diſcebat vſum ex viro nobili, & in eo præſertim doctrinæ genere præcellenti: accedebant ab natura dotes quæ oris animi, & morum elegantia inſigni cum pari modeſtia, conciliabant iuueni omnium amabilitatem; hunc viri, quem dixi nobilis apud quem erat aſſiduus, filia, ſperauit poſſe habere in coniugem, licet inferiorem gradu, ſi modo ad partes Catholicas, (erat enim Proteſtans, & Virginis parens Catholicus) eum pelliceret. Perſuaſus igitur ab ea vt Patrem Gerardum qui tunc in carcere Clinxio liberè adibatur, de ſalute audiret, ſic eius pro cœlo egregia indole, ſic ille Gerardi virtute viciſſim captus eſt, vt expugnatus ſit paucis congreſſibus, poſt ſenſim virtutis Catholicæ ſupremo inſtinctus ambitu, aulam, ſponſam, ſpes omnes caducas animo eiecit, nunquam æternum repetendas, deditque ſe antiquo Gerardi hoſpiti famulum. Sed accidit iuueni valdè importunum, quod è Clinxio carcere ad quem ædes habebat conductas ille hoſpes, tranſcriberetur in Turrim Gerardus, in qua Pages vt ante non poterat diuino eius alloquio frui, quod vnum licebat proſpectu mutuo conſolabantur illam orbitatem. Expiſcatus ergo qua, inter alias, caſtri eius turres clauderetur, obambulabat procul illius feneſtris in ripa Tamiſæ aduerſa, arrecto anxiè in eius feneſtram oculo conſpicatus ergo de feneſtra ſpectantem, aperto capite, ac fermè de genibus, quaſi aliud agens, ſalutauit; ſalutatuſque viciſſim, modeſta capitis inclinatione, & leuique indicio religioſæ adprecationis; hoc etſi minimè obſcurè animaduerſum ſe ſentiens, cùm iteraret quotidie Pages; cautior illo in futurum Gerardus, & inſidiarum experientior improbabat quidem; & accipiebat malè, ſed fruſtra fuiſſet inambulanti feneſtram occludere, duraturo nimirum ibidem ad ſeram veſperam, & apertiorem de ſe ſuſpicionem præbituro; & vero die quodam, dum pio defunctus officio Cæſariem reponit, velut hæc fuiſſet capitis detegendi cauſa, à capitalium Miniſtro repente inuaditur, prenſuſque brachio, ad ſummum Turris præfectum trahitur, interrogatur quid illi negotij circa

castrum; quid ij versus Gerardi carcerem tot nutus? Quid compositio crinium repetita? Cui Pages vehementer calere, proin auram fluminis frigidam in aperto captare, & deambulando laxare animum. De nutibus, carcere, Gerardo qnod diceret se nihil habere, quod hæc prorsus noua sibi nunc ad aures venirent. Remittitur itaque ad reorum examinatores, in arte veri extricandi versatiùs tritos, ij fraudem illico meditati Gerardum accersunt, qui causa statim accersendi præcepta, mox illam comperit, dum Pagem præ foribus inter alios vidit, adstante lateri custode satellite. Præsentem monent Examinatores; esse illic nomine Franciscum Pagem, qui se diceret intimum, optaretque cum eo colloqui, se vero vtrique id non grauatè indulgere, dum breuiter fieret, Gerardus oculo melior in perspiciendis illorum artibus, quam ipsi manu in iis texendis. Per me quidem, ait, mecum cui libuerit loquatur, sed hunc Pagem me prius, & videre, & nosse opus est; nam quod profitetur se mihi intimum nec certè illum in pectore reperio, nec scio, aut vnde, aut vbi, & quando, quouè modo illuc subierit. Quo responso sensere minus se ludendi peritos esse, quam Gerardum eludendi, minari ergo truculenter, nisi signa illa à Page edita confirmaret, & significatum illorum ediceret. Sed nihil vlterius ex eo expressum, etsi peierarent Pagem ea de se & de illo confessum, quorum silentio ad torquendum illum cogerentur, è conspectu amotus cum in procœtone, distineri Pagem exiens aduertisset, denuo scilicet vocandum, vt posset cum eo Gerardus si fassus esset obiecta componi; circumactis indignans, constitit oculis, & quæsita ex se cum stomacho explodens, estne hic, inquit, magna voce, ille nescio quis Franciscus Pages simplex & stolidus, qui se mihi iactat familiarem & intimum fictaque mei notitia infortunium sibi quærit? Plura custos vetuit dicere, pauca hæc raptim pertexuit ne deciperetur Pages eorum periuriis quibus illi sacrilege confirmaturi erant, palam à Gerardo facta, quæ ipse tanto suo damno, tamque inani silentio premeret. Iis Gerardi verbis præmunitus stetit arcani tenax Pages, & sycophantias periurorum, non sine rubore elisit, qui iusta & pia toties insectati Catholicorum æquiuoca, periurium, & iusiiurandum; fas, & nefas; ius & iniuriam indiscriminatim, si ad rem facerent adhibebant. Cœterum, aut reus, aut insons Pages, nisi mulcta pecuniaria illorum manus non euasit. Hinc superiorum doctrinarum, studio & Sacerdotio comparandus ad Societatem, cuius desiderio feruebat, in Belgium transit, iisque post annos aliquot instructus, cum experimentum sui in Anglia Ductori Gerardo, & qui nostris illic præerat Garneto, securum & solidum præbuisset, cooptatus est in Societatem creditusque Gerardo in peculiarem curam quò saltem posset in Belgium transuehi, vt inter nostros sui vnius culturæ incumbens, in operarium fingeretur minimè vulgarem. Sed enim aliter Deo visum, qui suo impenetrabili, sed sancto, & semper iusto consilio, Pagi nouitio coronam destinarat, ad quam alij longo annorum, & sudorum, & meritorum cursu reipsa non attingunt. Ab suo igitur in Angliam reditu Londini

dini subsistebat apud Annam Linam cuius nuper beatum narrauimus exitum, vnde se primis inferentibus tenebris prodibat ad Catholicos requirendos quibus animi subsidia domesticatim ministraret; cum ecce tibi nocte quadam, ponè sequi aduertit feminam, & habitu vilem, & passu non æquo, habuitque illico suspectam, tametsi nesciret paulò ante Catholicam, tunc propudioso quæstui deuotam nundinandi vitam & libertatem Sacerdotum. Properantis ergo vt eam deuitaret, & ipsa celeriùs vestigia premere; diuerticula captantem, & quas primum fores apertas cerneret introgressum, festinatò sequi; sed eum nobilis ædium Dominus, dum postico educit, velut creditoris fugitantem manus; tam improbo stepitu, tantisque clamoribus, ad proditorem, ad rebellem, ad Reginæ hostem, & Seminaristam Presbyterum, nequissima meretrix ad fores vociferabatur, vt exterreretur ædium Dominus, nihilque volens tricarum in foro habere; concurrenti, tumultumque augenti viciniæ illum committeret, quæ statim ad Popamum supremum Londini iuris hostem, & vindicem traxit, à quo sine mora, futuri specimen in Lymbum mittitur, illum nempe quem ante descripsimus simillimum inferis carcerem. Causa interiectis aliquot diebus momento acta, & peracta, nulla confessione, nullis indiciis, nullo teste ex nuda & simplici Aduocati Regij accusatione, iurati duodecim reum pronuntiant Proditorum supplicio addicit Popamus, quòd auctoritate Ro. Pontificis extra Regnum Sacerdos consecratus rediisset Angliam, quam mortis optatæ iniquam sententiam quanti fecerit vir sanctus, quam lætus exceperit luculenter probauit; nam à tribunali traductus in carcerem priori minus incommodum, Henricum Floydum Sacerdotem in eo reperit, eius sententiæ dolore grauissimè afflictum, sibique ad genua cum fletu atrocitatem iniqui iudicij, & ignominiam deplorantem. Huius verba & lachrymas Pages neutrum decere, beneuole monuit, ecquid enim ait, & tu ex iis es, quorum totus caducis & sub oculos positis prospectus definitur? Et quorum miseratione, ac lachrymis Sacerdotum mors lugetur, quam oporteret festis gaudiis prosequi? Ergonè pro summa infelicitate nobis tandem à Deo concessum doleamus quod ab eo tamdiu & toties, tantoque ambitu concedi petiimus? Num ergo nunc longiùs à beata immortalitate, quam à Tiborno sum? Num paucas intra horas & paucis passibus in eam transiturus? Hæc sunt videlicet argumenta lugendi, & non potiùs gtatulandi atque inuidendi? Et creuêre vsque adeò hi sensus effusæ lætitiæ in Dei famulo, vt mane proximo moriturus, Floydo post mutuam vitæ omnis expiationem celebrante compos sui Pages præ gaudio non esset, ambigeretque num sibi fas foret post eum celebrare, veritus in sensus, & voces lætitiæ, ne forte inuitus erumperet, non satis condignas reuerentia rei sacræ. Celebrauit tamen ea copia voluptatum æternis de rebus circumfusus vt Floydo diceret, plura nocte illa se de iis edoctum, quam potuisset multorum annorum studio consequi; nec esse vsquam orbe toto, vel tantum cruciatus, vel tantum bonorum, & deliciarum quo posset à Deo auerti. Quod ne vlla

ex parte sibi tribueret, certoque sentiret esse gratuitum, paucis hinc horis repente exarescit, & densa mentis caligine circumfusus, mœret, angitur, exhorrescit, pallet, immobilis, vnoque in obtutu defixus sideratus, & extra se totus, quodque vnum misero succurrebat preces Floydi supplex efflagitans. Erat hæc non destitutio diuini fauoris, sed salubre, ac breue documentum; paulò enim prius quam ad Tibornum raptaretur, rediit animo sua lux, sua tranquillitas, sua vis, seque ipse totus integrè recepit; curru illic conscenso, collum capistro præbet, versusque ad populum, magna voce, Catholicæ fidei, sanctitatem, & necessitatem contestatur. Eiusque se causa periucunde mori, vnius reum Sacerdotij Romani, & religiosi in patriam regressus, ad conferendam animis in ruinam præcipitantibus, & periclitantibus quam valeret opem. Hæc in aures & oculos Prædicantium, qui currum item conscenderant, verum sui magis pompam populo daturi, quàm spe, quicquam ex eo exculpendi; quare partim ab eo, vel surdis auribus neglecti; partim vt decuit reiecti, breui abstitere, suam illic operam perdere. Pages Societatis IESV palam nouitium professus, sacrosanctum id nomen pronuntians, subtracto curru hæret pendens, & satis placidè moritur. Detractis visceribus, quadratim secatur, membra ostentui per vrbem affiguntur; caput in ponte Turris sublime attollitur, quæ mors est altera, alterumque infamiæ æternæ patibulum.



LIBER

LIBER SEXTVS.

Libri argumentum. Elizabethæ morbus, & mors & anceps de iis historia. Iacobus Rex Scotiæ, Rex Angliæ proclamatur. Sacerdotibus carcer exilio mutatur. De P. Vvestono, & F. Emerſono.

CAPVT PRIMVM.

NOVA se nobis hic scena pandit sub anni exitum 1602. malorum potius accessu quam nouitate spectabilis, principio quidem Catholicis læta (quorum mihi alternæ bonorum, & malorum vices pro argumento,) subinde vero vt solent fabulæ, adiectione aduersorum & terribilium denique funesta, & miserabilis. Horum casuum euentus multiplices, & perplexos euoluet hic liber narratione perpetua annorum quatuor morte videlicet Elizabethæ, successione Iacobi Regis, nouæ actisque retro seculis inauditæ coagmentatione Monarchiæ, ex Anglia, Scotia, & Hibernia conflatæ promissis, ac spebus noui Regis in Catholicorum leuamentum; sed falsa delusis expectatione; è contrario Regis noui, certè nouis, sed intolerandis ad cruentas Elizabethæ adiectis legibus, & noua sancitis Parlamenti confirmatione. Desperatione tandem, pessima remediorum consiliaria, quæ paucos Catholicos malorum impatientia (quorum penes Deum arbitrium permitti debuit, & dispensatio) transuersos egit in violentas machinationes, sibique exitio futuras.

Postremo erat futurum prodigio simile, si eius machinationis suspicionem omnem nostri euaderent: de tribus illorum accusatis, vnus carnifici traditur, duo seuera indagatione frustra requiruntur, promiscuè cæteri, vel superstites vel fato iam functi, stylo, & libris, & mendaci fama, proditorum supplicio vbique addicuntur. Progrediamur ordine à primo capite. Laborabat pridem Regina grauissimè, senectutis primum crescente in dies, & insanabili, & tristi morbo, sibi quoque nedum & aliis vix tolerabili, ægrè illi erat à cadenti sole, adorationes in orientem iam conferri, vitamque suam videri hominibus longiorem, & regnum prolixius, quod ex officiis etiam intimorum, & quos prærogatiuis honoribus auxerat, erga regem Iacobum propensioribus, versuta & suspicax femina

nimio plus intelligebat. Volens ergo semper qua viua & vegeta; qua Regina & potens omnium haberi, aliis in summum attollendis; deprimendis aliis ad ima, duobus principum brachiis, spe ac metu sustentabat sese. Hinc Robertus Cæcilius Regni totius capitibus summis impositus; hinc Essexensis Comitis sibi & omnibus dilecti ferro carnificis abscissum caput, digni certè si minus venia; honestiori saltem pœna, & nobiliori; cuius sæuum casum, & regni nobilitas, quæ tota iuuenem ferebat in oculis acerbissimè doluit; & ipsa dum vixit Regina mœrore adeò non consolabili, vt aliquando castrum præteruehens vbi Comes fuerat comprehensus, insanis illum vocibus & ad vsque faucium pulmonisque defectum inclamaret. Quo vsus mœrore Cæcilius cœpit illi Regni primarios omnes suspectos facere, velut Comitis morte implacabiliter offensos; & Magistræ licet versutiarum aulicarum, Minister iuuenis & vafer ita persuasit esse ab omnibus cauendum, vt se totidem cinctam insidiatoribus putaret & hostibus, quot habebat subiectos, vnique demum Cæcilio se, regnumque crederet vniuersum. Quam ille supremam potestatem, sic ad noui Regis promerendam gratiam contulit, vt is propensius Angliæ coronam de manu Cæcilij caperet, quàm de iure suarum rationum. Vnde illi suprema sub Iacobo supra omnes Anglos auctoritas, opulentia, & potestas.

Regina interim morositatem qua præfocabatur, & cogitationes anxias tantisper laxatura, Richmondum deferri voluit, deliciarum palatium, quod Nidum suum solita erat nominare, & fractæ requiem senectutis. Illuc sub Ianuarij exitum delata, ægrotauit Martio ineunte, tribusque inde hebdomadis obiit. Et hæc quidem de meo dicta sunto, cæterorum penès historicos, & catos lectores fides esto. Narrat Camdenus hæreticus secessum illum ab ea captatum, vt illic se Deo totam daret, simul amenitate loci medicaretur atram bilem qua grauissimè laborabat; haud tamen adeo potuisse illam diluere, quin crebro rumperet cæcus mœror desperabundas voces, & lamenta. Væ sibi miseræ! & proh! se desertam, destitutámque ab omnibus! retro sibi rotam vertisse fortunam; solam se, penitus, & sibi cui confideret restare neminem; gulam sibi capistro obstringi, aliaque huiusmodi quibus innuebantur plura, quam exprimerentur: inde lecto affixam curationem spreuisse medicorum, fastidiosam, cogitabundam, lucem, adeuntes, visentes, affantes auersatam, Cantuariensi excepto antistite qui æternis de rebus cum ea suauiter agebat. Vrgente demum morbi, & mortis articulo, rogatam à Nortingamiæ Comite; à summo Præfecto maris Britannici, ab sigilli regij custode, à Regni scriba pauciscque aliis, quem sibi diceret in regno Angliæ successorem? Variè nec satis liquidò respondisse, non alios quam Regem Iacobum Scotum duobúsque post horis ante mediam noctem, die Martis vigesimo quarto, & anni nouum intra seculum secundi vltimò viuere desiisse, εὐθανασίᾳ defunctam illa quam sibi Augustus quondam optauerat, expedita nimirum, & longi vacua cruciatus. Hæc historia Camdeni, ab iis multum diuersa quæ honorariæ ipsius spectarant & scripserant famulæ, quæ interfuerant morienti, quas inter

fusius

fusius matrona de stirpe Southuuelliorum ; refert de icone aurea ignotis impressa caracterum notis, Reginæ quidem à duobus aulicis oblata, sed à Cornubiensi muliere dono ad eam missa, quæ annos viginti supra centum, cum eo ad collum amuleto vitam produxerat, eandem vero circumligatam Reginæ collo, secutos effectus prodigiosæ nouitatis, quos longum sit nec meum scribere, quin neque de illis philasophari ex mente aliorum; nec de cadauere nihilominus intra conditorium disrupto ; aut cuius efficientiæ vel magiæ icon illa fuerit indagare. Annos regni, & vitæ ; naturæ artisque dotes eximias, & Patri vbique Henrico VIII. & Matri Annæ Boleniæ, fecit mille scriptorum copia, existimatio & fides, orbi adeo explorata vt iis retractandis actum acturus sim.

Sub hæc regni statim præcipua capita quinque, & triginta in concilium coëunt condituri decretum de regni successore. Præfectus vrbi Robertus Lecius, Archiepiscopus Cantuariensis, custos Regij sigilli ; summus ærarij arbiter ; maris Britannici Præfectus, Comites nouem, Episcopi alij, & ex flore nobilitatis primariæ. Horum auspiciis & auctoritate, Cæcilius regni Scriba, & Popamus in regno, iuris dicundi Princeps successionis decretum condunt ad Iacobum Stuartum, sextum hoc nomine Scotiæ ab annis triginta sex ; nunc primum Angliæ, & Iberniæ Regem, iure legitimo deuolutæ ; quod suis muuitum chirographis, postridie mane populus Londinensis in foro maiori à Cæcilio Scriba, solenni lectum, & promulgatum ritu, prosecutus est faustis acclamationibus, & votis æternorum annorum pro Iacobo Rege. Inde ciuitas omnis in festas effusa lætitias, & superbos magnificentiæ publicæ apparatus. Denuntiato post hæc noui Regis delectu eodem, in palatio Regio turris Londinensis, aperti vndique multiplicis carceris (ex consulto Senatus iam antea facto) exitus omnes longum suspirati, & morte Reginæ suscitati qui tot annos in iis computruerant sepulchris, obliuioni mortalium ; velut inter mortuos traditi. Framlinghamensis quoque in suffoldia, & Vvisbicensis carcer in Cantabrigia, Sacerdotibus aperti qui magno numero illic tenebantur ea lege vt simul Anglia exirent, nisi mallent templa Protestantium frequentare. Quæ nefaria lex nonnullis placuit. Iuuat duos ex nostris, qui cum cæteris Anglia pulsi sunt, cum honore, sanè iis debito comitari ; nam de Guillelmo Vvestono, sæpius antehac à me dicto, supersunt etiam illustres reliquiæ, nequaquam silentio obruendæ. Quadriennium agebat in carcere, cuius illud fuit tolerabilius incommodum, vt tantumnon oculis orbaretur. Sed addit, homo alioqui, de se loquendi mirè parcus, addit, inquam, eorum quæcumque in vita passus esset morborum & dolorum grauitatem, diei vnius & noctis ærumnas non æquasse, quas supra quadriennium in carcere exegisset. Somni minutias per dies capti quinquaginta si colligerentur, non confecturas spatium horarum decem ; vna sibi, planeque singulari miserentis Dei beneficentia caput, & cerebrum constitisse ne in delitia solueretur, sed Dei ipsius, & immortalium bonorum reficeretur cogitatione. Appulsus tamen in Belgium, scribénsque ad P. Personium, sic se oculis ait, & viribus, & mente

exhaustum vt non valuerit vltra lineas quatuor progredi. Fuisse sibi præterea eodem in carcere cum dæmonibus pugnandum, adspectabili conflictu suadentibus, vrgentibusque extremam desperationem, & restim, cultrosque vltro præbentibus quibus momento se carceris illius intoleranda graueolentia, solitudine, frigore, cruciatibus liberaret, omnium inferorum æternitate omni peioribus. Illic mensium spatio quatuor supra quinquaginta, hominis faciem non vidit, nisi tantum custodis, & dæmones assimulatos in species hominum horrendas, & repulsas quas ab eo ferebant plagis vindicantes. Et hæc quidem vir sanctus, sed quibus Deus pro solenni sua bonitate, & profusione consueta suauitatis infinitæ, deliciis animi tam atroces pensaret pugnas nihil ex eo vnquam exprimi potuit. Custos profecto ipsius, homo truculentus, tranquillitatem eius animi, & vultus in illo perpessionum æstu perpetuo serenam pro miraculo prædicabat, ludensque in quendam ex Nortoni gente Catholicorum hostem perinfensum suæ commissum custodiæ, aiebat in hoc habere se diabolum Caluinistam; in Vvestono Iesuitam sanctum.

Quod si quendam nihilo secius Vvatsonum, Clarxum passus est calumniatores, sanctitatis illius offensos luce, & professio in Societatem odio rabidos; habuit eosdem calumniarum depulsores, & vindices cum ad furcas Tibornas priusquam eorum pedibus subtraheretur currus, coram populo omnia eiurarunt quæ contra illum aliosque de nostris falso scripserant, & vulgarant. Duobus vero illis qui se Medices, & Theologiæ iactabant Doctoratu purgationes debemus pleniſſimas famosarum quas in eum vomuerant accusationum, quarum exsecrabili falsitate, socij carceris Sacerdotes, Clementi VIII. Vvestonum, quis in omni vita, quantusque esset, verè sanctéque testificati sunt: quibus accessit ab Arcero Vvisbicensi quoque contubernali Sacerdote Vvestoni eiusdem scripta, & vulgata vita, omnium virtutum tolerantiæ præsertim & charitatis insignibus mira, & tam nobilibus atque illustribus calumniatorum vitæ obiecta parallelis, vt iis opus alia palinodia non esset. Verum de hac alias, haud quantum satis, sed quantum decuit. Non possum tamen omittere quod addit Arcerus, discessu Vvestoni ex carcere Vvisbicensi, discessisse cum eo pariter consuetudinem precandi & piarum rerum familiarem illic vsum, stipis vero illuc conferri solitæ tam auaram exinde fluxisse largitatem vt oportuerit quamplurimos in Framlingami carcerem transferri, qui eorum saluti exitio fuit.

Serius aliis mense vno, carcere missus est Vvestonus, Senatoribus procrastinantibus subscriptionem eius libertatis. Subscripta demum & octo ferè diebus ante sacrum Pentecostes diem, anno vertentis seculi tertio. Et ecce tibi amoris intimi planeque inexpectati miraculum, quo illi custodem tam arctè conciliauerat patientiæ incomparabilis diuturnum spectaculum, vt eum ad prandium habere conuiuam voluerit, dono illi regales nummulos dederit octoginta. Domum intra septa castelli commodam illi aptauerit; amplam eius visendi facultatem amicis omnibus fecerit. Inde Maij

tertio

tertio eductus extra turris portas multitudinem inuenit omnis generis hominum. Cernere hominem auebant Protestantes qui annos septemdecim vario sepultus carcere, fama vbique clarebat sanctitatis. Volebant Catholici eius pedibus aduolui, & fausta sibi adprecantem de genibus audire, mixtis dolore, & gaudio ob eius discessum lachrymis. Stabat expedita in remos cymba ad radices Turris, altera noctis hora eum prono alueo Graueſendum vectura; inde terra Cantuariam, & ad mare ducendum; comitabantur custodes Regij tres, quoad fretum transuecti, eum Caleti statuistent, siue Itio in portu Cantuariæ è regione sito.

Erat amnis ad ripam domus valdè ampla, in eam ingressus, discessum expectans, refertam inuenit Catholicis à quibus certatim instaurari complexus, & lachrymæ, & omnis intimi amoris significatio, suum quibusque, nam vrgebat hora, raptim vrgentibus; aliis consolationem quam ab eo sperabant; aliis optata de animi rebus consilia; promissiones precum aliis, felicesque interim ab eo precationes; multis virorum nobilium à quibus venerant salutationes; tam multis vero quà propria sua, quà aliena procul & longinqua manu ingerentibus illi nummos vt non potuerit eorum repulsa non offendere complures, firmus reiicere omnia nisi paucillum illud, quo vsque Audomarum egebat. Vnum ipsemet inter alios refert, qui tam incredibili affectu aureæ monetæ non paruum numerum in manu sibi posuerat, vt eius consulens tam egregiæ voluntati & merito planè singulari, (videbatur enim conditione pauper, & quicquid haberet in rebus humanis hoc totum dare) munus ratum haberet, & acceptum ferret; moxque illi velut iam ad se pertinens, inuito licet, multumqae obstanti redonaret. Sic post nouem & decem annos commorationis in Anglia, duos nempe solos libertatis, cæteros carceris deportatus est in perpetuum exilium Vvestonus [Heri scribit Garnetus ad quartum Maij, Londino Vvestonus discessit, prærogatiua virtutis, & innocentiæ admirationi omnibus, & amori, Catholicis iuxta, & hostibus; hoc enim valet eminẽtia virtutis apud illos qui præ segnitie illam hospitem nolunt, vel præ inuidia & malignitate, in aliis eam insectantur.

Vixit suis tot malis superstes Vvestonus annos duodecim in Hispania Vvallisoleti præcipuè, Seminarij Anglorum curam gerens, vbique nostris, & omnibus mirè carus & in ea veneratione quam potest maximam parere, religiosæ sanctitas probitatis, tam longa, & forti omnium aduersorum perpessione lentata, & exagitata, vt esse oportuerit prorsus heroïcam, aliàs minimè tot sub malleis duraturam. Hinc illa hominum ætate, ac notæ virtutis professione diuturna illustrium, tansa in illum obseruantia vt ei non puderet adgeniculari, poscereque ab eo benedici. Cumque Anglorum trium celebraretur vulgo dos quædam cuique singularis; Eloquentiæ sactæ laus Campiano; Religiosæ grauitatis Personio attribuebatur; vitæ omni ex parte perfectæ Vvestono. Tametsi Vvestonus Campiani non rudis æstimator, præ cœtero viri Apostolici paratu, eloquentiam eius minimi faceret. Ea propter in Angliam regressum cogitans, Guillelmum Edmundo commutauit, sperans assidua nominis huius appellatione fore sibi semper

in mente Campianum, & acrem stimulum repræsentandi diuina eius decora viuendo, quorum memoriam perpetua nominis inculcatio referebat.

Atque ipse tantumnon à puero, eadem illa, sibi proposuerat via grassari ad summum absolutissimæ sanctitatis, sui videlicet, suorumque affectuum strenua expugnatione; contemptione honoris euanidi, fumique adeo cuiusuis qui gloriolæ odorem secum ferret; continua corporis cruciatione; constantia precandi tanta, vt flexis etiam studeret genibus, ne se ita mens totam speculationi permitteret, vt cor affectibus destitueretur. Nec vero illi erat difficile fixum cœlo tenere animum, cum re nulla in terris lætaretur; atque ob hoc illi tantus paupertatis amor, & ambitus; ituro certè in Angliam datæ fuerant vestes seu nouæ seu decentiores prioribus; iis vt erant relictis, tulit quas gerebat longo vsu tritas, & interpolatas, aiens fore vt Deus pro suo facilius ipsum dignosceret. In equo missus, vt decebat, & eorum qui præerant dictabat charitas, milliaria post pauca datum equum remittit, itineris reliquum sanè longissimi pedes per Galliam ad Portum exigit, ex quo in Angliam traiecit. Sed eius singularia operum, laborum, & fructuum meminisse, (inter quos vidit ex iis quos Christo pepererat, vnum vitam pro Christo ponere) infiniti sit operis. Anno demum ætatis septuagesimo quinto; Societatis quadragesimo, supremi discessus nuntium excepit canens, *Lætatus sum in iis quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Iuitque planè, vt æquum sperare, April. 9. anno 1615.

Parentatum est illi Vallisoleti multis locis, eiusque virtutes ab insigni eius temporis oratore pro concione celebratæ. Cantuariæ natus; Oxonij florente tunc ibi Campiano Bacelarius; Duaci triennium Theologiæ insumpsit. Romæ inde annorum iam quinque & viginti in Societatem ingressus est Nouemb. 5. anno 1575.

Sequitur F. Rodolphus Emersonus ex iis alter quibus noui Regis primordia, exilio carcerem mutarunt, dignus certè hoc inter nostros loco, non modo quod vnus è tribus fuerit qui primi ad sacram Anglicæ missionis expeditionem delecti sunt, Campiano in socium adiunctus, & domesticum adiutorem; sed quod perpetuo in procinctu vitam circumferens ad eam fortiter ponendam expeditus semper incederet vbicumque vafer explorator deprehendisset illum Sacerdoti seruire, præsertim vero Iesuitæ. Sacratam ergo semel Deo vitam, & in omnes deuotam iubentium nutus, & hostium gladios; nunquam deinceps habuit pro sua; nullius vnquam periculi metu sic exterritus est, quin se statim maiori constanter obiiceret. Campiano beatè mortuo Comes itineris Creyctono, & Holto in Scotiam datus est, inde Personio aliquamdiu suam in Gallia nauauit operam, tandemque cum Vvestono in Angliæ pericula rediit, captusque ipso statim in aditu librorum indicio quos licet pœna capitis vetitos ingenti secum ferebat numero quod essent ingentem inter Catholicos edituri fructum, sic extra viuos conditus est, vt Vvestonus

ſtonus per annum integrum nullis aut nuntiis, aut cuniculorum indiciis vlláve induſtria ſubolere potuerit vbi eſſet. Fuerat opinor is carcer tam altè ſepultus, expectatio grauiorum. Illinc tamen emerſus, & Clinxio clauſus, P. Gerardi conſuetudine diu illic potitus eſt; fuitque deinde præclarum hoc de illo Gerardi elogium. [Rodolfus Emerſonus, inquit, ſtatura puſillus, animo excelſus, vir fuit malorum tolerantiſſimus, annos enim complures carcere coarctatus æquè illic ſe ſemper valde pium & religioſum, & qualem decebat, Germanum Societatis alumnum exhibuit. Clinxio aliis cum Chriſti militibus Vvisbicum tranſlatus morbo corripitur ad acceſſionem meritorum lethali, nec diuturnitate medicabili, nec arte. Solutis enim paralyſi neruis, toto captus repentè corpore inutilis iacuit, qua ſui morte dimidia, vitæ paſſus iacturam dimidiæ, inuictæ nihilominus exemplo patientiæ ſemper fuit. Poſt annos tandem ærumnoſiſſimæ cuſtodiæ viginti, cum Sacerdotibus aliis, anno ſeculi tertio deportatus, Audomari vitam ſancto fine abſoluit.]

Debito perfuncti honoris officio, quod horum duorum præſtantibus meritis negari à nobis ſat inculpatè non potuit; ſeriem dicendorum, tantiſper omiſſam, repetamus.

Atque imprimis rationes ordine ponamus, quibus in Anglia non ſperabant modo Catholici ſed certò ſibi audebant polliceri nouum Regem aut penitus, aut magna ex parte amoturum Pondus, quo ſanè intolerabili ab Elizabetha oppreſſi fuerant. Poſt contra ſpem omnem tam confidentis expectationis, inſtauratas ab Rege crudelius vexationes Catholicæ fidei, & Catholicorum. Exinde tertio deſperata paucorum conſilia, & coniuratum cuniculum igniariæ machinationis, cuius vomitu Rex, & flos nobilium regnique ſapientes, promiſcuè vt fontes ſic inſontes diſpuluerandi membratim erant in aëra. Poſtremo vertente conſilia in auctores Deo, rupta eos machina non modo obrutos, ſed vna innocentes, alienoſque prorſus ab ea coniuratione. Hæc vt coner breuiter ſcribere, prorſus non fecero; cum & rationibus egeam, & factis: fictis ſimul & veris, ad ſecernendos, quod ſpecto potiſſimum, à reis innocentes, quæ ratio tanti eſt, vt diſſipatura ſit opinor, ſi quid tædij ex prolixitate oriatur.

Vana spes eorum quæ sibi à nouo Rege Iacobo promissa putabant Catholici. Eius dicta in odium, facta in damnum Romanæ fidei, Catholicorum Recusantium. Londini iubet credendi formam promulgari Caluino conformem, quem profitebatur Scotia Magistrum. Colloquio interest Protestantium, & Puritanorum inter se discordium: dumque illos nequit inter se coniungere aduersus Catholicos iungit.

CAPVT II.

LÆTIS vbique præconum vocibus Rex Iacobus Elizabethæ successor decantatus Londinum è Scotia descendit Maio ineunte, anno seculi tertio tam effusis, & prope amentibus Catholicorum omnium gaudiis, vt ea ipsemet & obseruaret distinctius, & quantum sibi placuissent non parcè verbis explicaret. Fundabant eorum expectationes, matris iura, & fama, & exemplum. Cogitabant Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ filium; Religionis inter Catholicas Principes tam constantis, vt qui mortis eius diduxêre apud se filatim telam omnem, & modos, quibus eius textores eius tandem caput ferro carnificis succiderunt, nullam casus tam duri causam inueniant, nisi quod Religionis sanctæ fidem semper habuisset vita omni pretiosiorem. Expectabant ergo Catholici, venerationem aliquam & amorem religionis maternæ à filio; expectabant ab ipsa itidem beatissima de cœlo matre mitigatum iri filij animum afficiendumque benevolè aduersus Catholicos, vt qui iactura bonorum & vitæ, secuti essent matris partes, eiusque amore Protestantium odia, & Elizabethæ iras incurrissent. His certè tam multis grati animi nominibus, honesti ratio filium obstringebat maternorum quoque nominum successorem. Ipseque filium libro quem βασιλικὸν δῶρον inscripserat, docebat magnificè quanti esse deberet Principi beneficiorum grata memoria, eorumque condigna remuneratio. Atqui Catholicos etiam claros natalibus quam multos Londinensis obruisset carcer, macerassetque pœnis lethalibus; quam multos infami supplicio Tibornum necasset patibulum etiam simul ad quatuordecim) hac solum ex causa, quod matris eius libertatem;

beatem, & vitam, propriæ antepoſuiſſent; fuſius illorum narrabant hiſtoriæ, & fumabat adhuc recenti memoria fuſus eorum cruor. Non poterant ex his Catholici non certo conficere, Iacobum Regem toto grati animi iure; debere ſe, ſi minus beneficum præſtare remuneratorem, at certè innoxium Principem. Accedebat his tam liberalibus ipſorum ſtudiis amorique in matrem; rabioſa hæreticorum odia in Patrem, quem parricidio immani ſuſtulerant, credebaturque ipſe vlturus tantum nefas, cùm eſſet contra Puritanos vehementiſſimè inuectus, libro in ſectam illorum edito, dominationis cuiuſvis inimicam.

Erat præterea Iacobus ingenio miti, & vbi ageretur de conſcientia, Religionis argumentis ſtringenda, manſueto propior, & referebant vulgo ex eo auditum, Romanam Eccleſiam, matrem eſſe aliarum omnium antiquam, id nec ignorare ſe, nec inficiari; quod tamen illi non penitus adhæſiſſet, quibuſdam id naſci ex eius ritibus & vſu quarundam obſeruationum ad quas non facile ſe accommodaret. Cæterum ab eò longè aberant illa quæ contra Eccleſiam Ro. eiuſque Pontificem, Elizabethæ furorem armauerant; illud, inquam, ignitum Pij V. diploma quo denuntiabatur ſpuria; iuri Regni caſſa; ſubiectorum fidelitate, obſequiis, veneratione ſpoliata. Tantum abeſt iſtorum vt quicquam caderet in Iacobum, quem è contrario ſummi Pontifices opportunè ſuis præſidiis iuuerant conciliante illa Perſonio vt indicatum à nobis alias; profitebaturque Rex ipſemet, Clementi VIII. quantum ſe debere ſentiret qui peculiaribus literis laudaſſet plurimum Catholicorum erga illum fidem & amorem; confirmaſſetque illos magnoperè ad continuanda illi ſua obſequia, & iure debitam legitimo Regi obedientiam.

Imo Romam Garnetus (qui noſtris in Anglia præerat) cùm ſcripſiſſet. Videri deinceps Catholicorum patientiam ſuccumbere onerum grauitati quibus ab Rege opreſſi gemebant, & ex ruptis quorundam vocibus nimium percipi, tegi quoſdam ignes doloſo cinere, & quandam feruere funeſtam vomicam ruptui proximam; repetiit Pontifex ſuas ad eos adhortationes, & mandata, ne à veteri ſua generoſitate, & tolerantia deſciſcerent, nec vellent rebellione contra Regem perpeſſiones ſuas redimere, ſed tollerent ad Deum oculos, earum remuneratorem, & vbi paternæ illius clementiæ tempeſtiuum foret liberatorem & vindicem. Verum enim vero, etſi apud Iacobum, nihil valuiſſent Ro. Pontificis beneficentia, auctoritas, & nomen; præſto erant Anglis Catholicis alij Principes, cum eo, vel ſanguine coniuncti, vel amicitiis, quorum interceſſione plurimum nitebantur; præſto Rex ipſe Catholicus, cum quo pacem optatam iniuerat. His Catholici firmamentis iacta ſibi ſecurè cenſuerant melioris fortunæ fundamenta, & cum multi eorum, nobilitate, prudentia, opibus, potentia, & bello præſtantes; potuiſſent, ſi modo luberet educere militem eo robore, ac pertinacia pugnaturum quam animi, & Religionis æternæ inuehunt rationes, quo ſanè exercitu timebantur vlturi barbariem, & carnificinas quas pertulerant ſub Elizabetha; hoc ipſi non modo non fecerant, ſed vbi non ſatis

auctoritas valebat, seditiones populi variis locis motas, minis compressérant, compulerantque ab armis discedere.

Altera ex parte Catholicorum fiduciam stabiliebat solidius Regis ipsius fidelitas cuius pignus multis Catholicorum proceribus verbo dedisse ferebatur; nonnullis etiam Principum externorum suo chirographo, quo piis illorum commendatitiis in Catholicorum responderat gratiam, largè omnia pro iis pollicitus.

Imo nondum è Scotia egresso; nobiles, & Sacerdotes Angli, cùm anteuertissent sua illi obsequia & fidelem deferre seruitutem, eiusque erga Catholicos tutelam, & clementiam poscere; narrabant ab eo se omni beneuolentiæ argumento & promissis ditatos. Pari sibi loco futuros Catholicos vt cœteros sibi subiectos, & fideles Anglos, Religionis, & conscientiæ nomine, ne obolum quidem passurum se ab iis exigi; quin per me velinde iam cuiuis fas esto, habere domi Sacerdotem, eumque adhibere ad consueta pietatis officia, dum ne publicè id fiat, ædesque priuatorum in templa conuertantur. Hæc ad Catholicos ab iis perlata qui se Regis ipsius ex ore habere dictitabant, tantis eos cumulauere lætitiis, vt si forent annosa & dura ex compede liberati; tantis vero ad Regem gratiis, nihil vt posset ab iis non modo facultatum, sed nec animorum, & sanguinis cupere, quod non essent vltro daturi libentiùs quàm ille petiturus. Facta porrò promissis responsura persuadebat quod hæc narrarentur plus viceſies ab eo iuculcata, eius notæ, ac meriti viris cuius erat montis acuti Vicecomes, & Thomas Percyus Northumbriæ Comitis sobrinus, quem mox sumus visuri, si minus præcipuum inter coniuratos, præcipuè saltem, edicto Regio postulatum, affirmabat se profectum in Scotiam post soluta Regi venerationis officia, cum suas illi, & Catholicorum infimas exhibuisset preces, quoties illas iterasset, Regem toties promisisse ne cico quidem se præ Anglis reliquis eos grauaturum, cuius vt illos faceret certiores, blandè manu eius in discessu prehensa, fidem dedit se dictis staturum. Quod cum reuersus in Angliam Catholicis Percyus retulisset, inde illorum quam dixi secuta est hilaritatis, magnificentiæ, sumptuumque immoderatio. De fide Comiti stabuli promissa Londinum misso ad pacis capita inter Angliam, & Hispaniam subscribenda, nonnihil postea; nunc limes hic esto rationum quæ Catholicorum expectationes non temerarias eò leuauerant vnde sunt in eas proiecti clades in quibus crudelem & sæuam Elizabethæ memoriam suspirarunt; eiusque ferrea tempora præ iis quibus arctabantur aurea nominarant. Eam ob rem quod ea regnante, ac furente, nunquam iis in mentem venerat, vt malis supremis de remedio viderent, cuius vel primi apparatus consternaturi essent Europam vniuersam; hoc sub primordia Iacobi, vt quibusdam Catholicis atrox fuerit non nego, in cogitationem admittere, at enim eos ad hoc perpulisse seu forte melius dixero, ad hoc comparasse, euersis (quod solent intolerabiles, & remedij omnis expertes miseriæ) illorum iudiciis; Ministrorum profecto æquitatem, & prudentiam violauit non mediocriter, quos mille casibus experientia docere

cere debuerat hoste desperato, nihil esse formidabilius. Iam vero hic Regis extra metas progressus (ex Catholicorum sensu loquor, nihil de cœtero inuestigans,) & à verbis optimis ad facta haudquaquam similia, Regis esset ipsius instinctus spontaneus an alterius, quem fama hominum, & librorum vulgauit, vtrimque occurrunt, quæ vetant quicquam pro certo statuere. Hinc prolixæ Regis contestationes denuntiatæ Catholicis; hinc eiusdem, sui mancipatio seruilis ad arbitraria omnia Ministri intimi, sed rei Catholicæ, & Catholicorum cruoribus ad furorem infensi furorisque huius licentiores nunc habenas in Iacobi gratia interiore assecuti, quam apud Elizabetham paulò ante, apud quam ille tunc inter Anglos primus; nunc vero apud Regem solus, de quo me plura nihil iuuet addere. Sed paucis versibus dicta colligere quæ, verè an falso, ferebantur, ipsomet ex Rege in Catholicorum detestationem, & odium excepta; post etiam partem factorum adiungere, quibus publicæ rei administri manus admouerunt, in eorundem euersionem, & ruinam, quibus ex vtriusque ratum volo, ac verum ferri iudicium, magno cuidam quisque is fuerit, satin' æqua esset pronuntiandi causa coram Parlamento, re nulla, ne quidem percui, pulsatos esse Catholicos; sed maligno instinctu, atque ingenio Religionis Catholicæ, actos esse illorum aliquos in consilia desperata præcipites. Quotidie igitur Decanus sacelli Regij excoctissimus Puritanus apud Regem prandentem de capitibus credendi agitabat, & contra doctrinam Catholicam ex mensa perinde vt ex pulpito pronuntiabatur. Vsi hoc aditu Caluinistæ, minus sibi, aiebant, vtili, quam Papistis damnoso, Regem assiduè pangere, qua sciebatur accutissimi sensus esse; submministrare Decano sententias auctorum Romani Iura Pontificis vt rei, & veri poscebat ratio, doctè probantium; recitaras Decanus, nexu falsissimo detorquere illas in Regum imminutionem; inflammari Rex vafra licet, & mendacissima perorantis disputatione, & excandescere, & quicquid tandem in eas diceretur, inde veri color cœteris allini, quæ Religionis aduersarij fuisse vulgabant à Rege prolata. Erant autem dicta in Papam, aspera; in fidem Catholicam acerba, ibantque mox in vsum, & stylum cum de similibus agi contingeret, vnoquoque dicteria regia cupidè affectante. Superuenit decumano huic malo Eduardi Cookei Puritani, & Procuratoris fisci, liber exsecrandus, & pestilens, quo violentarum tormento explicationum, ex Iuris Anglici textibus conficiebat Catholicos, hoc solo quod essent Catholici proditores esse, reosque maiestatis in primo capite, vt qui Regi ereptum Regni dimidium, Papæ tribuerent; hoc est diuinam sacramque potestatem, à temporaria nullo iure scindendam. Quare vt primis Ecclesiæ seculis hoc vnum quærebatur, essetne quis, an non Christianus? Eratque satis ad rogum, & bestias *confessio nominis, non examinatio criminis*, sic Anglos Catholicos, professione fidei quam tenerent, proditionem confiteri. Offendit lectores proiecta scriptoris audacia; admiratus est rex tanta scientia saturatum caput; auxit illum noua dignitate, summisque laudibus; & Cookei victus argumentis, sibi certò constare asseruit, non posse proditorem à Pa-

pista; reum maiestatis à Catholico seiungi: tum (quod consequens erat quodque Baro Scotus ex eo se audisse, aiebat,) magna se teneri fiducia, pessimæ nationis toto suo ex regno ab vsque vltimis radicum fibris extirpandæ; haud illo quidem Elizabethæ stylo, plus fragoris habente quam fulminis, binos, senos, denos publicè necando; sed latenti & surdo, tot illos arctando, & opprimendo miseriis vt Iobo etiam inuiderent. Quæ cum paulatim in opus conferret, sua in mala ludebant Catholici; *abstinere se illum à suffocato*; frangenda nempe Catholicis gula; *& sanguine.* Hoc est corporum laniena; sed eo denique venturum, nec enim accipitrem perdici prius quam figit vnguibus rostrum infigere illamque deuorare, quam plumas ei sensim detraxerit. Rerum ergo magis exitialium tristi silentio, quam verborum sono sancitæ sunt aduersus Catholicos Elizabethæ leges, etiam illæ quas sat habuerat tulisse, præstatione qualibet neglecta., missi qui eas exigerent; & nouæ veteribus additæ. Rogatus est maiorem in modum, ne vellet deinceps onere menstruo intolerabili, nummorum octoginta grauari Catholicos, qui à templis Protestantium abessent, & claudebat Catholicis intra hebdomadas quatuor hunc mensem auaritia exactorum, porrigebatque hac fraude pœnam in annos mensium tredecim. Respondit prolixè Rex, simulque breuiter; ne grauarentur; sed responsum mox atrox edictio sequitur, eius multæ non modo in posterum soluendæ, sed ab retroacto præfixi temporis, & exigeretur etiam ab iis quos, vel priuata lex, vel quocumque modo Elizabetha exemisset; quibus præsens non esset in numerato pecunia, duas amitteret tertias bonorum stabilium; repetundis præessent Episcopi quorum potestate, & odio, nihil Catholicis poterat terribilius imponi, & vero res tandem in hoc præceps ruit, vt taxæ menstruæ nummorum, minima ratio haberetur; sed Catholicorum haberetur delectus qui plus opibus pollerent, & addicerentur Scotis potissimum in Angliam aduenis, tres, quinque, sex plures, prout erant Regi cariores quorum ex manibus liberare se patrimoniis, vel totis, vel dimidiis cogebantur velut forent ob damnatum crimen, in fiscum redacta. Nec vero quicquam Catholicis proderat, ad violentam hanc, & iniquissimam expilationem declinandam, repræsentare Regi præterita sua in matrem ipsius merita, ob quam fuerant eorum complures ab Elizabetha pessimè habiti; ea quin etiam, Ministrorum vafricies perfida, criminabatur tanquam apud filium Regem commerita. Imo ipsi quoque Protestantes, auersabantur velut inhumanum matris eius tamdiu iacere ossa leui humo tecta, eo ipso loco vbi Regium caput posuerat, calcarique passim prætereuntium commeatu. Fuerat ab annis tribus & viginti, Edemburgi Scotiæ vrbe primaria, communis professio fidei promulgata, qualem Puritani edere pessimam potuerunt, vt qui Regem tunc ipsum regerent, eiusque linguam ad firmanda quæ libuisset adhiberent. Vix vsquam alibi extra vocabularium hæresis, & meri Caluinismi tam multa reperias, ab omni vero, & decoro tantoperè aliena, vt in illa, non dicam quam vocatunt professione fidei communi; sed perpetua Catholicæ fidei detestatione. In ea Christi Vicarius cognominatur Antichristus.

Antichistus. Potestas ipsius, tyrannis; leges, oppressiones; doctrina, fallaciæ; decreta execrationes. Sacrorum Ecclesiæ rituum ceremoniæ antiquæ, superstitiones, & sacrilegia, missæ sacrificium adorandum, commentum diabolicum: Sacramentorum septem mysteria, spuria; pœnitentiæ sacræ remedium, desperatarum furor animarum; synodus Tridentina, crudelis, & sanguinolenta coïtio; carnificum scilicet ad conscientias torquendas, & similium quam multa pleno folio capiuntur; impiorum, ac hæreticorum dogmatum, horribilior sentina, quam quæ omnium fortassis hæreseos Principum sepulta codicibus lateret. Hæc erat in Scotia fidei vt appellabatur confessio. Hæc ipsa, ne dempto quidem vocabulo, ingresso vix Angliam Iacobo, edi publicè iussa est; templorum frontibus Londino, tota legenda præfigi, Regno similiter vniuerso vulgari. Eius vero Ecclesiæ corporis quod coagmentabat communis in confessionem illam consensio, Regi libuit caput esse, idque vt omnibus ratum esset, ac se quisque de illo id credere profiteretur palam, condita est ad hoc formula iuramenti, quod deferebatur vnicuique iurandum, id si admitteret fidelis Regi; si reiiceret rebellis haberetur. Quanquam autem qui Regis aduentu è Scotia latè Angliam inundauerant Puritani, genus omne imperij damnent, velut tyrannidem in Dei filios vsurpatam (quo se nomine ipsi nobilitant) Iacobum tamen eius Ecclesiæ supremum adorauere caput, sibique fas esse voluere, aut peierare contra quod sentirent; aut ex fundamentis suæ ipsorum sectæ, ad hæreticos transire, vtili nimirum apud inuictissimos sycophantas omnium domina ac potente, Regis gratia; recusantium spoliatione, populorum commendatione, suffragij ambitu in Parlamento obtinendi ad quod non poterat eligi qui iusiurandum detrectasset. Saluo tamen Regi suo illo Primatu; suum Episcopis negarunt Puritani, nec præter Catholicum Ecclesiastici vsum officij de Protestantium ritibus quicquam admiserunt. Quin vt sectæ illius tumultuosa est, & proritabilis natio; prædicando, scribendo, minando cœpere res nouas agitare. Rex illis per triduum se coram, & Concilio intimorum auditis (aderant autem Protestantium Præsules, & Puritanorum ministelli) fidei articulos condidit; & de publicis precibus, formaque Rituum edidit Decretalem. Verum enim vero tam prauis, & distortis ex membris cum vnum fingere corpus Ecclesiæ non posset, facile distractos inter se coniunxit ad dissoluendam Religionem Catholicam, instaurandis contra illam canonibus quatuordecim supra centum; dataque libera facultate, eius machinis omnibus deuastandæ. Post hæc die quodam concionantem audiens Patritium Galouuayum, patria Scotum; Religione Puritanum; professione ministellum; vita suis quoque propudiosa sectariis, exsecrandum; vidit extrema concionis parte conueniri se oculis & conuersione totius corporis ab effronti; compellarique hac impiorum verborum audacia. Nunc solum Iacobe tete Rex alloquor! audiat cœlum, & terra quod dixero; audiant populi, & qui adstant præsentes; & longè semoti, audiant nati, & qui ex iis nascentur. Tu Rex in Scotia, promissione voti Deo sanctè fidem obligasti, futurum vt tota Anglia Pa-

pistarum relinqueres neminem; eorumque idololatriam nullis conditionibus in Regno sustineres; quod idem scis mihi te quoque pollicitum. Hoc ergo Rex editum abs te votum, & promissionem, testificatione publica denuntio populis, qui nunc te coram, me audiunt, sumque idem mortalibus omnibus in valle Iosaphat denuntiaturus] hæc ille, quæ Rex visus est confirmare, ac multum probare libertatem illam manifestandi populo suam mentem; ferebaturque Rex ea homini dictasse, quòd sibi sentiret profutura ad dissipandas suspiciones beneuolentiæ nimiæ qua mussabant hæretici dignatum Catholicos, aduentum illi gratulantes. Peiora ex pulpito S. Pauli deblaterauit Ricardus Bancroftius tunc Episcopus Londinensis, paulò post Cantuariensis, & prodiit liber qui notum volebat, peruagatumque vniuersis, Iacobum Regem Deo coram, eiusque Angelis testatum, hærere se Religioni quæ colebatur in Anglia radicibus fixum tam solidis, vt stillam sanguinis haberet nullam, quàm non esset vltro in ea propugnanda cupidè positurus. Multo magis coronam, & regna, vel si pluribus decuplo potiretur.

Iam sectæ Caluinismi duæ, Mollis & Rigidi; Protestantium, & Puritanorum, cum æqualiter ferè Angliam scinderent, conspirabant tamen concordi rabie ad exterminandam Regno fidem Catholicam; habebantque Regem à suis partibus. Vsus ergo Rex tamdiu eorum linguis, dum audiri per se toto Regno non potuit; coacto demum Parlamento sese aperuit, haud quidem, vt moris, Cancellarij sui ore, sed per se ac suo, ne quod eius dictum, negari posset, eius propriè dictum esse.

Orsus ergo Anglorum sermone cultissimo dicere, (quod misit postea in typos) qnantis suo aduentu prosperis, & veteribus & nouis refloruisset Anglia, pacem illi foris gratulatus est cum Principibus externis; pacem domi cum suis, consensione, Anglorum & Scotorum vna sub vno capite, ac Rege; consensione hac duorum in vnum Regnorum, Insulam paruum in orbem commutatam, qui mari tanquam fossa, & diuideretur simul, & contra hostes muniretur. Tertio istorum propagationem, & perennitatem prosperorum in filiis quos esset relicturus, felicitatis publicæ tutores.

Postremo, Religionis vt quidem vocabat, Puritatem Parlamenti pridem legibus stabilitæ, nec diuersæ ab ea quam cum lacte duxisset, cuius antea membrum, nunc caput euasisset; atque hic in se, suamque in fidem digressus paululùm; inuectusque aduersus Catholicos, quorum alij minus sontes, alij grauius, prout illos à vero simplicitas, aut malignitas auertebat, edixit nullis conditionibus tolerandos quicumque vllum in Regnum suum ius, vel auctoritatem Pontifici Ro. tribuerent. Hanc videlicet Sacerdotum culpam quos insectatus est peracerbè, onerauitque illos inuidiosè doctrina illa velut Romæ concepta, de potestate Pontificis in ditiones, vitasque Principum; (cuius nullum vnquam verbo factouè indicium ab aliquo præbitum Sacerdote probari potuit.) Ob hoc tamen Catholicis Sacerdotum discipulis, spes omnes in perpetuum abstulit Religionis ipsorum in Angliaferendæ. Pugnare id cum æquitate, cum iure, cum legibus; se

vero

vero id magis non toleraturum, quam ream proditi ab se Regni famam, quod cum liberum suscepisset Papismo iterum subiugaret. Qua propter vt ab se subiectis fidelibus omnia erant expectanda quæcumque possunt à bono principe proficisci, sic obstinatis in sua perfidia Papistis, nihil nisi inimicum. Exinde iam illis bellum indicere ita quidem tunc ille; sed in alia solenni allocutione, vulgatisque in vrbe, & Ibernia edictis, bacharri non destitit in væsanam & solidam, vti eam notabat, Catholicorum expectationem, tantum sibi de Regis amore spondentium, vt Religionis professionem sibi permitteret suo legendam arbitratu; quod sacrilegium, nec cogitasset vnquam, nec posset sibi tanquam designatum, nisi graui sui cum iniuria imponi. Ferro quidem esto, & patibulis in eos fore abstineret, tum suapte ipsius clementia, tum ne apud illos Persecutor audiret, & tyrannus; cæterum nisi absisterent promissionem illam falsam Religionis Catholicæ in Regno tolerandæ sibi adstruere, ita se cum iis stricto gladio acturum, vt intelligerent quantum abhorreret, Religionis tam perfidæ professione apud se toleranda. Hæc ipse de se vti pepigerat; cuiuscumque tandem auctoritate, facta secuta sunt, nullo enim noui accessu criminis, iussit Catholicos tùm Sacerdotes, tùm laïcos suspendi, & quadratim secari quod exercuisse nonnulla dicerentur ad Religionem spectantia. Cæteros vero vt erat minatus, tam verè ad Iobi redegit angustias, vt de iis Garnetus Prouinciis aliquot obitis, lachrymabiles ad Personium literas dederit quibus dempto maiori eorum numero quos occiderat Elizabeth, negabat Catholicos totis huius annis quatuor supra quadraginta, tot passos miserias, quot breui adhuc tempore, Iacobi Regnum ineuntis. Sub dimissionem Parlamenti, post tempus aliquod reuocandi, ardentem habuit cohortationem ad Iudices in singulas Regni Prouincias Delegatos cum extraordinaria potestate iudicandi & pronuntiandi, seuerissimè inhibens aduersus Catholicos ne quid benignitatis adhiberent, quin omni potiùs duritate iuris in eos agerent, quod profecto aliud non erat; nisi vitas illorum, carnificum totidem cruentæ libidini mancipare; bona prædonum auaritiæ, & rapacitati. Erant enim omnes Puritani; eorum lictores, & Apparitores fœx plebis famelicæ: omnium Instigator, caputque Popamus, Puritanus. Per eum ac suos, fas erat Catholicos modis omnibus expilare; quo non pertingebat extrema iuris asperitas; eò miseros innocentes, trahebant calumniæ; minori erat iis detrimento tacere indefensos, quàm Iudicibus audiri; sumptus minoris extricare se ex opprimentium vnguibus, pacta illorum ex nutu pecunia, quàm tribunalia appellare. Habebatur sexta quaque hebdomada Magistratuum Conuentus, de inspiciendis Catholicis, & alij quidem, etiam feminæ carceri tradebantur; mouebantur officiis alij, aliorum bona in fiscum ibant; quò quis ditior, hoc & nocentior & magis reus, quantumuis per se insons. Suas cuique licebat siue ditiones, seu prædia, siue mobilia, fisco commissa, ita redimere, vt intelligeret quod prærogabat se perdere, sua minimè se recuperare. Ipsi, nedum alia minus necessaria, diripiebantur, eorum ex ædibus lectuli. Primo Inspectorum in Herefordiam an-

gustam Prouinciam ingressu, Catholicorum familiæ nouem supra quadraginta, iis accensæ sunt, quæ in prædam fisco, & indagatoribus cedant. Tritum erat, & prope continuum intempesta nocte Catholicorum ædes irrumpere, furcifer quilibet, frusto cartæ armatus, totam conturbabat, diuexabatque familiam & inde quicquid libuisset in mercedem, aut pretium, auferebat. Post hæc Episcopi, anathematum suorum, de quibus ante non cogitauerant, bruta fulmina promere, & supremorum inter Catholicos procerum foribus ea præfigere; viditque Londinum à scelesto, & vili capite, Arondellium Comitem, eiusque matrem, & patruum, luminaria nobilitatis Anglicanæ, Vaughano coram duci, vrbis illius Episcopo. Oratoribus Venetorum, Galliæ, & Hispaniæ indictum abstinerent se ab Anglis ad sacra secum admittendis. Datum ad hoc vrbis Præfecto negotium, vt festis diebus armato milite accessus ad eorum palatia clauderet. Seruum domi habere Catholicum, nummis stabat menstruis quadraginta. Magistratus cuiuscumque sectæ, suis excidebant officiis hoc ipso quod vxores haberent, filios, & familiares Catholicæ regulæ sectatores. Adolescentes demum Angli qui transmarinis in Seminariis alebantur denuntiati sunt paternis hæreditatibus, & quorumuis iure sibi legatorum excidisse. Cancellarij petentis arbitrio stellata curia legem Elizabethæ permisit instaurandam, qua recusantibus, vt vocitabant Catholicis condendi facultas testamenti tollebatur, & cuiuscumque alterius vltimæ voluntatis; exigendorum quoque ius nominum, locationum, & censuum; suasque in foro deponendi querelas, & lite agendi, pro exulibus denique censebantur, & rei violatæ maiestatis. Postremo vt sileam de Sacerdotibus reliquis, edictione iterata cum nostri ex Anglia iuberentur intra decretorium spatium excedere, excessit nemo. Absoluo paucis narrationis huius triste carmen quibus sedente adhuc Parlamento, die Christo in cœlum ascendenti sacro accitos regni supremos Iudices, inter alia plurima est affatus. Sibi nempe decretum, & fixum animo sedere, vt Papistæ officiis omnibus, dignitate, Magistratibus, Præfecturis, vel quæstuosis, vel honorificis æternùm carerent, cuius suæ mentis cum rationem edidisset nescio quam. Erit forte, inquit, in vobis qui sentiat, non esse Papistas nouis oneribus prægrauandos; tot retro malorum continuatione tam longa obtritos iacere vt miserationem sui magis & lachrymas cieant, quam metum; viderique superuacaneum, in eorum exitium, præter ea quibus pergunt perire, alia comminisci. Huic, inquit, ego respondeo, commeriti sunt quicquid patiuntur, suntque deinceps perpessuri. Quod extremis premantur & contabescant malis, egentes, mendici, semiuiui, ex conditione illius iniquissima id factum quem sibi optarunt in dominum cum se diabolo tradidêre. Nobis è contrario Deus Dominus est, iustus, & potens ad remunerandum. His ille dæmoni Catholicorum assignabat vexationes, afflictationes & ærumnas ad quas eius Ministri tantum per se operæ conferebant, vt nullo dæmonum egerent auxilio.

Vexatione

Vexatione in Anglia Catholicorum augetur numerus. Ex iis pauci quidam famosam designant coniurationem quæ pulueraria dicta est, Duce Roberto Catesbyo. Eorum conditio, & causæ atrocis consilij, secluſis Sacerdotibus, & inſciis concepti. Responſum ferox Londinensis Episcopi; minæ proximi Parlamenti; pax inter Angliam, & Hiſpaniam inita, nulla Catholicorum mentione, postremus fuit coniuratorum impulſus ad audendum.

CAPVT III.

HÆc tamen longè quam prius atrocior tempestas aduersus Catholicos contra spem, & contra meritum ingraueſcens, tam procul abfuit à minuendo illorum numero, vt vnius decessu, cuius ignauiam, Episcoporum potissimum strauisset violentia, lucrifierent decem & viginti; huius rei testem penès me habeo tum Garneti manum qui strenuam dabat iis conuersionibus operam; tum linguam & verba Cancellarij supremi, qui magno strepitu, in frequenti conuentu consiliariorum, & Iudicum id expostulauit; imo Regis ipsius qui miraculi perculsus nouitate obstupuit: pro nouo scilicet multumque peregrino interpretabatur, spiritus sancti miraculum, quo Christi Ecclesia suo inde ab ortu, iis ipsis aucta est quibus in ruinam vrgebatur, lucemque non auersantibus clarè aperuit se supra humana infinitis spatiis eminere, quæ aduersis tandem labefactantur, & defluunt. Perstrinxit hæc eadem patientiæ maiestas & potestas Imperatorum veterum maiestatem, longè aliam à Iacobi sua cum Britannia maiestate, cum viderent illam, suo omni, suorumque exerto crudelitatis ingenio fortiorem, ferro, igni, & omnibus glorioſius crescere, ac numeroſius, quibus crudelius, & pertinacius in vastitatem, perniciem, extremumque interitum præcipitabatur; Hanc suis in Anglis patientiam inuictam malis & triumphantem aduertit Iacobus, non tamen pro virtute suspexit, sed in eam, ludens, clitellarios Asinos in regno iocabatur habere se in partes diuisos; partem alteram esse Catholicorum se-

num, quorum terga obcalluissent portandis oneribus, ferrentque non modo ac perferrent quicquid libuisset superimponere; sed adiectos quoque dissimularent fustes, & demissis auribus progredi pergerent; alteram esse partem iuuenum Asinorum, hoc est Puritanorum, qui sensu nimium acuto præditi, nec teneri capistro, nec ligari fune, nec premi onere sustinerent, nec duci insidere ab sessore, sed quemuis ad tactum duriusculè prementem, velut correpti diabolo furerent, calcitarent, circumagerentur, & tandem victores, sese vna, & onus excuterent. Vertebatur hæc item, Puritanos inter & Protestantes paræmia, stultos Dei esse Catholicos. Quod stultum censerent mundi sapientes, vltro rei, vitæque adeo pro Religione iacturam facere, quod erat Catholicis tam quotidianum, quam hæreticis inuisum, velut suo ex Euangelio illud Christi obliterassent verso stylo effatum grande, ac præpotens, *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Semel enim ab se Religionis veræ soliditate abdicata, venales prostabant ad quamlibet veluti optimam, quæ sibi vtilis, & lucri plus esset allatura. In quo Puritani vituperandi erant præ cæteris, qui cum damnarent tanquam sacrilega quæcumque Protestantes cum Catholicis habebant communia, ipsi tamen aut Regis, aut lucri gratia, religioni haudquaquam ducebant, Protestantium amplecti partes, eorumque professioni Episcopis, templis, & ritibus subiici, apostasia sibi ob vtilitatem, in cultum Dei legitimum consecrata.

Hac nihilominus tam nota, & illustri Catholicorum patientia in aduersis, non deerant, qui Regis in illos spectata feritate futurum præsagirent, vt tum ii omnes, tum præcipuè Iesuitæ, Rebellionum & Proditionum solitis peterentur, & vexarentur calumniis. Fundabat hos illorum metus, (præter malitiam aduersariorum fingendo procliuem) defensionis propriæ ius, cuique ab natura datum, & depellendi ab se se oneris quo intolerabili oppressus perit, & moritur.

Nam si eiusmodi fabulas sub Elizabetha mitius sæuiente finxerant sæpius Protestantes; quanto liberius atque audacius Puritani sub Iacobo, cuius regni susceptа principio Catholicorum vexatio incruduerat processu temporis. Sed enim, quæ Dei laus fuit, coniuratio in eum duplex, aut vna potius semicapitum duorum, vnius partem dimidiam ægrè implentium, cum vix dum Angliæ in throno consedisset; tantum abest sui suspectos Catholicos fecerit vt inde potius fidelitatis claram famam, indicatione illius manifesta obtinuerint apud omnes, eiusque etiam nonnullam laudis egregiæ in partem idcirco Societas venerit, quòd primæ illius socij duo & secundæ authores Vvarsonus, & Clarkus, capitalibus inimicitiis, & libris insectarentur Societatem nostram. Ac feciſſet Deus, ne aliæ vnquam potuissent coniurationes Catholicis præter has tribui, aut fictas scilicet, aut ab hominibus improbitatis notæ motas, & sacrilego schismate ab Christi Vicario alienis. Quàm glorioſum illa Ecclesia iure possideret, ostentaretque nomen, afflictationis annorum plus centum, infractis animis toleratæ, & patientia ineluctabili domitæ. Inuidêre hoc illi dæmones

tantum

tantum decus. Inconsultam paucorum pietatem, ignoratione, ac silentij arcano, assessoribus consulendi pessimis, decepêre; commendauit tamen mirificè illorum deceptio cæterorum omnium fidelem prudentiam, inter quos cum essent innumerabiles, maioris ingenij, roboris ac mentis, pareſque consilio tam periculoso; abstinendum sibi ab eo censuerunt. De illa loquor coniuratione misera,& miserabili quam ex cuniculo igniariæ machinationis in quem erat desitura, puluerariam nominarant. De qua priusquam aggredior scribere, præmittendum puto saltem in genere de tredecim illis qui coniuratorum conflarunt numerum, qui? & cuiusmodi? conditionis cuius essent ac nominis? Nam qui primas dictauit Iacobi literas, quibus toti regno parricidij tentati, scelus nefarium promulgauit, coniuratos depingit velut ex sociis Catilinæ Sallustianis apographos. Thomam, inquit, Percyum nobilem, & quosdam alios cum eo colligatos, homines Romanæ superstitionis corruptione depranatos, & ab ea in illam inductos tanti furoris, & sceleris cæcitatem. Nacta videlicet perditos improbitate omni morum ad nefaria quælibet proiectos. Pauciſque interiectis, crimen, inquit, suum, superstitionis quam colunt studio prætexunt; re tamen ipsa in publicæ rei, regnique perniciem spectabant; egentes enim, obærati, nominibus impares, creditoribus perfidi, captabant in prædam facultates opimas locupletum quibus mendicitati suæ opitularentur. Hæc illud Edictum literatum, sed commenta mera inuentionis extraneæ, ex veris,& propriis nihil; ex falsis omnia quæ trifariam repræsentat, egestatem, improbitatem vitæ, mentis prauitatem. Dempto enim Thoma Bartesio, (conditionis tunc, post etiam animi seruilis) omnes erant claro loco nati, & diuites; parque illorum inter eos lectum, quod sufficiendis sumptibus iisque grauissimis abundaret. Architectus operis, & Præses Catesbyus, censu pollebat paternorum bonorum annuo ad multa nummorum millia.

Euerardus Digbyus,ditionum dominus,& pagorū, dignitatem illam, non parcis opibus sustinebat. Percyus Regiæ pēsionis beneficiis adscriptus,Northumbriæ Comiti Sobrinus, mulcta centum viginti millium nummorum quibus suspicionis vmbram luit, quantum opibus valeret plus satis probauit; ac ne suorum cuique bonorum indicem describamus, quem vulgauit rumor, impunitatis pretio, conspirationis arcanum violasse, potissimam habuit insimulationis huius causam, quod cum esset valde opulentus, maluisset sibi facultates suas, quam fidem sociis iuratam seruare. Verum aliis in duobus, mendicitate peioribus, vt edicti scriptor arguatur, falso fœdasse coniuratos latebant adhuc exceptis perpaucis, eorum nomina cum id edictum vulgaretur; ipsi se tantum post dies aliquot prodidêre, dum in armis, & simul, milliaribus centum ab aula equitant. Londini tunc denuntiati, tunc edictione secunda missi qui pressis concluſos vestigiis vrgerent & comprehenderent. Qui potuit ergo edicti prioris famosus scriptor,nisi mentiendo vitam iis improbam, & propudiosam appingere? Quin imo, dicere liceat, excepta coniurationis quæ nullam admittit excusationem, culpa grauissima; haud scio an facile inter Catholicos, eius probita-

tis, meriti, ac virtutis reperirentur multi, quæ aliàs tranquilla Ecclesia posset iure sanctitas vocari; afflicta & exagitata, hic esset vulgari, & quotidiano virtutis nomine contenta. Ne ipsi quidem aduersarij de iis aliter sensêre; nec regendis eorum animis multos annos præfecti diuersa scribere potuêre, damnato solum coniurationis negotio, quod nullam haberet excusationem, causam eorum quamlibet aliam præstantia operum efficaciter perorabat. Tolerantia malorum pro Christi fide; receptus Sacerdotum interdum ad viginti, quorum à singulis pro accepta benigni hospitij charitate, capitale hospes suscipiebat periculum. Tam multos Caresbyus notæ primariæ nobiles, aulicos, passimque alios reddebat Ecclesiæ, vt diceretur quasi prouerbio affixum lateri ducere Sacerdotem, vt cuiuis statim Protestanti, ad conciliandum cum Deo animum præsto esset. Omnium denique religio, pietas, sacrorum vsus frequens, misericordia fouendis Catholicorum familiis vnaque à fame, & apostasia defendendis, argumenta fuêre probitatis eximiæ, donec ad illam impingitur offensionem obcæcatæ mentis, ex virtutum principiis per errorem & falso deductam, virtutis profecto nemo negauerit fuisse, & quidem arduæ, vitam eius in flore, & caras vxores, & paruos liberos, & quicquid solet blandiri hominibus spernere & calcare vt (quod ex perperam putata causæ illius bonitate certo futurum confidebant) iugum detraherent intolerabile afflictissimæ Christianitati. Nec enim ambitus, nec alieni vesana cupiditas, vt criminabatur edictum prius, sed pietatis deceptæ ardor improuidus, eò vsque perstrinxit infelices, vt contra omnis iudicij dictata iudicarent, innocentibus redimendis nihil restare, nisi si partem regni lectissimam & optimam perderent. Quæ persuasio sceleris, idcirco illos biennium tenuit, quod eos nullus interea vindictæ, aut irati animi, vt postea fassi sunt, morderet dolor, aduersus eos quibus mortem parabant; tentassentque, sed frustra, vias omnes, Regis saltem paululum mitigandi, cuius in Catholicos ferox, & sæuus animus increscebat in dies acerbius. Quæ item causa iis fuit vt in consilium, Sacerdotem adhiberent nullum, nisi forma verborum, rerumque ita simulata vt non posset de vero ne suspicari quidem nedum diuinare; ob eam quoque rem, Machabæorum inter se gloria & officio gaudebant, quos Sacerdotibus exclusis legisset olim Deus ad vindicandam populi sui, cultusque libertatem armis, quæ sola tunc aliquid poterant, & sola supererant. Postremo pro tribunalibus, mortisque ipsius, & diuini iudicij conspectu ob oculos posito suam hanc denuo contestati sunt mentem; vixque in iis fuit, cui pœnæ dolor pœnitudinem cieret facti; factum vero, qui malitiosæ conscientiæ, sceleriscque damnarer, prorsus nemo; adeò falsa persuasione ab omni se culpa, non securos modo sentiebant, sed tutos. Eam ob rem Rex frequenti Parlamento auditus est cùm affirmaret illis consilij perditi Religionem solam auctricem fuisse. Proin sibi iure à Papistis quidem cauendum omnibus, sed iis præsertim, & curiosiùs, qui essent solidius in sua perfidia obfirmati. Hoc est eius è stylo, qui essent inter Catholicos maximè constantes. Purgatis nunc facinoribus

ribus quibus cõiuratos edictum prius maculârat, ad facta ipsa descendamus.

Atroci consilio Regis suo cum Parlamento occidendi, vt colorem omnem excusationis adimeret scriptor non semel nobis sub stylum rediturus, Iacobum deprædicat clementissimi erga Catholicos pectoris; nec potuisse Catesbyum quicquam prætexere, quo mala extrema suaderet extremis curanda remediis, cum tunc iis aureum flueret seculum. Quin vt Regi blandius aduletur, cuius Orfodij erat Theologus, narrat Catesbyum de excutiendo in auras, & puluerem Parlamento, in Anglia, Belgio, & Romæ, communicasse cum multis conceptum furorem, Elizabetha etiamtum superstitie, iisque inuoluit, quos mauult Catholicos, & de quibus lubet mentiri Iesuitas; atque adeò Papam ipsum, alioqui, nec satis fidei, nec plenam gratiam apud hæreticos initurus, si quos istorum omisisset. Sed auctoris huius pugnantia inter se mendacia iustum per se volumen facile conflarint. Rem vti se habuit ex veris liquido refero. Promissis in Anglia rescissis, quibus in Scotia Iacobus dicebatur lactasse Catholicos, ereptaque iis æternùm spe omni fortunæ mitioris, tanquam flatu primo impulsus Catesbyus cœpit cogitare de admouenda cruento remedio manu. Annum agebat tricesimum tertium; commendabat virum ductus sanguis ex nobilitate Regni prima, & antiquissima, dotesque omnes quæ possunt ortus tam illustris dignitatem magnificè fulcire. Has inter duæ potissimum, Candor animi singularis, eiusdemque par quibusuis arduis magnitudo, quibus accedebat conciliatricula omnium incomparabilis comitas, & digna præclaro Catholico decora, quæ amicitiis potentem effecerant plurimorum, in quibus fuit Thomas Vvinter Roberto Catesbyo natu minor, cui primo credidit sua de coniuratione consilia, multaque vt erat tum agendo in præsens, tum prospiciendo in futurum animosus, & sagax obiectanti, dubitantique de vi adhibenda in subsidium calcatæ rationis, de suscipiendæ rei iure, de illius euentu, tam multa, tam aptè disseruit, vt nihil ambigeret, causam ex æquo suscipi iustam, & vtilem, totumque se illius beneuolentiæ, nutibus, & voluntati permitteret. Nec dissimiliter duo illi qui se postmodum iis adiunxêre Thomas Percyus, & Ioannes Vvrightus, doctissimi vir formidatique tota Anglia ensis, qui sua cum forti & magnanima coniuge multorum retro annorum pericula constanter pro Christi fide exhauserant, nec abstiterant vnquam à Sacerdotibus benigno hospitio colligendis. Disputata est primum in hoc quaternario virorum cogitati negotij ratio; vicitque pars, aiens, eundum in omnia bonorum, & vitæ pericula pro Religione, & redimendis Catholicis: ante tamen quam ferro, & igni ageretur, alia omnia prætentanda, & quiduis aliud si posset tranquillius & innocentius eligendum; id autem omni, & studio, & cura inuestigantibus, nihil vsquam potuit deprehendi, quod fiduciam aliquam faceret meliorum, nisi si pace cum Anglis Sancienda complecteretur Hispania Catholicos Angliæ. Ad hoc si Iacobus se durum præberet; nec auersaretur modo quam petebant conscientiæ libertatem, sed moderationem onerum, quibus premi ferebant; dumtaxat ne penitus obrueren-

tur, & præfocarentur; tunc vero se quod vnum restaret, quodque suum esset, possentque facturos. Subterraneocauo, sub aulam vtramque Parlamenti cuniculum igniarium acturos, huic primo Ordinum consessu ignem subdituros; reliqua se Deo, euenturisque permittere. Ad hoc porro se vnum omissis cœteris, necessitate vltima redigi, quod Regnum in partes scindere, & iusto exercitu in campum descendere, tum esset paratus difficilis; tum ambigui exitus. Quanticumque forent Catholici, pauciores semper aduersariis fore; plures tamen semper quam secreti fides ad conscribendum militem poscceret, quæ nisi prodigio non posset à multis præterquam infida expectari; cum ipsi ducendo cuniculo, vt alia omnia deessent, vel soli sufficerent. Iam vero fiducia quanam à Principibus externis rebusque publicis posset auxilij aliquid flagitari? Cum ne fidem quidem eorum miseriis præstarent, nedum miserationem, opisque ferendæ studium.

Vulgabat vbique gentium, scribæ maligni perfidia, nec silebant in ipsa quoque Italia, circumforanei nouorum præcones, Regi nouo Iacobo nihil æquè cordi esse vt paternum in suos animum; Mariæ Stuartæ parenti optimæ mitissima indole erga Catholicos illum duci, expectarique ex eo propediem Religionis liberam facultatem. Cantabantur hæc etiam plausibilius Romæ quam alibi, fallebanturque illi procliuius quibus Anglicanæ Ecclesiæ salute nihil erat carius; dedocente licet incautos & deceptos suis literis Garneto, è medio scriptis malorum æstu præsentium, & quotidie ingraueſcentium audienteque subinde fractas voces, & gemitus, & minas tacitæ desperationis quas præcipitauit, & proritauit acerbius Londinensis Episcopi Ricardi Brancoftij responsum atrox, dum attolleretur in sedem Cantuariensem. Sibi enim oblato Catholicorum nomine libello supplici, quo rogabatur, si minus eos defendere, at communi saltem humanitate illa nequaquam excludere, quam inuicem omnibus natura imperat; insontem videlicet; nec te vlla in re lædentem non lædere, multo minus ferrum vbique in eos stringere, (quod feciſſet ipse sub Elizabetha Episcopus, forensibus Ministris quibusuis crudelius) perinde vt si eorum lachrymis, & cruore iucundè pasceretur. Modum poneret malis quæ iis conſciuisset; nec vellet ipsorum miserias quas ne hostes quidem siccis oculis ferrent, in postremam quæ parum aberat ruinam impellere; petitionem miserorum crudelis senex contracto vultu, & responso præcipiti feroque excepit. Lusum fuisse sub Elizabetha, nunc serio agi: regnante illa & cum annis cadente, visum media via aduersum Papistas incedere; quin leniter magis quam asperè, nec iis impunè omnia donando, nec pro commeritis puniendo, ne si forte post Elizabetham, irato in Angliam cœlo, Papista rerum potiretur, iusti nobis vices talionis abundè reponeret, haberetque nos saltem non indulgentius quam essent Papistæ à nobis habiti. Metu illo sublato, & cœlo fauente, post Iacobum sceptri possessione pacifica firmatum, spebusque futuris prole Regia stabilitis, tempus esse agendi non dissimularet, inuehendique in Papistas nihilo lentius quam in hostes quoad absolueretur penitus Regnum ab eorum infestatione. Erat hæc eadem Archiepiscopi

chiepiscopi huius, & aulæ mens, quæ vt ex minis in facta conferretur, expectabatur tantum alter Parlamenti consessus; prior enim Rege tunc recens coronato Kalendis Martiis habitus, paucis in cassum obstantibus, instaurauerat aduersus Catholicos leges omnes quibus illos pars sanguinolentis, pars pecuniariis vexarat Elizabeth, eiusque retro Parlamenta. Ex quo Puritani perfricuerant frontem adeò impotenter, vt amaro illo Roboan Sarcasmo Catholicis obuiis insultarent. *Cæcidit vos flagellis* Elizabeth, cædet vos scorpionibus Iacobus. Verum in secundo Parlamenti consessu (quod partem prioris melius vocarim, haud scio quamobrem in principium hiemis reiectam) Puritani qui plus suffragiis pollebant, cum infimi Ordinis totum ferè conflarent numerum, superioris etiam non paruum; ominabantur, eratque in eorum potestate; victuram sententiam quæ Papistarum omnium communi strage, vel eiectione ab iis Angliam liberaret. Quæ vaticinia ex inimico eius animo profecta, cui erat in votis, & rata facere, & pro sua auctoritate facilè poterat, Catesbyo visa sunt eiusque sociis, æquè perperam cum illo affectis necessitatem inducere, Parlamenti totius, si salui esse vellent, simul præoccupandi, defendendique ab se ius stragis edendæ, professione aperta factorum hostilium, quibus Catholicos contra omnia iura deglubebat, laniabatque Parlamentum. Licere Catholicis, quorum se corpus referre, aiebant, iure vti naturæ, ac Religionis, ad repellendam vim quam in bonis, in vita, & negotio salutis iniquissimam sustinebant, vnoque ac solo poterant destinati cuniculi vitare præsidio. Vehementer quidem suæ huius Theologiæ argumentis falsi, sed illorum adeò tenaces, suæque apud Deum causæ tam securi, vt ab discernenda eius æquitate, communi cõsensu Sacerdotes omnes arceri voluerint, nostrosque imprimis, tametsi solitos confitentibus aurem dare; tati nempe illos nec satis ausuros, nec in re, vt aiebant, æquitatis euidentissimæ, opus esse doctrina, sed animo; nec Theologo consultore, sed facto nobilis Christiani. Vvinterum interea, è quaternario suo vnum, vti conuenerant, festinant præmittere ad supremum rei militaris Hispanicæ Præfectum, priusquam ex Belgio transiret in Angliam ad subscribendas Regis Catholici nomine conditiones pacis, iam prope à Taffio confectæ. Huic Vvinter vt persuaderet Catholicos earum aliqua, modo ne intolerabili, complecti, præter officium Christianæ miserationis, duo exposuit ad expugnandum illum præualida, primum sæuitiam malorum quibus Catholici Angliæ pro Catholicis Regibus, tot annos miserabiliter premebantur, ex quo Elizaberhæ initiis rupta pace; post bello ardente, crediti erant in Reges Catholicos, quam in Reginam suam proniores. Inde atrociter agitati, vexatique suspicionibus, calumniis, carcere, direptionibus bonorum, tormentis, denique mortibus, quas inter extrema calamitatum crudelium, mortuis inuidebant; ob hoc enim Anglis Catholicis, affingebatur in Regem Catholicum affectus procliuior, vt exsecrationibus populi paterent, & insectatio Catholicæ illorum fidei, rebellium vltio, & proditorum pœna censeretur. Nulla igitur cuiquam attribuebatur confœderatio, nulli arcani motus, nisi color

iis aliquis accerseretur ab Hispaniæ nomine, quod libri testantur illorum temporum, à Protestantibus in Catholicorum inuidiam absque numero scripti. Altera Vventeri ratio, probabat Catholicos habitum iri longè quàm ante crudelius, si viderentur ab Rege Catholico negligi haberique cum iis promiscuè quorum nec admodum amicitia tangeretur, nec auersiones curaret, & frigora: futurumque vt hostes nulla Regis Catholici reuerentia tenerentur ab iis diuexandis quorum tam flocci gratiam faceret vt pacem initurus nullam eius in partem eos admitteret, quanquam eius causa tam diuturnis defunctos, & excercitos malis. Addebat Iacobum desiderio pacis huius haud sanè tacito, non difficile adducendum, vt assentiretur, tam æquæ postulationi. Huius demum pacis in parte aliqua seu Societate, Catholicorum expectationes sic esse repositas vt intelligerent, si ea excidissent, omnia sibi esse desperanda, cum præter Philippi III. pietatem occasionis opportunæ tam facili commodo iungendam, nihil vsquam speicit cumspicerent restare. Respondit quam humanissimè stabuli Regij, & armorum Præfectus, ditauitque rogantes piis, fidelibus, & largis promissis. At si Rex Iacobus, scripto quicquam pro illis paciscirecusaret, non abstiturum se à pace quod iussus erat subscribenda. Ac promissa quidem verborum officia apud Regem Iacobum non omisit, sed iis ab eo, verbis item eleganter elusis, totum se Vvinter Catesbyo monito, in res commissi sibi negotij curandas immisit. Traiecit in Belgium quæ belli tunc schola scientissima vbique audiebat, vt inuestigaret hominem, artis igniariæ peritum, natione Anglum Religione Catholicum, intrepidum pectore, fidelitate immobilem, in quem suscepti pondus operis securè deponeret; inuenitque omnino qualem exegerat, nimis heu! suo malo felix, Guidonem Fauuxesium, præter alia supra militem pium, & magnos spiritus gerentem, vt qui annos complures sub Archiduce Alberto militasset. Paucis hunc subegit Vvinterus, tranuexitque in Angliam non difficilius, quàm à se fuisset in Belgio inuentus. Probauit Catesbyus hominem per dies aliquot, perspectoque ad imum eius ingenio, & soliditate, cuncta illi sua cogitationum arcana, credidit, conceptaque illarum præsidia, qui mox quintus cum illis, Decembris vndecimo opus aggressus est, voluentis seculi anno quarto. Sub hæc Regij stabuli, & armorum in Hispania dux, Angliæ propior ad constituendam pacem miserè anxios habebat Catholicos, ne ab ea excluſi prædæ hostibus fierent, sed vltro, vel metu proprio quod futurum erat diuinantes, vel ex nuntiis Vvinteri, in eos erupere quæstuum eiulatus & fremitus, vt omnes misericordia, nonnullos etiam terrore percellerent, apertè siquidem dolebant ignauis se actos consiliis planeque femineis, maluisse spes omnes suas incertis aliorum manibus credere, quam securas apud se in tuto retinere: nam si ex pace illa Hispanica nihil sibi erat futurum præsidij, cur sibi præsidium in disturbanda illa non quærerent? Quibus forte armorum minis audacibus terrere aduersarios studebant, mussantes Catholicis in hac pace nullam indulgeri conditionem oportere. Quod autem in Anglia quæcumque mouerent Catholici Societatis Patribus attribuerentur

tribuerẽtur vt qui omnia apud illos posſent, percrebuerat latè ipsãque adeò per Italiam rumor, obſtare Paci Ieſuitas, eaque tantũmodo ex cauſa ſollicitare Catholicos ad eam diſturbandam, quod Religioni, nihil eſſet ſubſidij allatura. Quibus per literas cognitis Garnetus noſtrorũ in Anglia moderator in hæc verba reſcripſit [nuntia Patauina, de Rege noſtro aduerſus Catholicos grauius affecto, Ieſuitarum quorundam culpa neſcio qua, quam ſint à vero aliena, norunt Angli omnes, qui noſtrorum in pacem ſollicita ſtudia, & ſtrenuam operam præ oculis habent. Nouit alio quouis tum verius tum exploratius Regis Catholici legatus, multo ad hoc noſtrorum obſequio, & labore vſus. Nouit ille ex primis Regni proceribus, qui Ieſuitarum rectam mentem & probam, doctrinam, & prudentiam cum nuper laudaret, peculiari commendatione celebrabat quod in hoc pacis negotio egerant. Nemini denique ignotum qnanto plures Vvatſonus coniuratione ſua inuoluiſſet; niſi nactus eſſet Patres ſuis conatibus aduerſos. Iam ne quis vſquam reperiatur præceps, inquietus, temerarius, turbulentus, non eſt in noſtra ſitum poteſtate; quanquam poſſumus Dei gratia ſpondere Catholicorum partem potiſſimam tranquillioribus conſiliis gaudere. Nec vero admodum nos tangunt quorundam dicteria, malle nos, procuranda pace Regi perplacere; quàm proritandis ad belli minas, & arma Catholicis conditionem eorum facere meliorem, hæc nos maleuolorum dicteria facilè perferemus, imo etiam in lucro ponemus.] Hactenus Garnetus, qui tamen Catholicorum in æſtu ancipiti, de pacis tamdiu ſuſpiratæ incerto fructu, ſic ante aliquot hebdomadas ſcripſerat. Si nihil boni, aiebat, ea Catholicis conferet, haud ſcio id quam patienter portaturi ſint nonnulli; nec quid demum acturi atque conſulturi. Non erit profecto in Patrum arbitrio, & manu ſitum intra officij lineas eos continere. Interponat ſanè Pontifex ſuas curas, iubeatque noſtros Catholicos tumultu, & factionibus abſtinere. Hæc ille prorſus ignarus Catesbyj, & ſtragis ab eo conceptæ, quam nunquam cogitarat poſſe cuiquam mortalium in mentem ſubire. Mihi vero hæc tum recti ſtudio fuere ex Garneto hic lectori reddenda, tum famæ Garneti à mendaciſſimo Proteſtantis libro vindicandæ qui calamniari auſus eſt Garnetum coniurationis huius igniariæ auctorem, atchitectum, artificem, denique animam. Huius enim cuniculi ad exploſionem proximam à primo eius ductu, ſic ſe habuit labor, & machinatio.

Machinatio laborioſi cuniculi ſub Palatio Parlamenti. Nouos Catesbyus adſciſcit coniuratos. Quædam eius conficta quæſtio, ex cuius reſponſo volebat intelligi, licere diuinis legibus ex fabricato cuniculo, malorum remedia petere. Quantum in eo eiuſque ſocius placandis inſudauerit Garnetus, quantumque propterea iis inuiſus, quantùm nihilominus calumniarum paſſus velut ſocius coniurationis. Eius in oppoſitum geſta, & literæ.

CAPVT IV.

NOTARAT Catesbyus domum Vveſtminterienſi palatio adiacentem vicinam in quo erant aulæ ad comitia cogendi Parlamenti; erat hortus domui adiunctus, vtrumque ſibi Percyus conduxit, vt pote honorarius aulicus, & pro ratione officij frequens in palatio futurus. Vallabat horti partem tralatitia ſeu caſa, ſeu cinctus parietum, opertus tecto rudi, occultandis tantum laboribus operis comparato. Illic enim os erat ſubterraneæ foſſionis, & terræ ex ea erutæ receptus idoneus, quæ noctu deinde per horti plana æquabiliter ſparſa, ſtraminibus herbeis tegererur. Latebant illic non plus quinque; inſtabant operi tres, quartus ſemper interquieſcebat, ſuæ cuique ſex horæ laboris mutatis vicibus explebantur. Aſſimulatus in Percyi ſeruulum Guido Fauuxeſius Iohnſono cognomen mutauerat, cum ex longa pridem abſentia, niſi externus non agnoſceretur. Huic in cuſtodiam vndequaque arrecti perpetuo, & ſolertes in nutum oculi, ne ſocij ab aduentantibus interciperentur. Huic quotidianæ & domeſticæ curæ, itus in publicum ad neceſſaria, & reditus liber. Foras alij non prodibant, ne crebritate comparendi ſuſpicionem ſui aliquam facerent. Quare panes coctura duratos nautica, oua item durata, & ſalſamenta varij generis in commeatum ſibi maturè comportarant. Lignea materiatio quam eſſe oportebat, ad ſtringenda cuniculi latera, & fulciendum illius fornicem copioſiſſimam conuehebatur à Guidone ex aduerſa trans Tameſim ripa vbi domum ad hoc habebat conductam.

Incumbebant

Incumbebant in opus reliqui, mira prorsus, sed infelici patientia, & argumento digna meliori; quod nisi perperam statuissent ad grande rei Catholicæ obsequium facere, nec vnquam fuerant susceпturi, nec in susceпto duraturi. Domesticis assuetos delitiis nobiles exhaurire se improbo labore, ducendi sub terra cuniculi cuius minima difficultas, in effodienda humo versabatur; putridi vaporis aura lethalis, & pestilens, & latentium aquarum subinde occursus, modo hunc, nunc illum morbo prosternabant, pergebant nihilo timidius alij; cumque essent omnes proceræ staturæ, vel semper de genu, vel contracti & curui, tam strenuè tamen instabant ligonibus, vt duplo quàm mercenarij fossores opus promouerent, iamque illud ad medium intra Decembris vndecimum, & Christi natalem perduxerant, cum dilatis in menses aliquot comitiis publicis, & ipsi, residuum operis differre, videri, prodire dumtaxat ne vel omnes simul, vel etiam duo.

Has inter operis dimidiati breues inducias, duæ Catesbyum remordebant curæ. Prior qua Thomas Vvinter illum pupugerat; Satin' salua Dei summi lege, & sancta in proximos charitate, posset negotium confici quod eadem clade insontes, Catholicos, amicos, è superiori ordine bene multos, ex classe quoque infima non paucos, oppressurum esset cum hostibus? Nefas enim videri vna & eadem crudeli ruina innocentes pariter, & amicos cum sacrilegis, tyrannis & hostibus præcipitare in extremam stragem. Altera Iacobo è viuis sublato, quem essent illi suffecturi? Hunc enim habere in promptu oportere, æstum hunc animi duplicem vt sedaret, modum excogitauit Catesbyus quo perspicaciam delusit omnium etiam callidissimorum, sed peius, & verius seipse socioque decepit. Certus enim in throno Angliæ post Iacobum locare neminem nisi vnum ex eius filiis, quem sola vi posset habere in sua potestate, vulgauit bellum sibi cordi esse; velle se quam multos valuisset in Belgium Equites ducere, ad ferendam opem Alberto Archiduci, quod nullæ vetabant conditiones pacis inter Hispaniam, & Angliam sanctæ. Laudauit Cæcilius Regis Scriba consilij generositatem, nec ægrè illi ab Rege obtinuit, bonis auibus proficisceretur, sed longè alia quàm postulasset causa. Nempe Catholicum hominem, religionis suæ calentem studio, magnos spiritus versantem multis suffultum clientelis, foris tutius extra regnum quam domi acturum; ad hæc nobiles cum illo & potentes Catholicos in eandem vltro ituros aleam nec forte redituros. Et vero etiam alij variarum sectarum iuuenes, & veteranorum militum non pauci, ac demum alioqui turmarum olim in Hibernia ductores non parui nominis, commilitones se Catesbyo adiunxere. Catesbyus, Percyus, eorumque socij, equis, omnique bellico apparatu, & ornatu profectionem parant, nec sumptibus modum, nec crumenis ponunt; dum ne aliquod eius indicium darent, quod vnum, sed tacitè agebant. Porro hunc in Belgium transitum putauit Catesbyus opportunum fore, ad excutiendam conscientiæ intimæ sæuum quem dixi aculeum, causam ipse comminiscitur & adornat, suæ in omnibus adeò similem, ac prope gan-

dem, vt tamen appareret toto cœlo distans, & diuersa, & responsione sua viri docti, dum verbis satisfacerent proponentis, nihil minus aduertentes satisfacerent & menti. Si arcem, aiebat, premerem inimicam, & magnopere damnosam, hostis ex aduerso, insontes quos forte teneret Catholicos, primis telorum obiiceret ictibus; deberem necne reis, & hostibus parcere, ne communi cum iis cæde perderem innocentes. Aut possem clausis ad omnia oculis vlterius tendere, & conscientia nihil expauente, quod ars, & ratio in expugnationem præscribit, hoc agere? Suam ille arcanam dubitationem sic ab se perperam transformatam subiiciebat censuræ Doctorum. Parlamenti palatium arcem faciens inimicam; considentes in eo, innocentes & reos, nullis aut artibus, aut conatibus secernendos. Partem ille optatam positæ quæstionis quàm multis & sæpius, & temporibus diuersis explicabat, nemo omnium fuit quin multum laudaret, nixúsque ipsius etiam argumentis doceret licere cuilibet iure suo vti, etsi cum damno alterius, sed fortuito, ineuitabili, nec quæsito, nec per se curato. Futurum alioqui vt non possent triremes Turcarum impugnari & deprimi, cum multos haberet in transtris Christianos, innocentes & probos, pari tamen cum reis hostibus, & dira omnia commeritis morte perituros. Affluebant cuiuis eiusmodi exempla quibus vim iustè ac necessariò illatam hostibus purgabat ab omni scelere, damni ex ea in amicos & insontes obliquè inuasuri, eademque cum facinorosis, & iure perdendis procella mersuri. Nec diuersa sentire poterat Garnetus, qui & ipse inter quamplurimos significarat Catesbyo suam mentem, ab hoc omnium Doctorum, & Sacerdotum communi, tuto, certoque responso, erat enim cunctis persuasum Archiduci aduersus Batauos arma Catesbij militare; nec quemquam mortalium subisset diuinatio suspicax, mutaturum illum Batauiam Anglia; & Parlamenti Patribus, perduelles, & hostes Batauos. Huius tamen tam veri, & simplicis responsi nomine Garnetus ab Iudicibus suis damnatus est reus maiestatis, nempe quod Catesbyi intima introspicere nequisset. Nec Iudicibus Garneti æquiores fuêre Protestantium quidam Theologi, qui responsum ab eo Catesbyo redditum, crudelitatis & sacrilegij infamarunt, haud quidem tam iuris verique ignoratione, quam voluntatis perfidia aduersus Garnetum rabidæ, Societatemque nostram vniuersam, & Ecclesiæ Romanæ Theologos. Concitaturi aduersus hos omnes furorem populorum quæstionem à Catesbyo positam iis nudarunt adiunctis & singularibus quibus circumscripta ferre aliud responsum non poterat, quam quod à Garneto & Theologis tulerat. Eandem ii falsis subornatam cum proposuissent, calumniati sunt licere per Papistas & eorum Doctores, imitari Herodem; Innocentes omnes occidere, ne vnus euaderet nocens; nocentem porro hunc & reum hoc solo censere quod suspicionem præberet nonnullam incommodaturi aliquando rationibus tyranni. Ad hoc loca scripturæ congerunt quæ ne cæci quidem dubitarent à scopo aberrare, vt Christi mandatum, de herbescente lolio ad messem seruando; de vetitis ignem in Sodomam mittere, quamdiu in ea Loth moram

ram faceret; sed fugit memoriam Doctoris egregij, innocentium puerorum innumerabilis multitudo, propudiosarum incendio vrbium pariter absumpta. Denique longam ex Patribus, & Scripturis, lacinioſæ inductionis seriem texuêre, nullius prorsus ad rem propositam momenti. Cæterum gaudens Catesbyus tenere se iam minimè dubiam Theologorum mentem, quam ex iis catè nihil minus suspicatis expunxisset, alioqui vt sæpe dictitabat, horrore ac metu, abstituris vel ipso quæstionis auditu, si nudè vt erat & candidè hanc proposuisset, multoque timidius responsum vitaturis; solutiori nunc animo in cœpto pergere, & corroborare socios responsi fiducia quo suam & illorum, in causa persimili conscientiam in tuto posuisset. cuius item responsi approbatorem haberet Garnetum, cui forte tunc Anglia opinione sanctitatis, & doctrinæ parem haberet nullum. Atque hic iuuat mirari vehementer hebescentem Catesbyi oculum, qui non videret longè aliud esse, militare Archiduci, Batauorum arcem obsidere, Domino suo Regi Catholico rebellem, nec priuato eam consilio, sed publicis auctoritatibus, & ministerio publico expugnare; aliud vim, & arma in Iacobum Regem legitimum vertere, totumque eius regnum quod Parlamenti consessu censebatur, idque non alia quam priuati hominis atque à priuato arrogata sibi, vsurpataque potestate, doloque ac modis fraudulentis, in legitimam arcis impugnationem transcripta, ne rei quam mente gerebat, anxiéque versabat atrocitas magnitudine sceleris terreret audientes. Quam etsi de cœlo iussam accepisset, nefas erat prius aggredi aut mouere, quam explorasset diligentissimè, an eo mandato vel ipse sibi priuatim illuderet, vel illuderetur à malo dæmone; proindeque rem totam vt conceptam animo fouebat viris sapientibus, & sanctis introspiciendam euoluisset, quorum tunc certæ miniméque deceptæ stetisset sententiæ.

Post anni eius 1604. quietum residuum, in curas redeunt operis intermissi, leuandi præsertim suffossionis perpetuæ, laboris. Ad hoc duos sibi adlegunt infelices Christophorum Vvrightum; & Robertum Vvinterum; illum Thomæ fratrem, hunc vero Ioannis, duorum ex quinque coniuratis. Hos sacramento inuicti silentij obstrictos sibi causæque susceptæ mancipant, & notandum hic obiter quod erit postea necessariò repetendum, legiturque in confessione Thomæ Vvinter, Londini edita post coniuratorum supplicium, & à Fauuкesio confirmatur; quinque illos priores, die condicto in conclaui solos, religioso librorum sacrorum, & verendo contactu, iurasse inuicem silentij mutui fidem inuiolabilem, & æternam; progressos inde vt sacris interessent, etiam diuina Eucharistia refectos, adeo sibi videbantur ab omni conscientiæ labe alieni. Post hæc opus repetunt intermissum, maiori labore sed pari constantia, perducuntque ad ima decumani muri, qui aulæ Parlamenti efficiebat latus. Hic iam Tamisi nimium vicino aqua in cuniculum illabi, sed ea copia, vt haustris assiduis ægrè se ab ea tuerentur; obstare grauius muri durities pertinax, palmorum sedecim, & tamen perforanda; terrere periculosius ex ligonum percussu bombus, & cauorum mugitus, itum nihilominus per quicquid obstabat, & murus de-

nique perfossus, at ecce transgressos, timor planè ignotus percellere ne quod sui feciſſent indicium, audiebant enim imminentes capiti fornices; vestigiis hominum, multo cum strepitu calcari; verebantur, ne cauorum sonitu aliquos mouiſſent ad cuniculum suum transuerso cuniculo elidendum, sed missso de suis qui rem diligentius exploraret compererunt apothecam esse vastiſſimam carbonis fossilis, quam supra opinionem suam omnem aduertens Catesbeyus, negotio suo maximè oportunam, iussit illam auctis quantumcumque pretiis conduci, aulam enim vnam ex duabus in quas mos erat cogi Parlamentum ferebat is locus; quare missa dehinc fodiendi cura placuit illic deducti cuniculi exitum parare, quod vt omni arte dissimularetur, eò promiscuam supellectilis omnis domesticæ congeriem conuehunt, ceruisiæ cados, plaustra lignis onusta; ex ripa demum fluminis aduersa, & domo quam illic tenebat Percyus per noctis tenebras igniarij pulueris doliola septem supra triginta, qui vel montibus integris in auras iactandis sat esse potuiſſent nedum palatio. Remigando ipsimet ea transtulêre, verum tot sepulta ferramentis, tantaque lignorum, lapidum, & carbonum strue, vt vniuersum occuparent locum, dempto aditu ad tergum obstructo seruatoque ad ignem decretorium fomiti applicandum. His ita ex animo, & industria digestis Aprili exeunte anno 1605. nihil expectabatur præter indictum Parlamento tempus, quo eruptura erat in apertum clades. Verum enimvero non tulit diuina bonitas stulta paucorum pietate, & religionis ardore stolido Angliæ totius Catholicos execrationibus posterorum insontes deuoueri, & glorioſæ mansuetudinis veteribus Ecclesiæ seculis par nomen annotum quadraginta quatuor sanguine in castris patientiæ, silendo, & sperando partum, crudeli aliquorum impatientia perdere. Nec vero vnquam in vsum prodiit, nec in documentum, aut opinionem transiit, licere hostem etiam capitalem potestate priuata occidere: quanto minus Regem cum Principibus filiis, totumque Parlamentum, hoc est nobiliſſimi Regni medullam, & florem. Fuit ergo Dei optimi maximi voluntas, vt conuocationem Parlamenti occasiones quædam inopinæ in diem Octobris tertium differrent, indeque in alium post mensem, ob leues aliquos pestilentiæ rumores Londini tunc ortos. Has inter moras Catesbyus nouos sibi adiunxit socios, quorum decimus tertius & vltimus, aliorum narratur fuisse proditor.

Noui consilij nouas habuit causas Catesbyus duas: alteram operis cui non sufficeret crescentis, pondera vnius viribus majora, & multorum seorsim credenda manibus. Rege si quidem cum suis in auras explosso, occupandum statim vi magna palatium; Principum qualiscumque superstes, seu natu maximum Henricum; seu Carolum, qui deinde regnauit, tunc Eboraci Ducem, siue ambos simul retinendos. Prouinciam hanc sortitus est Percyus. Elizabetha Iacobi filia quæ centum milliaribus Londino educabatur à Barone Haruigtono, Baronis custodiæ subtrahenda, ad hoc auctor fuit Euerardus Digbyus ex nouis coniuratis vnus, solennem instrui venationis Pompam maximè curiosæ, vt castro prodiens ad spectandum

puella

puella regia comprehenderetur. Habendum præterea ad Duvrim nauigium, quo rei confectæ nuntius mox in continentem euolaret, & quam minima posset inuidia exponeretur Principibus, rogato etiam si opus videretur eorum auxilio. Has sibi partes assumpsit Fauuxesius, mox vbi cuniculo ignem admouisset. Denique arcem & munitissimam, & opportunissimo regni obtinendam loco; arma, & militem in partes procliuem, & omnes belli commeatus in promptu habendos, quibus comportandis, quod virum nobilem haud satis deceret, seruus Catesbyi Præfectus est Thomas Batesius, homo fidei exploratæ pridemque perspectæ. Armandorum, armorum, & ambiguorum euentuum prouidentia tribus commissa est Ambrosio Rookuuodio, Ioanni Grauntio, & Roberto Keyesio. Suus demum negotio bellico ne tandem neruus deficeret ad infinitatem sumptuum sustinendam, duos sibi adsciuit Catesbyus opibus præpotentes; Digbyum sibi familiarem, & intimum; & Thomam Treshamum, non amicitia modo, sed sanguine propinquum; cuius tamen illum in Societatem lubrici operis adlecti, mox tantùm pœnituit, quantum omni planè remedio carebat culpa, qua plus securitatis in eius pecunia quàm in fidelitate posuisset. Si verum fama locuta est, fuisse hunc secreti proditorem, iure profecto Catesbyus doluit, & se fuisse intolerabiliter imprudentem, & illum sibi tam leuiter infidelem. Cœteri recens in consortium operis cooptati, omnes præter Batesium famulum, nobiles, magnanimi, bellicosi, quidam antiquarum capita familiarum & Principes; omnes sua & quisque virtute Christiana, & suis ac maiorum in rem Catholicam meritis illustres & magni, sed ob desperati culpam consilij lamentabiliter deplorandi. Certè Rookuuodium iuuenem annorum septem, & viginti, nobilem, opulentum, si quis alius in Soffolkiensi Prouincia, præter ardorem inconsultum deceptæ pietatis, persuadere nihil potuit vt priuata tot commoda, vni (quod rebatur cœleste ac diuinum) publico bono posthaberet, spretaque vxore, & tribus liberis, illos eam causam mendicitati & miseriis se morti atque infamiæ vltro obiiceret. Digbyum pariter calcaris aurei equitem, patrimoniis immensis in Rutlandia & Leicestria diuitem, quantus ignorantiæ occæcasset error vt se Catesbyo daret adiutorem, testatur eius è turri & vinculis ad P. Gerardum furtiua epistola qua se ait dolore non consolabili, & infinitis lachrymis absumi audita omnium Sacerdotum concordi censura damnantium immanissimi sceleris, quod sectatus fuerat, velut ab omni suspicione culpæ purum. Quem Gerardus confitentem audire solitus, post applicitam quæ tunc esse idonea potuit consolationem seriis rationibus vetuit quicquam vnquam publicè edere quo facti crimen excusaret tanquam liciti & iure suscepti, cum nulla omnino posset iuris vmbra defendi. Mentem dumtaxat profiteretur suam, rectam semper ac probam, sed iusti & æqui deceptam ignoratione, quam potuisset consulendis peritis emendare. Qua ille testificatione iuridica insignem apud Catholicos, & viri verè sapientis, & generosi laudem adeptus est.

Ardebat hæc inter ignitum Catesbyj actuosumque ingenium, nisi quod

omnia ducebat otiosa, quoad pridem intenta machina laxaretur. Itabat interim quaquà versùm, afflabatque Catholicis quos minus sentiret indociles, desiderium fortunæ melioris. Aduertebat eorum animos ad lamentabilem illorum quem iis depingebat statum; huc illos patientiæ suæ perductos ignauia qua fruerentur aduersarij & insolescerent. Itura in peius omnia si porro pergerent dissimulare malorum suorum sensum, & ad ea sedere immobiles, nec multis erat opus verbis ad subiiciendas cuiusque oculis quas per se quisque experiebatur miserias, alios propriæ indolis, iræ alios indignantis, alios pietatis & religionis ardor in eius arripiebant sententiam, culpabantque se tanquam socordes, & rei Catholicæ parum fidos quam inerti tamdiu patientia proderent! damnabant & Patres huius patientiæ suasores, qui quò acrius in dies sæuirent aduersa, eò importunius ad patientiam hortabantur. Pauci sunt (scribit ad Personium Garnetus) ex nostris Catholicis, qui iam in desperata consilia non inclinent; quin ad me nunc etiam perfertur eorum aliquos de Iesuitis multum queri, & expostulare grauiter quod ab iis verentur vim vi redimere. Illi animo quid versent, quidve ordiantur, non ausim inquirere, cum Generalis Præpositi mandato, prohibeamur vllam omnino in partem negotiorum talium venire. Hæc datis mense Majo literis Garnetus anno 1605. cum iam cuniculo præter ignis scintillam nihil deesset. Verum enim vero cum aduersarij coniurassent (quod tum postea explicatius narrandum) contra omnem rerum euidentiam & lucem, Societate huius facinoris Garnetum inuoluere, & velut ex certis, & probatis defendere, fuisse illum non modo totius coniurationis apprimè conscium, sed etiam Architectum, & Catesbyj hortatorem, & conscriptorem sociorum, (parum abfuit quin & cuniculi fossorem, & baiulum, & incensorem fecerint tormentarij pulueris,) repetendum breuiter, ab initio ad finem quantum sategerit, indignationibus placandis, premendis tumultibus, Catholicis ad Dei fiduciam, à diffidentia reuocandis. Reliqua referent accusationis eius acta iuridica, & Patrum quorumdam absentium quos propterea reos fecit calumnia quòd soliti essent coniurati apud illos peccata expiare.

Cum ergo ferè à primordiis Iacobi suas ludi viderent expectationes Catholici, eaque factis promissa rescindi, quibus dicebantur ab Rege inducti ad expectationem meliorum, è contrario omnia in peius quotidie ruêre, nouorumque onerum grauitate, nunquam minus fuisse tolerabilia; tunc vero omnes indignari, fremere, obloqui, tacitè inuicem stimulare, ad subtrahendas iugo tam crudeli ceruices; nec longè aberat à crepitu nubes tempestate fœta, nisi Garnetus accurrisset, qui multis quæ lecturi sumus in quadam eiusdem ad Consiliarios Regios epistola; & multorum emendatione, qui Vvatsonum coniurationis auctorem nequissimæ, iam assectabantur, malis obuiam iisset, & conueniisset infimis precibus Blackuuellum Archipresbyterum, ne afflictissimi populi dolores sineret à suis Sacerdotibus vellicari. Sed iuberet potiùs pro incremento ærumnarum ad omnem patientiam accingi,

cingi, quo item tempore Societatis Præpoſito Aquauiuæ, & Perſonio Romæ tunc agenti, ſignificauit ingens periculum coniurationis alicuius, niſi ſummus Pontifex maturè occurreret, (quod illum demiſiſſimè rogabat) ſi minus Breuis Apoſtolici ſcriptione, literarum ſaltem tutelaris Cardinalis qui eius nomine, anathematis pœna vetaret Catholicos vim vllam, aut Regi, aut fidelitati, aut quieti publicæ parare, quibus tunc equidem ſedatum tempeſtatis proximæ diſcrimen. Sed ingraueſcente in dies atrocius Catholicorum afflictatione, cum & Catesbyus per quædam ænigmata ſermocinaretur, & quos iam ſibi addixerat, ferociam non diſſimularent, & minis non parcerent; neque ipſe poſt tantum, & tam diuturnum, & ſtreperum belli eo ferendi apparatum tranſiret in Belgium; ſuſpicatus eſt Garnetus grande aliquid illum animo fouere quod eſſet propediem eruptorum. Nec putans ſibi licere vlterius per Generalis mandatum ſcrutari, quo forte Catesbyum iuuare valuiſſet, quod promptius fuit & tutius fecit, Roma denuo à ſummo Pontifice petiit anathematis pœna Catholicos ab adhibenda vi, à motu armorum, conflando milite, & tumultibus abſtineri. Iam inter Catesbyum, & illum quid interuenerit, en reddo ex eius calamo qui tunc aderat, audiebatque præſens, tranſtulitque illud in ſuam fuſiorem, & indubitatæ fidelitatis hiſtoriam, de hac infeliciſſimè concepta, peius administrata coniuratione. Scio, inquit, Patres Societatis IESV, conteſtatò ſæpiùs profeſſos vetari ſe præcepto ſui Generalis vlli prorſus negotio, ſcientes vel oblique; aperte aut furtim manum admouere, quod turbidum aliquid, vel inquietum, ſaperet vel præferret. Scio præterea in mandatis habere à Clemente VIII. indicerent Catholicis omnibus ſuam eſſe hanc mentem vt pacificè agerent, & ſuis oportuna calamitatibus à Deo remedia expectarent. Mihi quidem contigit aliquando cum P. Garneto, & D. Roberto Catesbyo diſcumbenti, multiſque aliis de Societate, audire Garnetum verbis grauiſſimis denuntiantem Patribus mandatum quod Roma acceperat, iubentemque ab iis ad cæteros qui aberant Patres tranſmitti, vt liberarent, quod aiebat, Religione Obedientiæ animum, ſupremis illis duobus Præſulibus debitæ; & inculcantem denique cauerent ſerio à patientia illa magnanima vllo modo laxanda quæ orbe toto Chriſtiano nobilitarat Anglos Catholicos. Hortarentur curas ſuarum facultatum prouidentiæ diuinæ committere, quæ ſuorum bona omnia diſpenſaret, eorumque fiduciam docilem beato fine concluderet. Quibus Garneti ſermonibus, poſt deceſſum ex menſa, ſubiecit Catesbyus, non deeſſe tamen qui tolerantia malorum tam infinita fracti, planeque proſtrati, ægrè hanc ad aures doctrinam admitterent, & requiritarent, an vlla in terris poteſtate priuari iure poſſent, quod inſeruiſſet omnibus natura, vitæ contra vim defendendæ; expoſtularent quin etiam vna perpeſſionibus huius, & patientiæ immenſæ commendatione ac laude, Catholicorum animos eneruari, emaſculari robur, & nobiles impetus, traducique illos contemptui publico, & mancipiorum conditionibus, & ærumnis, ſic vt ſannis deinceps proſtarent plebeiis, & vocitarentur Dei moriones. Quæ tunc Catesbyus velut ex aliis

referens, sed exinde à me obseruatus est ægrè in hoc argumentum descendere, ne occasione arrepta Patres, deprædicandæ instarent patientiæ, sibique ac suis populi odia mouerent; cum è contrario ardentem in Catholicorum animis irarum facem ipsi continuo ventilarent, vt quò acriori dolorum sensu videbant illos premi, hoc efficaciùs ad erumpendum impellerent. Eam ob rem Catesbyus in Garnetum aiebat omnia confluxisse quæ possunt excellentem hominem ornare; eius quoque virtutis admiratione, ac reuerentia se plurimum affici; illud modo ipsius tantum animi frigus, & cordis stuporem probari non posse; hoc est illam quam satis intelligi volebat, mansuetudinem, & patientiam, quæ aut vitia censebat naturæ, aut virtutes quidem, sed aliarum occasionum, ac temporum. Huc vsque historia, quæ veri testimonio maiori firmari non potest quàm Garneti manu, qui sua quadam ad Aquauiuam epistola. Non omnes, ait, nostri Catholici simplex Papæ mandatum capessunt tam facile. Fuêre qui Clemente VIII. adhuc superstite, petere, ausi sunt, an posset Pontifex prohibere illos à vita propria defendenda. Ea propter apertè pernegant se sua consilia communicaturos cum Sacerdotibus, dolentque nostros nominatim, etiam aliqui ex amicis, eorum machinationibus obstare. Quam Garneti epistolam aliasque paulò ante laudatas quòd euidentiùs probarent longè illum à sanguinolenta illa coniuratione abfuisse, Doctor Abbotius tanquam spurias reiicit, & centum Cookei pro fisco patroni mendacia decuplo pluribus aggressus propugnare, cum Garnetum vellet coniurationis huius conscium, & auctorem, Garneti literas quibus iugulabatur eius mendacium, à nobis nempe falsariis confictas fabulatur. Sed incogitanti cum tandem occurrisset, posse illas cum autographis componi; & reddita illis Responsa Generalis quæ nostro in tabulario legerentur, nullum vllo in foro pati effugium, non est veritus Doctor doctissimus, nec saltem erubuit de iis ita mentiri; illas igitur à Garneto simulatè scriptas, hoc est artificio proditoris. Fictis tamen iisdem mutatis, deprauatis ab se, ac post mortem Garneti editis tantum vult haberi fidei, Garneti eas esse: vt ne leui quidem probationis colore id indicare studuerit. At si erant vera Garneti dictata, imo ipsamet eius chirographa cur ei non & recitabantur in os, & conuincebatur sua ipsius manu coniuratorum fuisse socius? Si enim disertè, quod aiunt, iis literis id confitebatur; quid attinebat Cookeum iudices horarum senum mactare tædio, dum toto ex lunæ concauo nebulas captat præiudicatorum & indiciorum quibus probet quæ Garneti manus pro confessis dabat; si tamen vera Garneti manus erant eæ literæ partusque illius minimè dubius? Sed hæc remittamus in paulò acrius examen, cuius nobis ansam præbitura est causa cum in solẽni iudicio verteretur. Supereſt liberè atque ingenuè dicamus calamitosæ huius coniurationis probè scientem fuisse Garnetum, haud ea quidem scientia, quam aduersarij postea finxêre, sed quæ tanta secreti Religione arctabatur vt foret perinde, ac eam ignorare, nisi forte casus incidèrent quibus ea valeret in coniuratorum salutem vti, & quod consequens erat in Regis, & Parlamenti sospitatem, quod is quidem, sed frustra conatus est.

Catesbyus itaque nullo conscientiæ ictus motu, sed in deliberatam sui deceptionem obstinatus quam statuerat apud se culpa omni vacare, iure tamen expauit ne Parlamento in auras dissipato destitueretur à populo, Pontificiis mandatis, & constanti nostrorum adhortatione, à vi, & tumultu, ad patientiam omnem composito; ex quo prorsus id consequeretur vt fructu sui careret operis, quem in noua ponebat regni administrandi forma in qua liceret Catholicis, eadem planè libertate qua Protestantibus Religionem suam profiteri. Ab hoc scopulo nauim maturè abducens Catesbyus, id à se denique iimpetrauit, vt P. Osuualdo Tesmundo, siue vt alias Grenuuello, & Grenuuayo, nam ea cognomina in occasiones habebat permutabilia; coniurationis totius consilium, tanquam confessionem sacram audienti, aperiret, sed tota ingenij & rationum vi, sic edissertum vt hoc præcipuè agere videretur, quo Tesmundum secum sentire compelleret. Nullo tamen vsquam, vel iusti, vel æqui, ac ne tolerabilis quidem fuco, tam atroci facinori oblito. Tam cruentæ Tesmundus lanienæ inexpectato horrore sideratus, maximè vero innocentum, nihil prætermisit, quo illum ab ea immanitate deterreret. Sed habebat apud se Catesbyus responsiones ad omnia pridem animo coactas, quas quam falso tam certo naturæ iure ineluctabili volebat fundatas, quo se malè percepto, in defensionem sui, & Catholicorum aiebat vti, quibus crudelitas aduersariorum, nec rem, nec vitam, nec fidem, nec animam reliquam faceret, & acerbiora Parlamentum pararet. Horum vnam restare, sed solam redimendorum facultatem malorum, quam ad manum haberet; nec euincere ex eo quicquam valuit Tesmundus; nisi quod vnde vnde permotus Garnetum statuit Tesmundo interprete in consilio adhibere; suas illi Tesmundus proponeret, elucidaretque rationes, sed eodem prius confessionis arcanæ Sacramento, donec forte illas aliunde resciisset Garnetus, & iudicaret minimè tacendas. Mandati huius infeliciſſimi susceptæ cura, mortem integram Garnetо Tesmundus attulit quanquam enim non esset alioqui sperandum Ministros Regios immunem Garnetum habituros ab ea coniuratione quam moliti essent, tanto Religionis studio flagrantes Catholici, vt potè virum summæ apud illos venerationis, & auctoritatis; sed fidicularum forensium, aut tendicularum perplexatione eò adducturos, vnde aliquod possent ad eum necandum expiscari nomen, verum hæreticis, & sacrorum rudibus diuinorum, inuiolabilis sigilli defensio quo sacra confessio teneretur, exsibilata est pro artificio inuentionis fraudulentæ ad vitandam infamiam, supplicium que proditorum. Referebat postea Garnetus, auditis tunc primum ex Tesmundo coniuratorū molitionibus perditis, se cohorruisse ac velut conglaciato sensu stupuisse, noctes egisse multas quà insomnes, quà spectris imaginum turbidas; dies vero mutum, attonitum, cernuum, cogitationibus anxiis æstuasse tanti, tamque propinqui facinoris, & ab sua natiua lenitate, tantoperè alieni, de qua etiam Romam ad amicum scribens, iocantis amici dictum refert. [quæritur, aiebat, vbique Henricus, inuenitur nusquam; nec industriæ est humanæ, vt tutò sic lateat, sed quia certamini tam

arduo impar est, Henricus enim vt alias semper, ita nunc pergit esse oniscula; & hoc totidem verbis Benedicto Pereiræ renuntia; quem scribunt ad me mirari solitum, inertem ouiculam tot annos venationi perpetuæ tot laporum, nihilominus supestitem viuere.] Hæc de se ipsemet Garnetus. Ad rationes Catesbyj nihil quod reponeret habuit; sed Tesmundum iussit nihil omittere quo illum à tanti sceleris, tamque omni ex parte damnandi & pernicioſi, abominando consilio deterreret. Quod vt maximè ex voto procederet, quanta inde quam barbara hominum, & qualium hominum. Toto Regno strages? quantus horror qui fletus, quæ rerum omnium ordinumque euersio? Momento regna duo suo Rege, suis quoque fortassis principibus; nobilitate omni sua primaria, suis sapientibus, fortibus, flore denique omnium bonorum, puncto, inquam, temporis orbata; mixtis clade communi hostibus, & amicis; sontibus atque innoxiis; & hoc tantum malorum dumtaxat eorum initium esse. Nam quantus inde mox tota insula cruor? Factiones? Pugnæ? Armorum furor ciuilium? Cædes adeò inhumanæ vt ne ipsi quidem ferre possent nisi homines esse desinerent. At si vt ferè fit coniuratio proderetur, Deo Principum curam & Magistratuum singularem gerente; quid iis tandem, quid sociis, quid eorum familiis futurum? nullo interea in rem Catholicam prouentu, nisi manus virorum lectissimæ, ac præstantissimæ, inexplicabili iactura, quorum sustentabatur animis, & exemplis; exsecratione insuper apud hostes quam ante sæuiori; calumniarum, odiorum, & religionis ad internecionem vexandæ noua infinitaque materia, vt cui esset innatum hæc plusquam barbaræ feritatis portenta comminisci, & persuadere. Hæc & plura Garnetus Tesmundo commiserat, cum se ipsemet statim ad quærendum Catesbyum accingit. Romam paulo ante profectus fuerat communi nomine Edmundus Baynhamus, auctore Garneto ex minis Catesbyj & Catholicorum eius scquacium turbulentis, in suspicionem inductus propemodum certam foueri aliquam conspirationis mortiferæ vomicam primis Parlamenti comitiis rumpendam. Cui periculo nouus Pontifex Paulus V. rogabatur enixè ab Anglis Catholicis tota occurrere potestate, ne destituti vndique defensionis præsidio, in damnatis, desperatisque asylis salutem quærerent. Iam Garnetus in præsens, Catesbyi ardorem vt saltem suspenderet reuocauit illi quod sanctè promiserat, nihil se prius moturum quàm Roma sciretur, quem sortita fuisset exitum Baynhami negotiatio, institit, suasit, rogauit, modis omnibus egit ne ab conuentis discederet. Obfirmatus apud se Catesbyus nullo modo pati vt eriperetur sibi Parlamentum, vel nouas quas comminabatur, [illegible] conderet aduersus Catholicos; metuens vero aliunde ne Garneti suasu desereretur ab suis Catholicis, finxit se Garneto manus dare: moremque gesturum ipsius monitis tam prolixa verborum comitate, verique similitudine confirmauit vt deceptus Garnetus scriberet, quæ Dei gratia! res Catholicorum in tuto esse, quoad Roma de iis respondisset. Quæ Garneti epistola, & cum Catesbyo sermones, & missus Romam Bainhamus, maiestatis crimen Garneto fabricarunt, interpretantibus aduersariis cum

Catesby-

Catesbyo colloquium, mutuam ducti cuniculi curam, & operam; missum Romam Bainhamum ad exculpenda inde tria (vt vocat Abbotius) fulmina hoc est tria quæ vigilans somniat horrenda diplomata ad transfigendas telo triplici tres Angliæ partes præcipuas. Nec iuuit Garnetum, à Bainhamo fuisse denuo Pontifici maximo supplicatum vt anathemate præsenti Catholicos à vi, factionibus occultis, omnique tumultu prohiberet, hoc fidelitatis in Regem, & tranquillitatem Regni argumentum, in iudicio capitis, retorsit Garneto Cookeus fisci actor in dissimulationem versutissimi proditoris, qui tunc malis quæsisset remedium, cum præsto esse tempori non posse constabat, eratque futurum, confecta re prorsus inutile. At probat insigne actoris mendacium, quod tunc primum de mente, & coniuratione Catesbyj cognouit ex Tesmundo Garnetus cum diu pridem Bainhamus Romam esset profectus.

Coniuratio proditur; Fauukesius igni tantumnon subiecto capitur. Puritani populum suis mẽdaciis in Catholicorum proritant cædem, sapienti edicto Rex vim ab iis prohibet, liberatque insontes. Coniurati in armis. Eorum quatuor necantur. Aliorum pars fugit; pars vltro se dedit. Singularia quædam in damnatione illorum notata.

CAPVT V.

PROCEDENTE in finem Octobri, en Regni totius Præsulum, solennis Londinum appulsus, proceres, optimates, & quibus sua dignitas metabatur in Parlamento sedem; selecti præterea qui personam referrent populi, haudquaquam vulgariter populares, quos omnes Catesbyus, eiusque comites velut igni deuotas spectabant victimas, quas eò suorum furiæ scelerum duxissent ad pœnam eorum exsoluendam; quibus, & sacrilegis legibus in fumum, & cinerem redactis, quas in Religionis Catholicæ meditabantur supremum exitium, excitandam hanc suis scilicet è ruinis, recuperanda mox libertate quam patrum memoria gloriosiorem; sed enim has malè feriatas expectationes risit è cœlo Deus, monstrauitque nec diuinis placitis, nec Ecclesiæ moribus, nec Catholicorum nobilium indoli generosæ satis congruêre.

Die ergo Octobris vicesimo sexto, Baroni Monreagli (seu Montaquilæ)

cœnanti ab honorario ephebo epistola redditur, cuius euanuerat baiulus. Erat Baro finceri, & magni pectoris inter Catholicos, sed coniuratis, vel amicitia, vel propinquitate coniunctus sanguinis, Thomæ vero Treshamo intimus, vt cui sororem matrimonio copulasset. Aperta epistola nullius subscripta chirographo, his Baronem monebat; meus quorundam ex tuis intimis ardens amor facit te quoque mihi summè carum, tuamque incolumitatem, si quid igitur Domine! tua tibi vita curæ est, te admonitum volo, modum excogites, quo Parlamento te subducas (& tunc vno tantum milliari Londino aberat) Dei enim & hominum decreto ratum est, malignitati horum temporum, & iniquitati finem imponere. Neque hic, oro, metus tibi videatur neglectim habendus domum redi; ex tuto illinc operire, quod instat proximè. Nec motus bulliunt fateor, nec strepunt tumultus, sed pendet nihilominus ictus terribilis, ignota iam manu in totum vibratus Parlamentum. Hunc tete obsecro etiam atque etiam deuita, cum inde nihil tibi possit infaustum accidere; nihil non prosperum, & lætum, nihilo enim hanc flamma rapidius absumet epistolam, quam periculi summa discussa sit.] Horum pauca percipere sategit Baro; credidit multo pauciora, sed suspicatus est plurima in quibus illud sapienter, si quod hodieque de illa epistola creditur verum est; figmentum id esse ab scriba Regio in suam perniciem concinnatum. Nam qui tunc afflabat rumor leuis, Treshami esse illam epistolam, fidem nullam inuenit, nisi apud illos quos latebat acer hominis genius suisque in rebus tam cautus, & perspicax, vt si decuplo minus sapuisset, non fuisset passurus, tantum sibi aduersus prudentiam, tantique plenum periculi errorem excidere; huius nempe momenti arcanum cartæ committere; & cartam in quosuis resignandi suo damno secreti casus fortuitos, alij portandam tradere, cum mille coram expeditas haberet vias ad amicissimum hominem à Parlamento tantisper auertendum. Quare illud vero simílius, magisque ex ingenio Treshami visum suæ quidem haudquaquam prudentiæ; sed datæ Catesbyo fidei defuisse. Secretum coniurationis aperuisse scribæ Regis, scribam inde Baroni semifatuam illam, & fallacem dictasse epistolam qua illum perderet, si eam occultasset; vteretur si eam prodidisset. Ac ruptæ quidem à Treshamo fidei argumenta, nec pauca fuêre, nec leuia; coniuratis enim mox fuga dilapsis hæsit ipse Londini, non securus modo sed etiam tutus; occisis illis, vixit incolumis; quamuis deinde siue importuna sociorum accusatione, seu quauis alia de causa tentus in carcere obiit, mœrore vt volunt alij; væneno vt quidam; certè tacita morte, cuius causas alij alias diuinant. Cæterum Baro Montaquilæ fictum, verum, id foret nescio quid cuius epistola suspiciones magis siniſtras verborum mysterio præbebat quam certam notitiam; suæ quosuis in motus securitati, & famæ cautum volens, prope ante lucem Roberto Cæcilio epistolam obtulit, ex quo parem tulit fidelitatis, & prudentiæ ab eo laudem, à Rege aureos in vitam bis mille, & in perpetuum octingentos. Rimas has cœptæ proferre se coniurationis, pauca secuta sunt stylo digna. Scriptam ad Baronem epistolã consiliarij

siliarij quatuor sagaci oculo, & alta perspectam meditatione, manum iudicarunt capitis parum sani proin flocci habendam; cum iis præsertim comitiorum Principiis volitarent quotidiè folia, grauioribus etiam referta turbulentorum minis. Non esse tamen Regi occultandam, seu foret amici epistola, seu stulti dictatum Cæcilius censuit, quod transmarinis quorundam nunciis acepisset, Papistas in Anglia tumultum parare. Oblatam Rex die omnium sanctorum dum legeret in absurdiorem priori, particulam vltimam defixit oculum vbi fore monebat defunctum periculo, non fore diutiùs, quam dum absumeretur igni epistola. Hic illi cœlitus affulsisse aiunt, quod consiliarij eius præcipui non intellexerant, significari coniurationem ignis repentini, hoc est subterraneæ fossionis igniario refertæ puluêre, quo ait, Casaubonus, Abbotius, aliique qui superstitem quoque laudarunt scriptores egregij, nullum maius in vita Rex vt vocant miraculum edidit; simul ostento Deus singulari palam fecit Iacobum quantum diligeret, quem ad vitæ suæ conseruationem, & excidium Papistarum, mysteriorum fecisset interpretem, quæ mortalium nemo attigisset. Hinc Londini deinceps strepente clarius coniurationis detectæ sono, atque metu, eius conscij omnes, post periculosos aduersus Treshamum inter se congressus, ad socios suos se fuga conferunt, præter Fauxesium animosè magis quam cautè morosum. Ex itinere Præfecti equitum in Prouincia Vvatuuicensi perrumpunt stabula, equos abducunt ad pugnam idoneos, deliberati omnia experiri, ad ferrum carnificis vitandum, ac si deesset prælij cuiuscumque prona fauensque occasio, in medios ruêre, & strictis gladiis, numero obrui. Ac hostes quidem continuo à tergo habuere, nam Ricardus Verneyus Vvaruicensium Sceriffus (sunt hi Prouinciæ supremi Magistratus) abductionem equorum violentam interpretatus Catholicorum factionem, aliquid noui tentantium, cum septuaginta equitibus insecutus est fugientes, haud pressis quidem admodum strenuè illorum vestigiis, vt quos probè nosset bello intrepidos, & augeri semper numero cerneret, cumque tunc essent tantum octoginta phalangem breui timendam conflaturos. Ij vero interea, primum ab se ac præsens periculum defensuri, cùm essent Saffordiensem ingressi Prouinciam domi se muniunt Stephani Litletoni Catholici nobilis (qui se illis in via grandi suo malo adiunxerat) vt eruptionem inde faciant in Sceriffum à quo iam fuerant laxiori corona ob vallati. Londini vero die Martis, ad quintum Nouembris qui dies primo comitiorum concessui fuerat assignatus, horis ante lucem quatuor Thomas Kneuetus cubicularius Regius quasi aliud agens descendit in fornicem, sed non inualido comitatu, indagaturus fauces latentis cuniculi. Guidonem illic Fauxesium deprehendit ocreatum vt exiliret rapidè in equum vbi tres diuersæ mensuræ incensos funales applicuisset tempori ad inferendum cuniculo ignem, ad hoc coram habebat horarium quo ignis iter, & iusta spatia metiretur, & ardentem in laterna lucernam, qua igniarios funales accenderet. Thomas hominem hoc loco, hac hora, hoc habitu, non potuit non habere maximè suspectum, si quid potissimum de illo audierat. Ac iussit quidem à suis comprehendi, sed

iussum facilius quam factum, magno ille animo, & pari robore, inermis licet, inuadentes ab se abigebat, vnumque illorum ruentem audacius, tam acerbo eius cum dolore repressit, vt parum abfuerit quin is impacto pugione perfoderet medium. Domuit numerus restitantem, tentus est, vinctus est; cuniculi spatio suspectis lignorum, & virgultorum fascibus liberato, apparuêre tormentarij pulueris doliola septem & triginta suffosso exaggerata cuniculo, de quibus repente Kneuetus ad Cæcilium Regis scribam; ad Regem Cæcilius refert. Non expectatur dum albesceret cœlum; quotquot erant in aula consiliarij vocantur in Regis secretius conclaue; sistitur coram Fauuкesius, cui nec blandis, nec minis extorqueri vnquam potuit verum nomen; adscititium pertinacissimè Ioannem Iohnsonum semper professus est Thomæ Percyj famulum. Multo minus quicquam de suscepti negotij sociis exprimi quod solum sibi adscriptum volebat, præterea nemini. Licuisse vero id ab se suscipi, aggressus est stolidè probare, conscientia, inquiebat, & natura dictante, ad suam, & Catholicorum, & Religionis veræ libertatem à Iacobi tyrannide asserendam quem nec dominum suum, nec à Deo vnctum, nec Regem agnosceret, quamdiu esset hæreticus. Hæc illum nec plura neque saniora, sua militis Theologia docebat, quæ non ferox, nec proiectè iratus, sed cultu, verbis, & animo tranquillus, mireque compositus, & nulla re obseruantiæ oblitus quam dignitati confidentium debebat. Nisi quod si extra coniurationem visi essent sibi insultare, subridens innuebat, nihil se terriculis moueri; quin exclamantibus nonnullis in atrocitatem facti, addere ausus est, factum id in se nihil mali habere, nisi quod esset infectum; voluisse Deum id latere, nec alio quam mali dæmonis instinctu in lucem productum. Tantum à vero, & recto aberrabat miser, vt iniuriam pro iure; sceleratum pro iusto duceret: auditus itaque breuiter in Turrim ductus est, stupentibus consiliariis illam animi liberi firmitatem, tam pauenda in causa sibi tantoperè constantem, & fuit qui alterum vocaret Scæuolam; sat quidem appositè, si ea indolis mentisque audacia contra patriam non pugnasset. Inde ne quos forte haberet per vrbem suo in scelere fœderatos, armatis passim custodiis tum Regis palatium, tum aditus septi sunt. Biduo post, coniurationis toto Regno expediuntur nuncij cum potestate prehendendi coniuratos, (imprimis Percyum) qui stare publicè in armis ferebantur, tortus se tandem Fauuкesius, nomenque suum fatetur genuinum edit & nomina sociorum, qui iam vltro latebras negligebant. Sciendum tamen causæ huius in summa Londini edita negari quicquam, aut ex reorum confessionibus duorum, aut ex confessionibus Fauuкesio, aut quouis alio inter coniuratos, tormentis expressum (quod & de Garneto negatum postea,) sed Regis clementia incomparabili cognitores, iis contentos solis quæ sponte illis excidissent, à tabellionibus publicis, exquisita fide colligenda curasse quod iis apprimè est consequens quæ illa narratio aduersus Catholicos non pauca continet. Certè ad Regis clementiam quod spectat (illius saltem Ministrorum officiis dispensatam) cuiusmodi fuerit, testis ille sit vel vnus, Euerardus Digbyus cuius maioribus

Henricus

Henricus VII. (& huius ex stirpe Iacobus prodiit) apud historicos illorum temporum profitetur se victoriam, Angliam, & coronam debere. Is vero cuiuscumque id factum & consciturn culpa, etiam durius & inclementius cæteris vexatus. Vidit tota Londinum Fauuкesium ægrè se mouentem, & ob commissiones ossium tormentis diuulsas ita membris captum vt non potuerit in theatrum iudicum, nisi magna vi adiutus euadere. Tantum sibi veniæ assumebant ad detorquendas in deterius Catholicorum res, quanquam medij solis plena luce, illarum veritas fulgeret illustrius. Est tamen quis credat? Non modo qui dolet & miratur, sed qui volens insanit, contumeliosè, ac indignè Iesuitas obiurgans quod sibi oculos non exsculpant, vt quicquid de se dictum, scriptumque est cæca excipiant, & stolida fide. Maximè vero de Garneto intra Turrim Clauso, siue suis Cooкeus fisci actor inuectionibus id quocumque modo intruserit, siue fuerit in acta relatum iuridica; confecta fateor, viris grauissimis, omnique dignis veneratione præsentibus, ac præsidentibus, sed eorum vno longè impari ab aliis fide, qui totum versabat supercilio suo regnum, nec status publici causa vlla in Catholicos mouebatur, aut in Iesuitas quibus erat inimicissimus, quam suo agendam arbitrio non curaret, & dictaret ipsemet promulgandam.

Producta in publicum coniuratione, consciorum nominibus ferè illustrium, consiliis & scopo, furere Puritani, agitarique illo familiari sibi oëstro; augere immensum, nouorum mendaciis facti periculum; Anglos omnes Papistas, eius & conscios, & socios esse; clandestina cum Papa, cum Rege Hispaniæ, cum Archiduce Alberto cum extraneis trans mare miscere commercia, præuertendam Londini eruptionem eius pestis vna sanguinis missione, secuturam libenter exemplum reliquam Angliam breuique Papistas vniuersos illam purgaturos. Has dementium turbas sanè metuendas præoccupauit Rex sapientissimo decreto quo significabat Catholicorum fidelitatem sibi nullo modo suspectam esse, paucis quos de nomine censebat demptis; exhorruisse illos coniurationem tanquam nefariam; in iis neminem esse quin vitam & sanguinem pro Rege & regno cupidè esset positurus, ad expugnandos alterius insidiatores, & alterius hostes. Principibus vero extraneis qui partem aliquam sceleratissimæ machinationis tentarent affingere, homines esse fraudulentos, malitiosos, & concitatores hominum perditorum, eiusmodi enim perfidiæ vestigatione accuratissima, ne tenue quidem notari vestigium potuisse. Præterquam quod omnes Principum legati ex eo contendissent, solenni adesse reorum iudicio, & audire præsentes coniuratos, defensioni suæ quæ possent obtendentes. Edictionis huius imperio detecta simul, & damnata Puritanorum peruersitas obmutuit, & viribus concidit; populus turbari desiit. Emendabit hæc Regis solennis denunciatio Barclayum cum ait numero ingenti fuisse coniuratos, ipsasque adeo feminas tanti criminis ambisse consortium. Locutus nimirum ex primo potius Puritanorum strepitu & rumore, quam ex maturitate historica quæ paulo post constitit. Quo

die Londini edictum Regium turbatos composuit, eodem coniurati, centum milliaribus Londino infelici fugæ metam posuere, die siquidem Nouembris septimo clausêre se Litletoni domo viri octoginta, deliberata seu victoria seu morte non minus quàm propria indole animosi; & erant Sceriffo longè viribus maiores; sed enim illic dum arma expediunt, & tormentarium puluerem qui humorem duxerat, exsiccant, Deo futuram alioqui sanguinolentam pugnam, casu prouido præuertente, puluis flamma correpta eorum aliquos grauius, leuius elisit; magna pars Sceriffo non dico vincendo, sed repellendo iam impar, properauit domo prius erumpere quam arctiori obsidione cincta caperetur. Cæteri mortem illic operiri, quod nec sustinerent inuicem abiungi, nec possent prudenter se campo credere, ne multitudine circumcingerentur. Die igitur hebdomadæ sexto, & mensis octauo, sub primam auroram, post propitiatum horæ vnius precatione tacita & silenti Deum, recitatásque Litanias, stringuntur arctius à Sceriffianis, in quos omnium primus exilit Thomas Yvinter, primusque mox resilit duplici vulnere ad defensionem repentè inutilis. Post hunc succidanei fratres duo Vvrigthi Christophorus, & Ioannes catapulta duplici transfossi alter in alterum concidit. Hic vero Catesbyus, & Percyus prodire; verum Catesbyus, Christi cruce pendentis quam semper sinu gestauerat auream prætendens effigiem, constitit ante hostem, post ea effigie signum sibi crucis impressit; magna inde voce professus est, vnum se, præterea neminem, coniurationis fuisse auctorem, & machinatorem; cæteros nullo modo, nisi ab se pertractos. Teste vero illo omnium domino, ad reparandam mortalium vitam in cruce mortuo, nihil se aliud spectasse, nisi vt Angliæ carissimæ patriæ restitueret religionem Catholicam, qua sola stat animorum salus. Deum suis votis minimè annuisse, visumque improbare quæ iis implendis parauerat. Illius se placita venerari, nutus adorare iisque se penitus, nequaquam hostibus dedere, dum enim vigeret in corpore animus, & posset manus gladium stringere, non cessurum se illis in prædam carceris. Quibus dictis nullo modo sibi facti gloriam totius vnicè arrogabat, (vt suo chronico comminiscitur Stouus) sed expectabat hostis manus: hostem interea dum metus moratur aut pietas, & in consistentem nihil audet, aut mouet, latentes catapultarij Vvrightorum fratrum paulo ante percussores, cæco ictu illos deiiciunt. Cadit Catesbyus, cadit cum eo & percyus, ille pronus, & reptans domum se recipit, & Deiparæ quæ fortè prostabat sacram imaginem piis osculis libans, præsens illi & vltimum periculum animi fidenter committit, eaque pectori appressa paulo post moritur. Mentis planè vir excelsæ, & ad obsequia Catholici nominis quamlibet ardua mirè idoneus, si prudentia maiori, ardorem pectoris temperasset, eumque ad alia omnia quàm ad hæc postrema applicuisset tentamenta. Cæterum hac illius morte, nihil æquè Garneto obfuit, aduersariis pro sua libidine cuncta in eum fingentibus, & coniectionum futilium meras inanias, pro euidentia solida obiicientibus, nullo iam in viuis à quo possent depelli superstite. Catesbyo itaque, Percyo, & Germanis duobus mortuis; Thoma Vvintero,

&

& Rookuuodio grauissimè sauciis; dilapsis aliis, cœpit locum Sceriffus strictius premere, sed non ita pressim quin eius phalangem perrumpens Digbyus, in proximam syluam euaderet vbi equi eiusdem quo fugiebat vestigiis deprehensus, aliquandiu hæsit, inuadentibus se dederet; an resistendo moreretur, à qua illum mente, cogitatio melior abduxit, mortis videlicet sanctiùs comparandæ, esto licet ignominiosæ.

Captus ergo cum reliquis Londinum traducitur, vbi post diuersa cognitorum examina concordes, & confitentes rei aduerso Tamesi ad stellatam Cameram peruehuntur in palatio Vvestmisterienssi, iubentúrque illic theatrum conscendere ad audiendum totius causæ iudicium. Nusquam frequentior, & magis confertus spectator; nusquam in ora reorum illustrium defixi curiosius oculi. Præter Thomam Batesium Catesbyi seruulum, cui ortus abectior nequibat spiritus nobiles afflare, alij aspectu, ore intrepido, incessu, gestu, conformatione omnium motuum generosa tantum spirabant animorum, vt spectaculi totius admirationem, & silentium detinerent. Edita publicè illorum narratio quæ sciri à populo de coniuratis Senatus voluit, etsi multa sileat, & occultet vera, de hoc tamen eorum conspectu, refert quosdam illorum, tantam vultu, & verbis, & agendi modo celsitatem mentis, & confidentiæ prætulisse, vt terrere mortem viderentur velle. Citatis, vt solet, postquam singuli ad nomen responderunt, lecta est causæ summa, de qua rogati an veram agnoscerent, veramque confirmarent; inexpectato penitus responso Iudicum animos confudere. Miratur Souui chronicum, ex iis septem causam suam tanquam *non reorum* nomine egisse, estque apud illum admirabilitas in eo, quod quæ essent in turri, cognitoribus confessi, ea tunc in iudicio negarent, neque plus vltra historicus; cætera quantùm sciri intererat ad Patrum Societatis bonum nomen, tantùm intererat ab eo taceri. Sic autem res habuit, qui causæ acta condiderant, confessionibus coniuratorum veris, falsa intriuerant plurima, & ex maleuolis in Garnetum, Grenuuellum, Gerardum, alioque extra Angliam coniectaneis, vt est eius fori nostris potissimum in causis stylus, in fallacem veri euidentiam transformarant. Sperabant enim reos confirmandis quæ de se fassi erant, asserturos vnà obliquè ac nihil aduertentes quæ de nostris permixta iis fuerant, & habitum iri vniuersa Europa, nostros nedum in Anglia certo reos, testibusque tantis, & tam insignibus conuictos. Quod erat in votis consilio status, Protestantibus, & multo rabiosius Puritanis. Parum scilicet iis erat Papistas tredecim tenere proditionis reos, nisi omnes inuoluerentur eodem patricidio Iesuitæ, non vt conscij modo vel suspecti, sed tanquam authores consiliorum impiorum, & nefarij operis hortatores, quo Rex cum filiis tollendus erat de medio; extinguenda crudeli exitio nobilitas omnis, sepeliendum communi busto regnum vniuersum. Hoc semel persuaso, tam erat atrocitas sceleris supra omnem barbariem portentosa, & sempiternis digna mortalium odiis, vt nullæ satis orbe toto aduersus Iesuitas conclamaturæ essent diræ, nulla in Anglia vel vsquam gentium illorum sceleri futura essent condigna supplicia. Verum enimuero longè à malignis hostium

ſtudiis fluxere omnia: etſi enim venales animæ Lancillotus. Caſaubonus, & Abbotius Iacobi autes, & oculos adulationibus fatigarint, vt perſuaderent falſas eſſe palinodias retractantium ſuam perfidiam, Treshami, Bateſij; & quæ de innocentia Gerardi Londinum tota ex Digbyo proximè necando audierat; nunquam tamen ſcribere auſi ſunt coniuratos lecta ſibi acta ſui iudicij pro veridicis agnouiſſe, hac ſolum de cauſa, quod veris ſuis confeſſionibus, interiecta forent quamplurima quorum falſo Patres inſimularentur. Inſimulationis porro huius cardo præcipuus Thomas Bateſius ſeruulus qui (vt poſtea dolens ad confeſſarium tuum ſcripſit,) impunitatis ſpe aliqua falſus ſi quid edidiſſet quo ſocietate coniurationis implicarentur Ieſuitæ. Duo ex veris edidit & certis; tertium ex ſuſpicione, primum Patres Garnetum, Grenuuellum, & Gerardum, tribus ſaltem coniuratorum primariis ſolitos confitentibus aurem dare. Se non ita pridem Garnetum vidiſſe, cum hero ſuo Catesbyo loquentem, a[illegible] alterum tuliſſe epiſtolam, nec ſciſſe quid illa contineret. Tertium idcirco ſuſpectum Grenuuellum ſibi eſſe cognitæ coniurationis, quod eſſet Vvintero, vni è coniuratis intimè addictus. Hæc Bateſius, præterea nihil, fuit enim diuinæ erga nos miſerationis, quod homo timidus, & animo vilis, ad capiſtrum, & ferrum, & ignem, & omnem pœnarum crudelium præſentem inſtantemque ſibi apparatum, nihil mentitus ſit ad Iudicum ſaliuam, vt illos ſibi faceret mitiores. Hæc tamen tria tam ſolitaria, tam dubia, infirma, longinqua indicia, ſimilibus addita, quæ expiſcati ſunt toto mari, & cœlo; acta iuridica, & perfecta cauſæ relatio in typos miſſa, habitæque à fiſci patrono actiones, & Liceſtrenſis Epiſcopi, Caſauboni, Abotti malè feriatæ lucubrationes, pro manifeſtis, compertis, & indubitabilibus vendunt tam ſolidis, & latè fulgentibus, vt cæcos eſſe oporteat qui hæc non videant; imo cæcos planè qui videant. Cum enim negotium & religionis & conſcientiæ ageretur, religionis magiſterium fuit illud excogitare & digerere; conſcientiæ vero miniſterium, perſcripta ſecuro animo exequi proculque ab omni culpæ metu. Eſſe igitur euidens & ſole clarius Ieſuitas confeſſione Bateſij nominatim expreſſos, coniurationis fuiſſe conſcios, ſocios, primoſque Architectos. Conſequentibus huiuſmodi, quas probationes vociferantur euidentes, ſatura deſpumant eorum opera, tametſi vt plurimum ex antecedentibus minimè pendeant; ſed inter ſe pugnent, ſoloque trahentis arbitrio fingantur ad ea pertinere. Exempla quæ interdum occurrent, tacita non prætermittemus, quantùm hiſtorico fas erit. Reis cauſæ ſummam cui aſſenſerant, veram negantibus, mirari primum cognitores, & Iudices vehementer; tum interrogare Fauuxeſium, qui ſemper audentius cæteris coniurationem, non modo confeſſus fuerat, ſed profeſſus omni laude dignam; qui fieret vt contra omnem expectationem, nunc eam negaret? Reſpondit (quod idem cæteri reſpondere) nihil ab ſe illorum negari quæ ad ſe pertinerent; ſed quæ eſſent iis interiecta ad inuoluendos patrato Ieſuitas, cuius inquit ſoli, & auctores ſumus & Miniſtri, hoc vero à ſe pernegari; recitata vero, cum Ieſuitis commune id fingere. Prodeat, ex nobis ſi quis illos accuſat; aut cuius

teſtimonio

testimonio rei sint vos ipsi edite; sin autem quid agunt in causa nostra Patres? & quod tam longè à vero abest, cur confessione nostra vera prætexetur? assensere septem alij responso. Subiecit ex aduocatis vnus, stylum esse causarum quarum summa scripto proponitur, vt quicumque tandem insimulantur fuisse criminum socij, eos causæ summa exprimat nominatim. At hic tales habentur Iesuitæ: vos enim certo, & manifestè rei estis. Iesuitæ sunt vobis intimi, vosque vicissim illis.

Res planè vt retuli gesta est, & qui audiebat tunc præsens, de illa sic ad verbum scripsit. Longè aliter à confessione Fauuxesij quem Abbotius mentientem inducit omnem à Garneto adhibitam operam ne cuniculi machina in fumum inanis vanesceret. At sunt Regis ipsius ad Parlamentum verba. Ille, inquit, Fauuxesius homo nefarius ad igniarium puluerem, & fauces cuniculi captus, negat se vllos ad subiiciendum illi ignem suasores habuisse præter religionem, & conscientiam. Pauloque post de illo eodem, frustra, inquit, mota sunt omnia, vt ex infelici exprimeretur indicium aliquod animi dolentis; at ipse perditè contestatur, nihil se aliud dolere, nisi se falsum executione facti quod mente conceperat. Hæc de Fauuxesio Rex, ita deinde scriptis aduersariorum mendacibus transuerso, vt alterius attribuat auctoritati sceleratæ quod ab se doluerat non fuisse mandatum executioni. Actis nihilominus causæ huius fidem aduersarij volunt non minorem haberi quàm Euangelio, si quid in oppositum mutias, tempestas imprecationum, & conuitiorum probrosior quam si patrem necasses subeunda. Ego nostris in rebus, de quibus tantùm ago; eandem fidem facile dedero, quæ causis ômnibus, & actis iuridicis debetur omnium Sacerdotum quos grandi numero sub Elizabetha & Iacobo, capitalis sententia extremo addixit supplicio. Quæ acta stylo quam veraci, sincero & iusto condita sint, verba significant quibus Rex ipsemet iis insistens, orbi vniuerso, & posteris omnibus suam fidem obstrinxit. *Id*, ait, *constanter asseuero, & in apologia mea posui, hic neminem siue meis, siue defunctæ Reginæ temporibus conscientiæ, ac religionis causa affectum esse supplicio.* Ergo plus centum Sacerdotes, vt laïcos sileam, quos Elizabetha elisis faucibus quadratim distraxit, omnes vel apertè, vel seueris probationibus immanium rei & enormium scelerum periêre, religionis, & conscientiæ causa nemo? forsan igitur homicidæ, incendiarij, grassatores, falsarij, & similium rei, aut suspecti saltem portentorum? Ah! nullius planè, Deo laus nemini vnquam obiectum est quod tale aliquid oleret: quod ergo nefas, summis in Anglia, summéque probrosis illos addixit suppliciis? respondent damnatoriæ illorum sententiæ, quæ præter coniurationes, rebelliones machinatas, proditiones in Reginæ caput, & regni quietem nihil sonant; ex actis nimirum iudiciorum de iis solennium ductæ, magnorum virorum interuentu, & iuridicis tribunalium ritibus, in eiusmodi criminum titulos seu pertractis, seu desinentibus; nullo vnquam vel primis examinum cognitionibus, vel in medio tormentorum æstu, vel sub furca, & æterni iudicij conspectu, nullo inquam, vel dato, vel extorto confessionis indicio quo

suspicionem sui vel alterius facerent; nullo chirographo, aut voce fortuita quæ deflecti possent in eorum accusationem. E contrario semper Deo teste, dataque in pignus animi sui salute sempiterna, omnem ab innocentia sua infidelitatis, & machinationis obiectæ næuum sanctissimo iureiurando depulere, omnemque præterea violatæ in Reginam obedientiæ, & in leges culpam, saluis tamen quæ nullam admittunt comparationem; religionis & conscientiæ legibus. Hæc fuit actorum conditio, & fides quæ iis debebatur, etiam priusquam sederet supremus pro tribunali Radamantus; Fisci Minos, quibus Anglia peiores, & iris acerbioribus in rem Catholicam in Iesuitas, Romanam Ecclesiam, & Christi Vicarium infensos ægrè reperiat.

Exceptione reorum audita, Cookeus fisci actor, *vultu truci*, vt notat sectæ eiusdem historicus; *& voce accusatoria* cœpit, vagatusque est, vt erat homini solenne, dum Catholicorum tractaret causas, extra rem sursum & deorsum de aliquo seiunctim Rom. Pontificum, tum de omnibus simul ea mentitus est, quæ nullus insaniisset phreneticus. Post Iesuitarum in hæreses ad rauim debacchatus, probandum suscepit Garnetum, & Gerardum coniurationis architectos & operarios extitisse, sed inuento tam sibi proprio, & ab omni credibilis specie remoto, vt qui causam Garneti peregerunt Comes Northamptonus, & Salesberiensis ne dignati sint quidem eius meminisse, vt qui famæ suæ consulerent, cuius ille amissæ iacturam vereri non poterat. Loqui desierat cum breui reorum interiecto responso, Digbyj seorsim ab aliis causa eiusque acta producuntur. Quibus sibi perlectis, eadem qua semper magnitudine animi vultusque constantia. Non me, inquit, nouæ priuatim aut meæ aut meorum vllius ambitus dignitatis dedit Catesbyo socium: sed religionis sanctæ amor merus, & miseratio conditionis Catholicæ iugo tandiu intolerabili oppressæ, expectantisque in dies tristiora. Hic vero longè ab iis diuersa non dubitauit Regis promissa memorare, de Catholicis meliori deinceps, & ciuiliori habendis iure, promissorum testem edebat Percyum amicissimum suum, cui manu prehensa Rex iuratus affirmarat se illa præstiturum. Ad hæc homines de Societate qui venisse in partem coniurationis insimulabantur, contestatò denuntiauit, & sanctè, fuisse ab ea prorsus alienos. Gerardo vero sibi peculiariter intimo, proin grauius suspecto, nihil se vnquam de illa indicasse. Certum videlicet, fore vt rationibus omnibus conscientiæ Christianæ certaret se ab eo dimouere; quod aliundè pursuasum habebat licere, esseque vnum, & vltimum Catholicorum malis remedium. Quæ Deo instinctus dixisse visus est, vt post euidens fiet ex repulsa qua Gerardo negauit Cæcilius quam poscebat innocentiæ probandæ facultatem. Postremo quòd mos sit reis aliqua indulgeri, petiit imprimis in mortis genere nonnullam sui haberi rationem, nec se pœna infami flagitiosorum, sed truncando capite absolui. Quod illi adeò est negatum, vt acerbius etiam cum illo quam cum cæteris actum sit, nec illi ad hoc impetrandum aut sua dignitas, aut maiorum erga Regis maiores ingentia merita, quicquam profuerint; seu quod illum

illum odisset Cæcilius; seu quod Regi exprobrasset, falsos eius promisso Catholicos. Quod illi Cæcilius, & Comes Northamptonus non sunt passi tacitum abire, sed coram mentitum arguere; nec enim Regi aut verbum, aut signum excidisse, de Papistarum ærumnis vel pilo minuendis.

Triduo post quam in Proditores pronuntiatum est, & erat anni dies tricesimus, raptantur è carcere trahis craticiis in forum seu cœmeterium S. Pauli, Euerardus Digbyus; Robertus Vvinterus, Ioannes Grauntius, & seruus Catesbyj Thomas Batesius. Postridie vero quatuor alij Thomas Vvinterus, Ambrosius Rookwoodius, Robertus Keyesius, & Guido Fauxesius, protracti sunt ad vetus palatium Vvestminsterense, è regione aularum Parlamenti situm. Rediens Londino paucis post hæc diebus Cancellarius Frisiæ orientalis, substiterat ad S. Audomari, mirabaturque stupens vim tantam populorum ad spectaculum confluxisse, vt vel præfocati, vel obtriti, extinguerentur duodecim quos ipsemet vidisset efferri. Nec minora, aiebat, spectacula debebantur coniuratorum generositati humana maiori, iunctæ cum pari pietate. Affati sunt populum è theatro breuius, fusius vt cuique libuit, omnes tamen longè cordatius, quam edita de iis recenset narratio. Eorum plerique (pergebat cancellarius narrando) profitebantur non modo tunc se alacres mori, sed vltro millies libenter morituros, ad Catholicorum, & religionis calamitates redimendas, quæ quotidie in noua ruebant exitia. Rookwoodius, ob hoc Caluinistis execrandus, Deum supplex orauit Regem vellet dignari sua luce, & ex falso quod detinebatur hæreseos dogmate, ad Catholicam diem illum reducere. Interrogatus Grauntius ecquid ipse abominaretur coniurationem velut exsecrandam & impiam? Negauit se ad disputandum de conscientia veniisse sed ad moriendum: iure vt semper credidi, an non moueri potuerit? doctioribus respondendum relinquo, ego interea sanctis Ecclesiæ placitis acquiesco, nec sibi pluribus obtundi passus est. Keyesius vero adduci non potuit vt factum censeret pœnitentia expiandum liberum enim noluisse, captum ex iis nequisse discere qui absque vlla dubitatione probare id possent ab se esse peccatum. Argumentatus solum ex euentu infausto, forte, inquit, rei aliquid inerat à me ignoratum, cuius causa Deo displicuit. Thomas autem Vvinterus, quo nullus scientior totius ab ortu ad vsque funestam sibi ruinam coniurationis, audenter confidenterque testatus est omnium nomine, nec ope nec opera, ne consilio quidem, aut rei notitia, fuisse vllum è Societate eius participem, nominatoque Grenuuayo, hoc est P. Osuualdo Tesmundo Confessario, questus est magna iniuria societate sceleris, aut cognitione amicos inuolui, hoc solum quod amici essent. Qua ille contestatione, hoc loci, & temporis edita purgauit Tesmundum à suspicionibus in illum à Batesio motis, & purgationem absoluit Batesius lachrymabili eorum quæ dixerat reuocatione. Lusus enim spe falsa condonandi sibi patibuli, recepit se tandem, & cogitare de salute cœpit, æquandisque si posset cum Deo partibus,

Scripsit ad Sacerdotem epistolam sua manu, cuius infinita deinde apo-

grapha volitauêre tota vrbe. Poscebat à Deo veniam suspicionis per summam iniuriam in Tesmundum motæ velut conscium coniurationis, ad hanc se tantum perfidiam cognitorum promisso, & suggestionibus inductum, vt supplicio innocentis, sceleris sui pœnam redimeret. Verum æque nemo inter coudemnatos, admiratione spectantium oculos, miseratione animum aduertit vt Euerardus Digbyus, pulcherrimo aspectu iuuenis, claritudine sanguinis illustri, ætate floridus, letho deformi oculis obuersante, nihil ore immutatus, nisi quod amabilius aliquid, & animosius præferre videbatur. Primus theatrum conscendit capacius, cui furcarum infames imminebant trunci. Salutauit omnes sigillatim quos illic offendit, & erant plurimi ex nobilitate primaria, quos sua singulos verborum ornauit comitate, inde ad populum conuersus, professione sincera probæ mentis culpam suam nisus est propulsare pari libertate ac maturitate, etsi culpam ipse ne in facto quidem satis agnoscebat. Addidit quod illi postmodum aduersarij scriptores grandi piaculo verterunt, familiæ suæ postremo interitu, religionis Catholicæ leuamen aliquod se percupidè mutaturum; mortem sibi haudquaquam dolere, sed rei Catholicæ clades, quas deserebat moriens nulla sui parte imminutas. Monitus à Ministris, culpam fateretur, detestaretur, ignosci postularet. Mihi quidem ait haudquaquam videor peccare in Deum voluisse, nec me criminis vllius remordet culpa. Egi fateor contra leges; & earum sum reus, sed pœnam non respuo. Morti vero idcirco leuius & libentius occurro, quod me nec ambitus, nec vindictæ amor in eam egerit, sed religionis, & Catholicorum cruda sub hæresi seruitute intabescentium suis malis, ob hoc solum quod velint constanter esse Catholici. Inuitantibus sub hæc Caluinistis, vt secum oraret; cum iis, inquit, non oro, qui mecum non credunt vos Deum cum vestris precamini, & ego cum meis. Rogatisque Catholicis, vt secum orarent in genua procidit, precatusque est silens, significatione pietatis intimæ tam viua, vt à multis Protestantium audiret Prædestinatus & saluus, & cuius sibi similem optarent mortis apparatum, & alacritatem. Post hæc denuo illos qui aderant primarios nobiles, singulos, salute vltima impertiuit, eadem prorsus comitate, qua erat solitus dum aula exiret; seque deinceps carnifici permisit. Mos est in Anglia reis maiestatis partem supplicij aliquam condonare, hoc est carnificem non ante ferro manum admouere ad amputandum, & euiscerandum, quam semimortuus è furca reus dependeat, vtplurimum etiam diutius. Verum in Digbyo derogatum est penitus huic legi, & priuilegio crudeli, cuiuscumque tandem id fuerit, è furca in pedes collapsus, viuens ac sentiens dilaniatus est, perinde immobilis, vt si iam fato functus. Hanc barbariem ab vsu alienam, multos dies secutæ sunt diræ in scribam Regis & alios tam indignantes occentatæ, quàm benevolè atque magnificè deprædicata Digbyj decora. Secuti etiam mordaces ex epistola sarcasmi, à quo scripta ignotum, & quo loco inuenta, qua monebatur à quinque Catholicis cauere, in caput suum coniuratis. Sed vulgo creditum hanc esse potius illius in omnes Catholicos coniurationem, quam cuiusquam in illum.

Post

Post Treshami in carcere, & istorum octo in publico mortes, descriptio prodiit, quæ illas regno vulgaret vniuersо, omitto falsa quæ iis affingit, & vera quæ illis detrahit. Hoc effrontis impudentiæ spectari monstrum volo, quo coniurationem vniuersam, tàm certo, & indubitanter Papæ attribuit, vt si ex reorum confessionibus propriis, & mutuis accusationibus id haberet, cum ne vmbram quidem suspicionis aduertendæ, assertioni scelleratæ inducere valeat. Conclamat ad hæc, fulminat, insanit, Romanam Ecclesiam tartarum, Papam dæmonem corporatum; Iesuitas eius carnifices, & furias, & si quid delirari peius in eos potest, ad incendendam contra illos hæretici populi rabiem, & deiectionem Catholici cumulandam. Sibi quoque occasione hac tam bona, sectæ vtriusque Prædicantes, & ministelli minimè defuêre. Ferrum, & ignes, & Papismi funus sonabat ex pulpitis vndique; sed falsi, & commodi studio non prorsus dementati, paucorum culpam iniquum putarunt in omnes Catholicos coniici, & genus aliquod animalium vniuersum de mundo tolli, quod ex eo semel monstrum exiisset. Nostrum quidem fuit nullius crimine omnes reos esse; tres tamen potissimum formidabili edicto nominatos, quorum hic mihi agenda est causa, illiusque in primis, quem Cæcilio visum, primo loco, vt reum præ cæteris ponere.

Jacobus Rex suasu Cæcilij Gerardum promulgat primum socium couiurationis. Peiorem ei affingit calumniam Catholicus. Vtraque purgatur. Guillelmus Balduinus ex actis coniurationis reus; retractata coram Rege causa, innocens ab eo absoluitur. Ex quo statuitur cuiusmodi debeat actorum illorum fides esse.

CAPVT VI.

QVIVSMODI & quantus fuerit Ioannes Gerardus, siue vt deinceps cognominatus est Tomsonus, vtcumque hactenus claruit, fietque illustrius cùm educemus illum ex Anglia: hic tantum iuuat suspicere præter ministerium Sacerdotis & Apostolici hominis, abstitisse tam procul ab aliis omnibus, vt quicquid erat in emissariis Elizabethæ, & in extispicina omni eius fori, discussa minutim enties eius vita, punctum nequiuerit in ea obseruare vnde publicæ rei vl-

lam iniiceret suspicionis de se vmbram. Quo argumento nullum potentiùs depellere ab eo valuit præsentem calumniam, violento enim iussu Cæcilius primum censuit inter coniuratos, non quod ignoraret quam longè abesset, ab suspicionis eius fumo, sed quia id dici sua intererat. Probationem Cæcilio qua id tantoperè iuberet suppeditauit seruus Thomas Batesius qui inter conscios illum nominarat, ob hoc etiam infelix quod eius ignauia Ministri vsi sunt, vt probrosis Gerardum alieno damno grauarent mendaciis, vulgatis eius vt rei confitentis, in Patrum detrimentum dictis, quæ non sunt ausi cuiquam aliorum adscribere, nobilium scilicet, & integritate conscientiæ, ac honoris cuncta calcantium. Timidiori mure mancipio, funestum mendacium indidere, à quo tamen Gerardus Deo vindice sic demum purgatus est vt præter dedecus, & propudiosum nomen, calumniatores eius, nihil inde retulerint. Quærebatur interea vbique tanto furoris ambitu vt compelleretur ad latendum syluarum inuia captare; post illic magis à scrutatoribus quàm à feris intutus, humo se condere; vbi dies nouem fame ac frigore (erat enim December) interibat, nisi raptim, & noctu pia amici commiseratio cibi aliquid illi suo periculo proiiecisset: illic innocentiam suam epistolis quatuor defendit, quarum tres, ad summos publici administros mittebantur, Ludouicum Stuartum ducem Lenoxensem; Henricum Houuardum comitem Northamptoni; & Cæcilium comitem Salesburiensem, cuius epistola quartam incluserat Euerardo Digbyo inscriptam, tunc in carcere agenti, quem supplex flagitabat interrogari à Cæcilio seorsum de singulis quæ ad eum scribebat, in quibus non dissimulabat colloquutum se cum Digbyo triduo ante quam subterranea fossio in notitiam hominum exiret. Colloquij porro vero materiam, & adiuncta fuisse eiusmodi, vt constaret ex iis euidenter, nihil prius ad Gerardum de cuniculi fabrica peruenisse, quàm toto regno spargeretur. Legi (scribebat P. Michaël Vvalpolus) Gerardi literas quibus addi omnino nihil posse arbitror ad euidentiam causæ innocentissimæ demonstrandam; nec vllo modo addubito quin Rex & Senatus his sibi pronuntient satisfactum, [iāque Rex fertur id significasse] quod quidē ex veris scribebat Vvalpolus; Gerardi enim ad se epistolam comes Houuardus cum Regi obtulisset isque illā attente perlegisset, alio negauit innocentiæ teste, aut argumento esse opus. Et pronuntiauit absolutum, cui iudicio pondus certè non leue accedere debuit ex natalibus Gerardi, quorum ipsemet in sui ad Smitheum Anglum Chalcedonensem Episcopum defensione meminit [Regi ait Iacobo mei omnes quantoperè addicti fuerint nemo nescit.] Nouit grandi suo damno parens meus bis captus ob tentatam ex Elizabethæ manu, & carcere, Mariæ Reginæ liberationem, & successionem eius filiis asserendam, quod fuit Ministris publici tam certum, vt multis nummorum millibus, vitam ei suam & libertatem vendiderint. Horum Rex memor suo ad coronam aduentu, dum Eboraci frater meus, sua illi domusque totius defert obsequia; Peculiarem, inquit, genti vestræ amorem debeo, ob toleratas mea causa hostiles insectationes; illumque in primum amoris eius pignus statim Equitem creauit. His opinor

nor Gerardi familiæ antiquis in Regem obsequiis, & disertis innocentiæ probationibus datum est, vt illa desineret tam ardens, & tumultuosa ipsius inuestigatio. Vtque ad cœteras innocentissimæ animæ rationes addamus illam qua nihil potest esse candidius magisque ingenuum. Rogabat status consiliarios exquiri ab illis octo aut decem reis, coniuratis damnatis, Deo teste, instante carnifice, salutis æternæ vrgente periculo, sincere ederent, ecquid scirent de illa coniuratione in Ioannis Gerardi vel curam, vel partem, vel operam, vel notitiam venisse, aut cælatum ab eo fuisse. Si quis annuisset, aut minus dilucide tergiuersando se scire negasset, testificatione huiusmodi sola, velle se vltro haberi reum. Qua conditione innocentiæ comprobandæ nulla poterat sanctior, nulla purior ferri, ad verum, si qua lateret extricandum. Verbo nihilominus vno Rex ab Cæcilio incantatus ita mutatus est ab eo qui fuerat ante paucas horas vt Gerardum Europa vniuersa vulgaret reum coniurationis, & eorum confessionibus conuictum quas appellauerat innocentiæ suæ testes. Cæterum Gerardi literas nec Cæcilius Digbyo reddidit, nec vllam earum apud illum mentionem fecit, ne quem volebat credi reum, ex eo audiret innocentem. Fuit itaque diuini omnino instinctus, quod in amplo illo cameræ stellatæ proscenio Digbyus dum à cognitoribus examinaretur, ipse per sese quærente nemine. Nostros omnes, Gerardum nominatim ab omni suspicione vindicarit. Cuius testimonij tam illustris habemus literas ad P. Thomam Fitzhertum Ianuarij vicesimo nono Londini datas, hoc est duobus ab ea contestatione sincera, & nobili diebus. Pergens autem in cœptis Cœcilius qui pro arbitrio versabat & Regnum & Regem, significauit illi coniuratorum partem potissimam primo loco nominare Gerardum, pro coniurationis fabro, & machinatore; deinde Garnetum; tertio loco Grenuuayum. Hinc prodit illico acerbissimum in eos edictum, Ianuarij decimo quinto datum, quo ex reliquorum confessionibus minimè dubiis autores nominantur totius coniurationis. Nec fuit, inquit, vir sapiens, mirum, *Qui non sunt habiti fideles in testamento Dei*, nec sunt veriti scripturis corruptis Deum secum pugnantem, & pugnantia loquentem inducere, adulterasse testimonia reorum, & ex negantibus in affirmantia, ex defensionibus manifestis, in accusationes capitales vertisse. Sub eo procœmio edictum, singulorum pingebat staturam, capillorum & vultus colorem, conformationem oris & habitus ex qua posset quiuis illorum occurrens agnosci; denuntiabantur palam proditores; capturis præmium ponebatur; excepturis crimen, & pœna rebellium, vti & famulitio forensi opem ad eos prehendendos negantibus. Terruit primus Edicti sonus Catholicos de tribus è Societate conuictis, & damnatis; sed lectis eorum nominibus, quorum apud se tot annos sanctitatem in omni virtutum genere habebant exploratissimam, & quibus à tanta calumnia fingi nemo posset magis alienus; cœptum inde ab iis intelligi sub hac stropha vnum latere ex dolis quos Ministri cuiusdam quam potentis tam malitiosi vafrities perfida deprehensa esset sæpiùs ludere; nempe illi hoc esse propositum vt tribus ex nostris qui suspicerentur in Anglia turpiter infa-

mandis dedecorarentur vbique alij, & proditorum inusti charactere, nec ausi deinceps os tanta ignominia notatum proferre in populum Anglia procul omnes absisterent, eòque discessu, nihil cuiquam relinquerent dubij quin prout erant commeriti iura in illos tamdiu sæuiissent. Edictionis ergo huius imperio, cum inter alios delegati quidam in Prouincia Vvorcestrensi domum nobilis scrutarentur, quæsiuit ex iis admodum serio qua tandem spe fidei faciendæ Londinenses consiliarij tres de Societate Patres condemnassent, non modo vt conscios coniurationis, sed auctores, & coniuratorum confessionibus conuictos, cùm ambigeret nemo, si modo sapere; potuisse Patres pro ea qua valebant apud nobiles gratia & auctoritate, longè alios ciere ventos, & turbines, quàm paucorum secreto turbantium, si voluissent vi agere, ad asserendam Catholicorum libertatem: dum è contrario, quod non omnes probabant, perseueranti stylo hortari ad patientiam. Quin imo infaustum id machinamentum eò infelicitatis hoc solo corruisse quod fuisset insciis Patribus constructum, qui eius Architectos, qua præcepti diuini qua Catholicæ Ecclesiæ legibus ab eo dimouissent; eos certè nunc æquè dolendum nihil habere quam seruatum cum iis silentium.

Aduertens denique Gerardus defensionibus innocentiæ suæ se nihil agere, tametsi erat tota vrbe nota ex quatuor literis, quarum apographis, eam impleuerat, statuit conditioni sese committere vltrà lineas quidem sitæ magnanimæ generositatis, sed quam per se omnino erat subiturus, nisi ab ea fuisset prohibitus. Fixum illi erat mancipare se sponte voluntario carceri, & exantlare illic seueritatem omnem consilij Regij in extorquenda sibi seu quæstionibus, seu tormentis quibusuis libuisset, vel sui criminis, vel innocentiæ suæ certa veritate; seclusis etiam eorum viuis concordibusque suffragiis quos sibi iam pœna coniurationis abstulisset. Qua ille animi deliberatione vsus est in rem suam apud Chalcedonensem Episcopum. [Mitto, scribit, ad D. V. Reuerendissimam, literarum trium apographos quas ad Regios totidem consiliarios dederam, vt in iis legat conscientia innocentiæ meæ quantum confiderem, quam non dubitarem eorum manibus, & iudiciis credere. Ab iis reiectus, reque adhuc recenti Londini consistens, Patres nostros, rogaui, vt per eos liceret publici status consiliariis me coram sistere qui seueritate omni iuris in me decernerent, dumtaxat in causa coniurationis, nullo enim modo de Religione agebatur; & hoc à me Patres frustra sæpiùs rogatos, possum iuratus affirmare, possuntque ipsimet testari.] Quam animosè hic & fortiter petendo, tam ij laudabiliter negando. Nec enim erat expectandum Ministros Regios oppignerata semel tam sonoro edicto sua, & Regis fide in Gerardi condemnationem; ab ea recessuros, quicquid tandem veri certique comperissent, ne indecora retractatione se deceptos, Regem ab se deceptum fatererentur. Spectato deinde hominum genio quos non poterat Gerardus vitare, & penes quos erat de causis agere attinentibus ad religionem, cum familiare iis esset facta & dicta, hodierna die mille hominũ oculis, mille auribus excepta, craftina in actis, planè

contraria

contraria & falsa exhibere; quid erat sperandum de gestis inter Latomias Turris Londinensis, quæ tam illibata innocentiæ lux, ausa esset illis se tuto committere. Ob hæc Gerardo quantumuis petenti obstandum Patres censuêre. Haudquaquam tamen ex Anglia post tres menses, tam purgatus, & purus, & euidenter innocens excedet, quin annis inde quatuor & viginti eam illi non nemo suscitet iam pridem mortuam coniurationis in Anglia motæ calumniam, qua ferebatur celebrans singulos coniuratos dum eos Christi corpore impertiret, obligasse religione secreti inuiolabilis, non, inquam, modo id illi denuo obiiciat monstrum, sed horribilius, & portentosius de integro fabricet, tantumque ab omni inueniendæ fidei colore alienum, vt nec hostilitatis hæreticæ maligna subtilitas, nec implacabile odium, ad fingendum illud deuenerit; finxit tamen Catholicus, & non nihilo plusquam Catholicus; qui cum in Gerardo, eius ordini ac meo inusserit maculam quam esse perpetuam voluit, æquum est vice versa innocentiam Gerardi æterno constare monumento quod est sequentibus ad Riccardum Smitheum Chalcedonensem Episcopum ab eo literis consignatum.

Reuerendissime Domine, accepi à paucis diebus, manuscripto in vulgus proiecto cui titulus est *Brevis inquisitio, &c.* gloriari hodieque virum nescio quem exportanda se propriis manibus, & brachiis humo, è D. Catesbyj, aliorumque coniuratorum dolosa fossione, sæpe sudore maduisse, qui tanta copia ex indusio flueret, vt si foret tunc ex fluuio sublatum. Hunc porro virum à me alium non esse, censet eadem mentiturque audacter epistola. Spreui hanc fabulam, mecumque complures, eique non modo non credibiliter, sed ne suspiciosè quidem, fidem datum iri putaui, nec responso vllo dignatus sum. Tantum optimo Sacerdoti, quamprimum istuc profecturo enixè commendaui, ne grauaretur D. V. Reuerendissimæ indicare de afficta mihi contra ius omne verumque calumnia, tenerique me certa fiducia, non modo nihil ipse commodaturam fidei aut credulitatis, sed vbicumque res tulerit traducturam quoque mendacij. At enim Sacerdos dum proficiscitur, missus in typos liber iam vulgo teritur, dempta tamen quam dixi fabula, quæ nihilo secius manu scripta passim currit per manus, cum toto narrationis, & facti ornatu, ex quo est omnium vniuersale iudicium, esse me virum illum qui gloriatus sit tanto facinore, quod vt credant Sacerdos efficit, quem illic inducunt pro testimonio dicentem, se illas ex me iactabundo gloriationes audiuisse.

Ego vero satis mirari non possum Catholicum nedum Sacerdotem, conscientiæ tam inuerecundæ; vt tantum nefas, tam falsum, & iniuriosum apponeret homini nulla re vnquam ab se læso, quod possum de me audenter profiteri erga omnes Angliæ Sacerdotes, iuuisse me semper quoscumque potui, læsisse neminem. Ac miraret profecto si D. V. Reuerendissimæ videretur tam horrendi iactantiam sceleris, in me vllo modo cadere potuisse.

Ego testem appellans Deum cum omni reuerentia affirmo, coniuratio-

nem illam mihi haud vnquam magis fuisse compertam, quam infanti recens in lucem edito, nec audisse me de illa prius à quoquam mortalium nec suspicatum de apparatu, & igniario puluere, quàm esset omnibus iam publicè nota, armatique apertè coniurati secessissent in Prouiciam Vvaruickensem. Ibi loco agebam tam omnis præsidij experti, atque incurio, vt si rerum nouarum vapor eò vllus inhalasset non potuissemus à grassatoribus, qui prodire tunc solent tuti esse. Ad hæc coniurati, seueriſſimis cognitionibus rogati de consciis, alioqui etiam dirè torti, de me semper constantissimè negarunt. Euerardus Digbyus multis nominibus, detecti mihi negotij suspectus, pro tribunali publicè contestatus multorum se crebra sollicitatum instigatione, vt me conscium eius diceret ab se factum; negauit semper, neque id ab eo propterea cælatum respondit, quod videret fore vt eum à tam nefaria molitione dimouerem.

Ob hæc è consiliariis pars maior innocentiam meam probatissimam habuit clareque perspectam; accedente præsertim epistola qua illam tuebar profitebarque sanctè cœlo teste atque hominibus nihil me vnquam prorsus de tota rescisse coniuratione; cumque tunc nihil esset propius quam vt caderem in eorum manus, dabam me illis ad omnes promptum cruciatus, ipsamque adeo probrosam infamiam, periuris debitam si cum forem in eorum potestate, deprehenderent vllo modo fuisse me conscium coniurationis. Habuit me olim Elizabetha in carcere tres annos, pro arbitrio cognitorum examinatus sum quoties, & quantum voluerunt, num vlla ex parte publici status negotia contigissem, prouocabamque illos vltro, vt si de me huiusmodi probatum habuissent, nullis in me pœnis, nulli parcerent feritati. At ij de status negotiis fuisse à me vnquam aut motum aliquid, aut susceptum, cogitatumue, suspicari nunquam potuerunt. Quanto minus fuissem crudelitati assensurus à qua præter diuinas rationes, natura me finxit alieniſſimum; mouet mihi horrorem quicquid immisericorditer patratur, possumque sanctè confirmare ex quo vitam quam duco sum aggressus, nunquam Dei gratia euenisse, vt cuiquam etiam inimicissimo vel mortem cuperem vel aliquid graue; multo minus partem habere sustinerem, in repentina, improuisa, proindeque pauenda tot virorum illustrium morte, quos omni obseruantia prosequebatur. Quam indicaui meam epistolam fuit qui Londini variis compitis ad hoc sparsit vt legeretur ab omnibus. Reddita est alia comiti Gouuardo quæ Regi adeo satisfecit, vt à mei acerba inquisitione fuerit absistendum, nisi eam Regi Cæcilius persuasisset vrgendam quam ante acerbius. Certo enim induxerat animum coniuratorum aliquos sibi præcipuè ac propriè mortem destinasse, sperabatque si forem in sua potestate extorturum se ex me illorum nomina, cum nihil ambigeret me ferè ab omnibus diligi, quæ causa fuit vt Regis animo altè defigeret, liquidis ab se probationibus compertum me non socium modo, coniurationis extitisse, sed primatium auctorem, & primo loco nominatim edicto inscribendum. Ego hunc mei perquirendi ardorem præsagiens vix cassо exitu sopiendum, statim *dare locum iræ*, & post sudatos

tos in Anglia tot annos, secedere cum Apostolis *seorsum in desertum locum, & requiescere pusillum.* Hæc summa simplicis, & ingenuæ veritatis, ignorasse me prorsus omnem apparatum igniarij pulueris, & cuniculi subterranei; & huius & alterius cuiusuis coniurationis fuisse me adeo esseque insontem vt est D. V. Reuerendissima, & quiuis mortalium; quod ego persanctè iterum animæ meæ periculo iuratus affirmo, idque omni tam procul æquiuoco, vt si sono verborum, facti veritas non respondet, ac si prius de illa coniuratione aliquid resciui, quam esset omnium auribus, & sermonibus vulgata, coram Deo atque hominibus constituam me periurij reum; non plus à Deo misericordiæ flagito, quam certum est illam fuisse mihi penitus ignotam. De meo quidem vicino exitu, monet me tum ætas, tum pestilentia, quæ si hanc etiam corripuerit regionem, vix est vt possim illam euadere, ob opem qua teneor huic familiæ cui præsum. Id si contigerit, non habebit, opinor D. V. Reuerendissima salutis meæ sempiternæ, cui tot annos incumbo, tam stultè prodigum, vt tam graui me putet contestatione veri, & iureiurando obligare illam voluisse si quid vel minimum haberet dubij. Vt autem confido inspectorem omnium Iudicem pronuntiaturum de hac mea causa, sic me magna spes tenet D. V. Reuerendissimam non passuram deinceps me reum vulgari tam sceleratæ infamiæ, quem videt adeo innocentem. Fidem enim ex eo maximè ducit calumnia quod vulgo iactatur D. V. Reuerendissima credulitate sua illam sustentare, quare accido illi supplex, vt per illud quo ardet charitatis, & æqui studium, mendacissimæ illi calumniæ, purgationem hanc meam dignetur opponere. Sacerdoti, quicumque is fuit, cuius falso relatu decepta est, opto præuiam morti, veram sceleris huius detestationem, & dolorem, vt simul omnes æternum viuamus.

Hactenus Gerardi epistola quàm modesta tam fortis ad depellendam à se ac Societate atrocem calumniam, cuius nunquam auctor proferri valuit. Natam quidem vt aiunt in ore Sacerdotis, inde quis illam susceperit, voceque ac verbis suo in libro donauerit quibus publicè proflaret suum virus, sciri non potuit. Nec ille adduci, vt scriptum reuocaret, vel epistolam legeret qua se Gerardus probabat innocentem interpellatusque sæpius nomine Vitteleschi à PP. Floydo, & Baptorpo, verba reddidit semper, præterea nihil. Tantum sibi assumit iratus in famam alterius animus, vt quod esset in alio magnis execrationibus damnaturus, velut vltra barbaros nedum Christianos & hæreticos relegandum, id sibi licere violenter suadeat. At facit solenne iusiurandum, quo se sanctè negauit Gerardus quicquam vnquam aut sciisse, aut sacris etiam ex confessionibus odoratum de coniuratione illa omni, nisi postquam totum impleuit tonitru suo regnum; facit, inquam, tantisper vt repetam, actis iuridicis cuiusmodi debeatur fides, quæ Gerardum sonabant probatione ineluctabili eius esse conuictum. Erat enim hæc omnis probatio, vna Cæcilij voluntas, suis priuatim vtilitatibus affixa. Quod autem ex ore Lancilloti Cicestrensis Episcopi, Abboti, & Casauboni nihil crebrius, nihil tumeat altius, quàm illud actorum oraculum ex

quibus referunt suis libris, Garnetum chirographo proprio, & confessione spontanea fuisse auctorem coniurationis, antequam eius causam in luce collocem purgatissimæ veritatis, præmittendum est mihi necessario luculentum si vnquam extitit fidei argumentum quam illorum actorum sanctitas exigit, ex quibus iure damnatus conuincitur.

Præter illos ergo tres de nostris in Anglia Edicto Regio suis adscriptos nominibus, quosdam alios transmare pro sua quemque vt libuit parte Cookeus causidicus, proditionis eiusdem scelere contendit inuoluere; sed inter omnes insignitè reum Guillelmum Balduinum, tunc in Belgio commorantem quem sua illa declamatione tres inter nominauit quos somniarat ad Regem Catholicum legationem comparasse, vt ei dono Angliam offerrent; eundem vero, Rege, filiis, Parlamento in fauillam, & fumum difflatis, aduolaturum ex Belgio cum expedito exercitu ad eam occupandam. Quibus addebat prodigialiter Lancillotus Episcopus, de Balduino haberi ex actis tam confertam probationum & testium turbam, vt si quando veniret in Angliam obtueretur, impar veritati tam lucidæ euidentique refellendæ. Venit in Angliam Dei beneficio Balduinus: Romam enim petens maiorum iussu, dum Federici Electoris Palatini oras radit extremas, ab eius militibus tenetur; agnoscitur illemet, is esse Guillelmus Balduinus Iesuita quem ab Archiduce Alberto tam iratis studiis postulauerat Rex Iacobus proditionum suarum exsoluturum condigna supplicia. Catenis oneratur, inuoluiturque cinctu toties replicato, vt terrori Africæ Leoni coercendo posset earum pars media sat esse; præter tractum illarum Palmorum octodecim qui sequebatur præeuntem, ad quem principum more caudæ Ministro & gerulo se iocabatur eguisse. Carceris illi circum, parietem suis corporibus obtendebant armati duodecim; catenis ad manus, brachia, tergum, & corpus medium stringendis & laxandis præerant quatuor cum totidem clauibus. Alterius manus permittebatur illi tantum vsus qua cibum ori admoueret. Cultelli vsus, aut fuscinuculæ planè nullus, ne infamiam coniurationis, & mortem quam ibat subiturus, vltronea sui internecione præuerteret. Hoc ornatu Iuliaci traditur Eduardo Cæcilio Roberti Germano, illi arci Præfecto, cum præsidio Anglorum; qui repentè illum catenis exsoluit Cæcilius longè alter à fratre, omni officio prosequitur tum beneuolentiæ tum honoris, quo vtroque iam inde à primo congressu dignum compererat. Ducendus vero in Angliam Ioanni Burlaceyo committitur, qui eius ampliſſima cum laude Iacobo Regi eum sistit. Exceptus nihilominus Turri à Guillelmo Vvadeo qui ei præerat, mox cœptus est illis cum actis componi quibus euidentius toto sole Balduinus, reus & socius coniurationis teneri dicebatur; lecta, versata, meditatò excussa, etiam cribrata cum essent excerni ex iis nihil potuit non dico euidens, sed ne vero quidem aut probabili simile. Quicquid tamen id fuit, quod posse visum est ex iis introspectis contra illum depromi; mandatum est inquisitioni grauissimorum Senatorum subtilissimè peruidendum, adiunctis Episcopis qui has fori vices etiam acrius, quam ipsimet forenses exigebant,

exigebant, ne ipsas quoque carnificum recusaturi partes, vbi lis esset de occidendo Iesuita. Dies occupauit quam multos libuit, multosque cognitores examen scrupulosissimum, euentu quo, veri auctore, & fautore Deo, nullus expectari honorificentior potuit: fassus enim est Rex Balduinum probatum iuridicè totius ignarum coniurationis, & pro insonte absoluendum. Quæ, meo iudicio, causæ victoria referenda est ad formam eius iuridicam, à qua excluſus Cæcilius, eiusque homines non potuerant ex ea reuellere quæ pro reo erant; nec quæ illi officiebant intrudere. Alberto enim Archiduci Balduinum suum repetenti, satisfecerat, Iacobus hac promissione, effecturum se ne quo dolo agentium, aut vaframento circumueniretur, si ritè ac solidè innocens probaretur nihil esse illi metuendum. Stetitque promisso tam religiosè, vt decretorio eius Examini, tenui velo interiecto adesse voluerit, responsa laudauerit quibus validè obiecta depellebat & pronuntiauerit innocentẽ. Regi totum tribunal assensum est, eiusque sententiam testificatione publica in posteros misit. En ergo illam Coxei eiusque sequacium euidentiam actorum veracium diuinam, & nulli obnoxiam errori, erroris conuictam ex actis Balduini. Damnatumque ex illis tanquam reum nulla satis de causa Balduinum; ex his eundem omni iure pronuntiatum innocentem, & erat profecto eundem exitum sortiturus Gerardus, si aut Rege coram, aut absente saltem à Tribunali Cæcilio foret ex merito iudicatus. Suam tamen is innocentiam discedens, plus satis prudentibus perspectam reliquit, vulgatis quas ad Senatores, & Digbyum dederat literis; & palinodia Thomæ Batesij quem accusatorem Gerardi vulgarat Cæcilius; Batesius suo chirographo significabat innocentem.

Pergerem in Greenuuayj causa, hoc est P. Osuualdi Tesmundi propugnanda, nisi ex rerum similitudine lectoris fastidium timerem. Cum præsertim sequatur Henrici Garneti stylo eodem, defensio, quem quo pluribus innocens, & atrocioribus diutiùs exagitatus est, & dilaceratus calumniis, eo minus fas est prætermittere indefensum.

Quam sollicitè Henricus Garnetus à Consiliariis quæreretur. Quam feliciter per annos viginti eorum manus vitat. Captus à quodam fori Ministro Tesmundus, arte, ac viribus ab eo se excutit. Catholicus nobilis, proditione Patrum Garneti, & Oldcornei se redimit. Garnetus in itinere Londinum ministelli disputationem poscentis ignorantiam dissipat. Examinatur obseruantia singulari, & claudendus carcere in turrim mittitur.

CAPVT VII.

IBAT annus Garneto vicesimus à primo in Angliam ingressu cuius temporis spatia ærumnosissima, ministerij Apostolici constanti sollicitudine, sudore, & sanguine vitam inter, & mortem pro Religione Catholica nunquam non prompto, & parato gnauiter impleuit. Hic ipse quo moritur annus æui sextus erat illi supra decimum, octauus in perpetua illic nostrorum gubernatione, variasque in partes vineæ illius distributione. Duos reperit tantum ad opus liberos cum pedem in Angliam intulit, anno sæculi præterlapsi octogesimo septimo; quadraginta reliquit moriens, quos vt illuc accerseret industriæ fuit admodum singularis; vt autem conseruaret inter perpetuas insidiantium, & indagatorum pedicas, & ineuitabiles laqueos fiduciæ fuit diuini vbique præsidij securæ. Nam sæpè accidit vt cum eo numero conueniissent quo possent grande Collegium conflare, siue instauraturi de more vota, & spiritum; seu consulturi de re illius Christianitatis, adesset anhelus Londino nuntius, & festinatum ab inuicem discessū iis indiceret, ni vellent de media nocte armatorum equitum inuolui turma. Extemplo ille receptui singulis assignabat notas Catholicorum domos & latebras, ipse periculum exibat vltimus, illud vsu sibi iam familiare pro iis Deo canens, *dedisti metuentibus te significationem vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.*

Sed inter nostros qui erant in Anglia, nemo tam amenti hostium ambitu inuestigabatur, vt ipsemet Garnetus, quem plus solum valere cernebant,

bant, ad rem Catholicam factis suis augendam, quam valerent ipsi ad eam vinculis, & cruciatibus deterendam. Delegatis ergo lictoribus, apparitoribus, & tota fori colluuie cùm essent illum & frustra, & millies scrutati, vertebant sibi dedecori eius effugia, quibus ne deinceps traducerentur ioco, id instituerant vt in cognoscendis Catholicorum causis, præcipuus esset interrogandi atticulus; vbinàm posset Garnetus inueniri. Scribensque ipsemet; anni sunt, inquit, octo, ex quo nullus torquetur Catholicus, quin ab eo mediis in cruciatibus quæratur, vbi degat Garnetus? Qui cùm agat? Quis ei amicus? Quam Prouinciam, qua veste incolat? Quàm pronum sit, iter agentem intercipi? Sed irruptiones fortuitas per alta noctium silentia in domos Catholicorum insontium quibus aliquantula suspicio erat latere Garnetum fuisse adeò furiosas, vt si Iudam quæsissent proditorem. Nec minori sibi fuisse opus præsidio quàm Archangeli Michaëlis cuius se tutelæ totum crediderat; quare nullum sibi abisse diem quo tanquam vltimo ad aram non faceret. Vidimus Topcliffum, de Garneto aliquid resciturum, quàm dirè Gerardum excruciauerit. Ioanni Lillio neganti se quicquam de Garneto scire, nec si sciret dicturum; iratus Vvadeus turris præses; atqui tuis, inquit, Papista improbè, & canum tuorum ingratiis, lupi cubile iam tenemus, domum Annæ Vallensis, & Brocksbeæ sororum, quæ sunt Vallensis Baronis materteræ, tuque biduum intra tecum hic præsentem videbis. Non existimarat Vvadeus Lillium tam densa stipatum custodia rimas inuenturum, qua tàm præceps arcanum, Garneto indicaret; inuenit nihilominus tàm industriè; occultè, ac tempori, vt dum postico euadebat Garnetus, aduersarij domum porta subirent. Neque ita tamen exploratorum oculos vitabat Garnetus, quantumlibet monitos, & sagaces, vt resideret domi sepultus, & inuisus: narrat enim P. Guillelmus Vvestonus ausum ad se venire in Turri captiuum; deinde Vvisbici, vbi eius aspectu inhorruit, veritus ne inter tot oculos, vnus illum meditatius figeret, agnitumque deferret. Erat enim Garnetus, ea oris conformatione, & lineamentis quæ possent commodè notari. Erant præterea prope continuo præstanda Catholicis domi suæ salutis auxilia; rectum nouis operariis quærendum, quos Seminaria mittebant; horum semper vnum aut alterum scribit se domi aluisse, suffecisseque sumptus ad subornandos illos veste congrua conditioni quam erant simulaturi propter Deum, & animarum lucrum.

Eam obrem amico, sua enarrans pericula. Primum inter illa ponit falsos fratres, quod vocat ineuitabile, cum satisfieri charitatis officiciis non posset, nisi coniecta in discrimen vita. Posse apertè palamque inimicos aliqua industria eludi, sibique id ante annos octo, bellè feliciterque processisse; domum suos in vsus conductam tenuisse, sed ficto Morgani nomine qui reipsa nusquam hominum erat, sed vulgo ferebatur agentis in longinqua Prouincia Garnetus rē eius procurare fiebat quotannis magnificus huic fabulæ fucus ad stabiliendam credulitatem vicinorum, aderat D. Morganus, res suas per se inspecturus, homo vilis, schismaticus, & pauper, sed forma

nobili, & cultu splendido, cum duobus in vestiaria tessera equitantem stipantibus, stabatque paucis numismatis pompa in qua suam quoque agebat personam eius vxor D. Morgana, & ipsa inops & egens femina, sed mundo muliebri vrbicè compta, & exculta, proin vtrique ad templum accedenti, protestantium ministellus iisdem honoribus occurrebat, vt si forent re vera qui videbantur esse; domo interea Garneto libera & tranquilla, dubio nemine quin esset à schismatico conducta, & propterea minimè vexanda inani perscrutatione Catholicorum Sacerdotum. Sic egit plus minus securus ad annum seculi huius quintum, quo insana eius tenendi rabies extrema omnia tentauit, Deo vice versa indagatorum curas irridente [quanquam, ait, (sororem in Belgio alloquens) domum vtramque index sceleratus aduersariis prodidit qua me hactenus abdebam, & nunc vagus, meique incertus hospitium quæram; festum nihilominus sacri corporis Christi nec sine paratu magnifico, nec sine musicis egimus, & octauo post die pium supplicantium ordinem circa hortum ingentem duximus, ignari domum proditoribus esse obnoxiam, donec vbi sequens illuxit dies, obseruarique nos animaduertimus, numero quinque, & viginti hac illac dilapsi, eorum impetum lusimus; *& sic effugi manus eorum*] hæc de illo solenni Christi corporis cultu Dei seruus, quem non erat in vita postremum acturus, nisi eum Catholicus nobilis immani sacrilegio Regi vendidisset, eiusque sanguine frustra vitam redimere tentasset; pari enim pœna, & reus proditor, & proditus innocens sunt affecti.

Cum ergo exisset in publicum formidolosa quam diximus aduersus Gerardum, Garnetum, & Greenuuayũ Regij Edicti sententia, & peruagata esset Angliam vniuersam, delegatus est cum imperio Puritanus, vt Baronis Vallensis suburbanum lustraret, scrutareturque palatium; sed iam alio Gerardus, & Garnetus præuerterant fugere, & strenuitatem Puritani maturè fefellerant. Is nihilo seciùs tentos aliquamdiu Catholicos nobiles qui domi substiterant, Londinum perduxit, vbi suæ generositatis non leue documentum malè habiti præbuere. Greenuuayus, seu P. Tesmundus, pari vir animi firmitate, dubiisque in rebus industria, videns quàm ferociter scrutatores indagationem sui perurgerent, non sustinuit hospitij gratia, Catholicorum cuiquam vitæ aut rei creare periculum. Quod audaciſſimum, hoc pro tutissimo mali remedio tunc legit. Ore quantum potuit, cultuque mutato, via Regia, & tempore submeridiano promiscua commeantium in turba iter Londinum aggressus est, in quo subinde in compitis, ipsisque arboribus videbat legebatque, cum substistentibus passim circulis viatorum Edicti Regij exempla multiplicato sparsa, velut ad se nihil attinentia; sic nullius notatus obseruatione, confidenti & libero aditu vrbem ingreditur, vbi per solitaria diuerticula meritorium quærens hospitium, ab Exploratore est agnitus, qui sexcentis vbique oculis, illorum trium quos depinxerat Edictum ex delatione, Lucri aliquid venabantur. Tesmundum ex vultu cum deprehendisset, correptum brachio territat conclamans, ipsius ergo es ille Edicti Greenuuayus, ego te Regis nomine in carcerem trado; quibus nihilo

nihilo turbatior Tesmundus, ducentem sequebatur altercans, & querens se pro alio duci; quoad ventum ad vicum infrequentem, & prope nemini habitatum, vbi se ab suo ductore tum robustè, tum ingeniosè expediuit, paulò post etiam tota ex Anglia. Restabat è tribus in omnes Dei nutus qui nostris præerat Garnetus, quem P. Eduardus Oldcorneus infimis precibus inuitauit in Campestre palatium Abingtonorum nobilium, Henlipi nomine, milliaribus à Vvorcestro tribus, cui par nec illa Prouincia, nec forte aliæ habebant vllum. Domus erat in quadro sita, & muro latè vallata solido; domus regiones tam multæ seorsim, sed mutuo aditu tam indeprehenso inter se aptæ, vt scrutatores Sacerdotum illas introgressi ambages conclauium adeò impeditas, inuestigandi curam abiicerent. Summa palatij occupabat aula, crustis circum vestita ligneis, elegantissimo sculptis anaglypho. Inde varij descensus in latebras & transfugia & fugam, eorum ostiolis tam subtili artificio cum summa operæ commissis, vt nullum eatenus valuisset suspicioſi oculi acumen ea discernere. Illic annum agebat sextum & decimum Oldcorneus, alio cognomento Hallus, (quo tamen etiam in causæ suæ actis, & apud Anglos scriptores vocatur) & grandi prouentu animarum propiores colebat regiones, ea morum amabilitate, vt diligeretur à Protestantibus, apud quos illum Thomæ Abingtono vel propinquitate sanguinis, iunctum esse, vel amicitiæ intimæ peculiari vinculo fama erat. Eo securiùs ignotus suos illic habebat Catholicorum cœtus, conciones, sacra & ministeria diuinorum, quorum inter alios beneficio, postremis temporibus fruebatur Hunfredus Littletonus Catholicus nobilis, ille ipse qui PP. Oldcorneo & Garneto hanc rependit vicem vt illos aduersariis ad mortem proderet, propudioso ad posteros in Anglo nobili perfidiæ ostento. Claudebatur is carcere auxilij reus armato Catesbyo eiusque sociis præbiti, & illic audiens de tribus nostrorum Edicto Regio proscriptis, acriter cœpit promissis tentari quibus ad eos indicandos proditores inuitabantur amplissimis. Memor itaque Oldcornei cui haud pridem ad aram facienti, & concionanti adfuerat in palatio Abingtoni, quod ardenter optabat facilè credidit, aliquos scilicet ex proscriptis, cum Oldcorneo illic se abdere, quorum indicio vitam posset ex cognitoribus Regiis emere. Quod fieri diuinabat posse, pro facto denuntiat, inuenitur, & comprehenditur cum Oldcorneo Henricus Garnetus; pessum ruit tam clara & illustris Abingtonorum nobilitas, familia res & domus, præmium operæ reportat proditor laqueum, fauces fractas, & carnificinam corporis ignominiosam. Introspiciendi palatij potestatem Senatus Londinensis Henrico Bromleyo illico demandat, qua nulla potuit committi gratior homini Puritano, & Abingtoni pridem palatio, eiusque prædiis sibi contiguis inhianti. Ardens ille rem statim aggreditur, cœlo nondum albente ducentis equitibus domum cingit, & validis ictibus portam quatit maiorem, cui pandendæ dum familiares varias fingunt moras Oldcorneus & Garnetus cum supellectili sacrorum latebris se tutantur; diuersis duabus serui eorum duo Nicolaüs Ouuenius, & Rudolphus Asleyus strenuè vterque Catholicus. Iam muri

procinctum euersis postibus intrarat Bromleyus inde intro progressus vxori absentis Abingtoni, Senatus mandatum exposuit, domus totius ab ea accepit claues, plenamque singula lustrandi, & excutiendi potestatem, sed planè inanem quoad aditus latebrarum, quibus diuinandis dies octo in cassum durauit, nullo vsquam omisso angulo, nullo pariete quem arte omni, & machinamento non examinarent. Sed vicit deniqne omnem latendi solertiam, inuentum pertinax excubandi vbique tamdiu toris porticibus, aulis, conclauibus, scalis, & angulis, dum dies, & fames, latentes cogeret cauo erepere. Fixum quidem erat duobus Patribus fame interire, ne si apparerent, eodem secum exitio hospites suos inuoluerent. Secus autem famulis duobus, qui præcipitatò dum latibulis se mergunt, præter pomum nihil intulerant, ibatque iam septimus ieiunis dies & vigore defectis, quanquam illos non tam aut famis, aut mortis angustiæ in certum discrimen produxerunt vt suus in heros, & Patres amor, quos plus seipsis diligebant satagebantque in viuis seruare, rati enim, quod erat iis deliberatum, prius mori quam vt committerent prodeundo Abingtonos nobiles perdere; putarunt ipsimet si se in lucem darent habendos esse pro Sacerdotibus qui se & vnicè occultabant, & vnicè inuestigabantur, & iis Bromleyum abducendis contentum, relicturum Patribus, reficiendi corporis, & fugæ spatium. Perperam consultum nihilo feliciùs exequuntur, emersi latibulo, recta scalas petunt descensuri si possent, seque inde procul amoturi; sed clausas ianuas nesciebant. Conspecti ergo tenti, & interrogati an essent Sacerdotes? Sumus, respondent, Catholici, nec plura quærite, nec enim nunc tempus pluribus satisfaciendi. Rogati denuo latendi causam si Sacerdotes non essent; palam enim erat domi latuisse, cum clausis foribus, non possent adesse aliunde. Latuimus, inqiunt, verum est, cur autem nihil opus dicere, factum ipsi putate, ne inueniremur, & prehenderemur, latebras porro nec requiritando rescituri estis, nec deprehensuri indagando. Ita boni viri, se absurde omnino arbitrati, pro tribus Patribus tentum iri quos descripserat Edictum cum eos nulla vel nota corporis, vel oris referrent.

Hinc necessario confecit Bromleyus, ampla illa domo secretos latere angulos complures, ingeniosis dolis ad Sacerdotum occultationem concinnatos, quare dies præterea insumpsit quinque pulsando, auscultando, bombis aure captandis, aperiendis parietibus totoque illo superioris aulæ tam pretioso anaglypho, & elegantibus crustarum cælaturis soluendis dissipandis perdendis donec eò denique peruentum quo se Oldcorneus, & Garnetus receperant. Ille pridem tot annos de facie illic notissimus: Garnetum oris lineamenta quædam, tum noti sibi olim testis indicium patefecit. Prior a Bromleyo conuitiis, & omni verborum contumelia salutatus est, quæcumque possunt in abiectissimos, & despicatissimos calones euomi, quibus vir Dei nec offensus, nec motus, idem quod prius animi tranquillum vultusque retinuit, longè grauioribus præludens, quibus perferendis se Deo obtulerat. Grandi se tamen culpa damnauit Bromleyus, postquam agens cum eo familiarius, multo diuersum ab illo expertus est,

quem

quem de primo aspectu finxerat. Captis iis, & cum Abingtono qui superuenerat Vvorcestrum perductis expectabat Londino à Consiliariis Regiis quid illis fieri iuberent. Inter hæc contigit res valdè insolita, & de prodigio plurimum sapiens, totque oculorum testimoniis firmata vt historico nefas sit eam omittere, salua tamen cuiuis facultate aut concludendi eam naturæ legibus, aut maius aliquid de illa sentiendi, reddo illam stylo Ioannis Gerardi, qui tunc nondum excesserat Anglia. Narrauit, aiebat, mihi Sacerdos, qui suis & ipse oculis viderat, in palatij Henlipi area in quo Patres duo Garnetus, & Oldcorneus capti, natam esse coronam herbeam rotunditatis exquisitæ, foliorum figura, & colore ab cæteris quibus tota virebat area tum valdè absimilem, tum iis multo maiorem, folioſiorem, & Imperatoriam coronam perpulchram eximiè referentem. Illud vero vt verum, sic insigne ac mirum, cum portis areæ disiectis, multos menses, omnis generis animantes illic pascerentur ab earum nulla, vel fuisse ptotritam pedibus, vel ore depastam, honoris forsitan, & innocentiæ monumentum Patribus duobus in eo palatio comprehensis, quam iis gloriam, & Religioni Catholicæ inuidens hæreticorum vicinia cùm resecuisset humo tenus, paulò post lætior, & formosior germinauit.

Responso consilij publici data est Bromleyo Prouincia, Londinum Iesuitas duos quamprimum deducendi; factum id valido custodum præsidio stipante, quibus ad cumulum deesse noluit ministellus Bromleyj Puritanus, siue vt esset patrono comes, siue vt capteret de Garneto ludos, quem fama sublimi toto regno illustrem, videbatur sibi captiuum in triumpho ducere; vtque est id genus hominum ventosum, impatientissimè sustinens obsequitanti sibi hinc inde, multaque garrienti, de Theologia, & scripturis, ne attendere quidem, aut aduertere Garnetum; quem auebat vnicè ad contradicendum, aut disputandum pertrahere, vt imaginaria doctissimi omnium Iesuitæ victoria, Iesuitas omnes vicisse videretur: interpretabatur Inscitiam Garneti silentium, & moræ impotens vellicabat apertè hominem vt secum disputaret. Atque hic Garnetus ex prudenti consilio suo Religioni dedecus aut damnum metuens, immisso equo Bromleyum assequitur præeuntem; iteratas ad nauseam, exponit Ministri prouocationes; auersum suum ab iis animum, quod sic nunquam Ministri vincerentur, quin semper ex pugna glorioſi triumpharent; si tamen iuberet admissurum se prouocationem, tametsi iudicem præter aduersarios haberet neminem. Assensit Bromleyus Garneto, & Bromleyo modestiam promisit Minister, qui mox longam orditur cantionem, ex Hebraicis, Latinis, & Græcis, nullo nexu consertam, & consarcinatam quam ne verbo quidem quamdiu dixit interpellatam, resumens Garnetus, in aliquem primum redegit ordinem, & formam ratiocinandi; tum rationes seorsum singulas ad lydium reuocans, tondentis pressim syllogismi, nudare fallacias, extricare secum pugnantia, alienas notare consecutiones, ex antecedentibus ineptè speratas. Loca pro testimonio producta, partim falsi, partim malè indoctèque accepti, arguêre, mixtis subinde Græcis & Hebræis, quas linguas ha-

bebat expeditissimas, ne aduersario Grammatico videretur non satis esse Theologus; errores denique minuta dissectos anatome, ita omnes distinctè comitantibus, & Ministro obiicere vt suæ illum puderet audaciæ, & malè prensatas exsecraretur prouocationes. Causa de cœtero profligata, nulla ex Garneto audita vox quæ victoris, aut victi aliquid inhalaret, quæ fuit altera generositatis, & modestiæ victoria, magna eius cum laude ab illo equestri comitatu prudenter obseruata; ipsoque adeò à Ministro qui mutus, obstipo capite, alteque in galerum defosso, itineris reliquum absoluit. Huc vero quadrat planè appositè quod Vvorcestrenſi Presbytero addidere Ciceſtrenſis Episcopus Lancellotus Andreius, & Doctor Abbotius, quicquid Garnetus seu Theologiæ, siue aliarum possedit doctrinarum, confessionis secreto creditum obsignatumque possediſſe, cum ne verbo quidem vllum vnquam earum aut specimen, aut periculum dederit, campo semper timidè detrectato & crebris multorum prouocationibus reiectis; (quorum autem? Silent, vt securiùs mentiantur) dicere solitus ad ignorantiæ excusationem, opera sibi non literas pro officio demandata, seque illud agendo assequi non studendo. De Garneti quidem multiplici, & eximia doctrina commodius alias; verum Ciceſtrenſis qui mortuum vellicat, si tentare viuentem ausus esset, suo expertus dedecore fateretur, in arma quantus assurgeret. De eius item vita & morum probitate si spectator, & testis scripsisset, ac post illum Abbotius, non affinxissent illi propudia, de suo ipsorum forsitan exemplari Archetypo ducta, quibus illum pro monstro exhiberent. Bromleyus profecto paucis illis quibus eum domi, & in itinere habuit diebus, obseruator illius & inspector maximè curiosus, sic immutatus est, tamque aliter cœpit in eum affici, vt reuerentiùs coleret neminem, & Londinum ingressus, primariis aulicis, de illo scitantibus, affirmaret, scientiæ, modestiæ, ac prudentiæ nomine parem se Garneto nouisse neminem; ac si eius causa sub quouis alio quam coniurationis titulo verteretur Regi se de genibus supplicem, tanti viri salutem, & vitam ex eo efflagitaturum; qui fuit etiam reliquorum sensus nobilium qui siue honoris seu præsidij causa itineris comites Bromleyo se dederant, cunctis eius doctrinam, modestiam, suique ipsius imperium cum admiratione deprædicantibus. Londino propiorem ad Februarij tertium, aut quartum (pro styli veteris abaco) expectabat ingens multitudo, ex quibus centum nobiles in equis, inde cum Oldcorneo In carcerem ducitur quem Gatehousium nominant, cunctisque ad illum excipiendum, & spectandum, accurrentibus captis eodem carcere, quærit ex iis, num qui tenerentur Religionis Catholicæ causæ, cui cùm respondissent multos esse, consoletur vos Deus, inquit, & me pariter vobiscum; eandem ob causam seruus vobis futurus, & socius venio. Accitur biduo post Bromleyus de Garneto quid comperisset, quid sentiret; vbi eius in laudes tàm magnificè est effusus, vt Garnetum postridie ad primum examen euocatum, publici status consiliarij sex quibus sistebatur, prosecuti sint iis honoribus, quibus non dico nostros, sed ne nobiles vnquam dignantur laïcos: aperuère accedenti

accedenti caput; ornauere semper, dum illum interrogant Domini Garneti compellatione; abstinuere verbis, & agendi modis quæ inurbanum aliquid olerent. Quin è contrario iis in illum sunt vsi prærogatiuis reuerentiæ, quibus in nullum eatenus reum quantæcumque tandem conditionis, opumve is esset: laudarunt eiusdem responsa, modesto, ac libero æquabiliter temperata, exciditque vni eorum dicere, causam eius damnandum nihil habere; nisi religionem falsam quam coleret, & quam propugnaret doctrinam Papisticam.

Inde in carcerem reductus, paulo post turri concludi iussus est, cuius ingressu obuium habuit Guillelmum Vvadeum Præfecti Vicarium, in Catholicorum, Iesuitarum, Garneti maximè odio, æquatis fiontibus, cum Cæcilio, Popamo, Cookeo currentem: maleuolentiæ causa in Garnetum, pudor lusi toties, falsique promissi, quo diu status Consiliarios iactabundus lactarat, daturum se in eorum manus Iesuitam Garnetum. Indignatus ergo Garneti effugiis, velut iniuriis, & nota mendacis iactatoris quam sibi conscíuerat; vt vidit Garnetum in sua potestate, vlcisci voluit quod se deceptis eius insidiis, tamdiu ipse seruasset, primoque statim illius aspectu euomuit omnia quæ possunt ab homine furioso, petulanter, & contumeliosè in aliquem dici, sereno interim, & tacente placabilitate incredibili Garneto. Cuius patientiæ admirabilitas sic vnum perculit ex iis qui aderant, vt scire ex eo vehementer optarit, qui potuisset tranquillum oris & animi, repentino illo in turbine immotus conseruare? cui condigno planè virtuti responso satisfecit, plus me, inquiens mouebat Christi patientia quam vlla Vvadei conuitia. Nosse qui auet ergastuli commoda Garneto designati, sat est Vvadei arbitrio fuisse nouerit designatum. Illic aliquantulum inuenit paleæ quam lecti vice tamdiu adhibuit, dum leuem ei culcitrulam substituissent Catholici. Nos illic interea eum deponamus quoad erit ad mortem deducendus, nunc de Oldcorneo videamus, qui eum ad tribunal & mortem aliquanto tempore præuertit.

Capitales accusationes Oldcorneo obiectæ. Responsa illius perfidè, & malitiosè detorta. Negatur fuisse tormentis subiectus. At is publicè contestatur se tortum quinquies, & quidem atrociter. Vvorcestrum remittitur iudicandus, & rebellium supplicio necandus. Sanctè moritur & cum eo grassator quem ex Caluinista paucas ante horas Catholicum fecerat. Singularia quædam eius vitam, mortemque spectantia. Editum in eo miraculum à S. Vvenefrida virgine & martyre.

CAPVT VIII.

TRIA sunt Eduardo Oldcorneo obiecta, ex quibus instructa est eius causa, & illa quam vocant euidentia iuratis tradenda vt pronuntiarent reum maiestatis. Primum quod Garnetum inuitasset ad latebras in palatio Henlipi Dominorum Abingtoni captandas, præbitoque illi ad fugam auxilio, eiusdem criminis quo erat Garnetus edicto Regio damnatus se illi socium fecisset. Alterum haud multum absimile quod suis à P. Roberto Iones literis, latendi locum postulasset duobus coniuratis in Prouincia Herefordiensi. Tertium quod suis responsis coniurationem, inculpatæ factum conscientiæ approbasset, nec vllo modo crimini vertendum. Triplicis huius criminationis nullus præter accusatorem testis, Hunfredum Littletonum eumque proditorem qui Christianæ mentis semel proiecta spe, eiurata fidelitate Catholici, & gradus nobilis dedecorata dignitate præcipitabat in homicidium infame innocentissimi Sacerdotis, quo se vitam putabat morti debitæ erepturum. At enim Deus insontis famuli honori & eiusmodi perfidorum necessario documento bene consuluit. Situs miser inter confinia temporarij supplicij & æterni, fassus est accusationes se adulterasse, virumque nullius affinem criminis in mortem reorum impulisse.

Primum vero caput capitalium obiectorum sic ab se defendit Oldcorneus; se quidem Garnetum magnopere ad eiusdem hospitij latebras inuitasse, sed tunc Regio edicto minimè proditorem, quod toto post illam inuitationem

tationem sesquimense in publicum veniisset. Iam si eius deinde nec proditi, neque indicati, imo è contrario cautè occultati & seruati culpa, sibi mors esset subeunda, & felicem vocare culpam illam, & mortem beatam, dignamque gloriatione. Secundi capitis accusationem id certi habere se à Littletono enixè rogatum vt ex coniuratorum numero duobus, asylum aliquod, seu effugium curaret, se vero nihil propterea mouisse, quæsita dumtaxat verborum comitate id officij defugisse, neque coniuratos ab Sacerdote Ionesio exceptos, nec posse ad illum quicquam à se proferri aut nunciorum, aut epistolarum; nam quo pacto, inquit, Littletono in os audenter exprobrans, tibi confiderem homini palam inimico, & eorum fautori, quos tanquam Apostolico Archipresbytero, & Romano Pontifici rebelles impugnabam. Tertium crimen accusationis; Littletoni tunc peculiari fraude; post hæreticorum interpretamentis grauius cæteris, & horribilius visum est, quanquam ad purum Oldcorneus verbis sequentibus illud discusserit, quæ ex ipsius constituto integra vt leguntur, leguntque aduersarij ipsimet, hic reddo. In turri ergo Londinensi die Martij duodecimo, anno seculi sexto dum examen subiret, mihi, inquit, obiecit Hunfredus Littletonus Catesbyum, vt vidit se cum sociis aliquot incensione igniarij pulueris improuisa periculosè vaporatum, alios de fuga cogitare; collegisse tunc animum, valdè ambigentem, ne in Deum peccasset, mouendo negotio, quod progressus haberet tam infaustos, & tristes. Respondi facta ex euentis nec bona censeri nec improba; sed ipsis ex rebus, & fine, modisque quibus ad ipsa tenditur euenta. Protuli ex libro iudicum, duodecim tribubus à Deo indictum aduersus Beniaminitas bellum, qui tamen euaserant primo, & secundo prælio victores. Regem Galliæ Ludouicum bello Turcis illato ad liberationem terræ sanctæ, partem suorum maximam amisisse, ictumque pestilenti morbo viuere desisse. Dici hoc idem posse, de propugnata sæpius in Turcas Rhodo, & Christianis à Turca frequenter debellatis, tametsi constaret illorum causam fuisse optimam, istorum pessimam; Catesbyum pariter ac suos non debere ab rerum euentis tanquam Iudicibus, earum æquitatem, aut crimen discere, sed ex rerum natura, & fine, viisque quibus ad propositum tendebant, quarum ego penitus ignarus non auderem de iis ferre sententiam; quid esset in iis sentiendum, id me conscientiæ illorum, & Deo relinquere. Hoc ea respondi cautione, quod vererer, ne mecum ageret insidiosius, & vellet quod dicerem in prauos vsus deflectere idque Catholicis, aut Puritanis nuntiare. Sic ille, sic de illo acta suam per se auctoritatem nacta, quæ ad verbum referunt, & ego hic eius tam disertè volui meminisse, vt intelligeretur acta illa quantum promereantur fidem etiam vbi verum dicunt: iis enim ita immutatis, & in fraudem suam compositis aduersariorum perfidia vtitur, vt quod sine ambiguo negabant, tunc multo certiùs videantur asserere; sonetque tunc in iis ac spiret euidentiam criminis, quod prius per se se innocentiam sonabat meram.

Primum in iis narratur Oldcorneus in palatio Henlipi solus, cum solo

Littletono de hac controuersia contuliſſe ; Ciceſtrenſis contra ait coram populo tractatam; tantumque abfuiſſe vt abſtineret Oldcorneus à ferenda de facto ipſo ſententia , laudaſſe quin imo diſertè tanquam iuſtum , & ad conſcientiæ regulas exactum. *Oldcorneus*, inquit,*alterum caput præcipuum conſpirationis , laudauit pro concione factum iam infectum, & cum expeditione Iſraëlis in Gibeam* ; *Ludouici in terram ſanctam, non ſine recta ratione exæquauit* ; quod idem antea manifeſtius etiam clarigarat, *Ieſuita*, inquiens , *Oldcorneus detecta demùm coniuratione , quaſi Bonum factum defendit , nec quia ſucceſſu caruit, ideo non laudandum &c. puto conſentire in ſcelus, qui defendit , & laudat.* Sycophantatus ſimiliter mille modis Abbotius in prudentiſſimum , innocentiſſimum , & conteſtatione turiſſima munitum Oldcornei reſponſum; vt tandem aduertit puro eius, & candido textu commentationes ſuas euerti funditus,impudentiſſima illas malitia concluſit ; negans Oldcorneum ex animi ſententia locutum , aliud in ore aliud in mente habuiſſe , ex iis quæ lingua protulerat fruſtra innocentem ; ex iis quæ animo tenuerat , cenſeri debere manifeſtè reum ; cumque Littletoni interrogantis conditio menſura eſſet iuſta ſapientiſſimi , & neceſſarij reſponſi , ne attendere quidem lepidiſſimus Doctor voluit Littletonum , aut aliquam eius habitam putare , à reſpondente rationem , non potuiſſet alioqui ſcribere , *Quia rem non dixit impiam , certè eo ipſo exiſtimari voluit, videri piam.* Iam multos dies producta eſt Oldcornei cognitio , & examen , in quibus iterum Miniſtri eorumque fautores peierant, ſocios coniurationis , ne tormentorum quidem adſpectu & organis territos , nedum illa etiam leuiter expertos ; quæ ſponte illis ab ore fluerent, quaſi ſincerum & virgineum mel, à tabellionibus placidè collecta , & in cauſam digeſta ; elementiſſimo pectore Iacobi Regis , capitalibus etiam inimicis miſericordiam præſtante. Quos etſi Londinum vniuerſa quo die ad mortem raptabantur , viderit tam crudè in cruciatibus diſtractos, vt membris capti moueri non poſſent niſi ſubſidio alieno, plus tamen fidei mendax illa adulatorum clementia dari calamis ſuis iubet , quam vrbis integræ oculis ; at ſi ſpontaneis coniuratorum confeſſionibus ſtetêre cognitores , & abſtinuêre à torquendis reis, abſque dubio in Oldcorneum decuerit eſſe mitiores, quem nullus accuſator coniurationis aut ſocium aut conſcium dixerat , ſed leuiſſima coniectura , ſuſpectum fecerat eius approbatæ. Pleno tamen is theatro , ſolenni & decretorio damnationis ſuæ die, affirmauit ſe quinquies tortum ; & quidem ſemel in horas quinque continuatos illi cruciatus tam immani dolore , vt animo , & mente linqueretur, poſſetque iure quæ dixerat indicta reputare, quod eſſent tormentis expreſſa , æquitatem omnem modumque prætergreſſis legitimarum quæſtionum. Quam eius conteſtationem nullus conſidentium Iudicum , aut falſam arguit , aut exaggeratam ; confirmauit autem reipſa eiuſdem conſtitutum , quod ſuo chirographo non potuerat ſignare , manibus vt ait tormenti acerbitate diſſolutis : eam ob rem Vvadeus adſtrictum inter emortuos digitos calamum, corripuerat ipſe cum eius manu , & pro illius chirographo temeratias aliquot duxerat lineas. His de ſe ad Iudices , & frequentem

populum

populum expositis, nemo omnium verbum opposuit. Illam tamen clementiæ regiæ infinitatem tam immensam, venales quos attigi scriptores immortalitati consecrarunt, ac esto Rex illam non fictè sed verè iuberet obseruari, videndum supererit, fueritne laudabilius id imperium tulisse, quàm vituperosum eius executionem omisisse. Nulla tamen euictum cruciatuum vi, aut indicium aliquod aut color, quo posset iniqua sententia defendi ab aperta legum aduersus Iudices accusatione, & eorum pudor vtcumque obduci, Iurisperitis qui Londini erant eximiis, & grandi numero tacitè illam damnantibus. Summum tamen illud & diuinum tribunal in Oldcornei mortem obstinatum, Vvorcestrum illum misit quasi iudicandum, re autem vera iudicatæ causæ excepturum cum morte sententiam.

Itaque Martij vicesimo primo, egressus Turri armatorum stipatur præsidio valido, ducitur cum eo Rodolphus eius seruus, Abingtoni dominus Thomas, in cuius palatio fuerat deprehensus, & fratrum infelicium minimus, Vvinterus societatis coniuratorum reus. Holbornum venerant vrbis regionem eo nomine dictam, cum occurrit Abingtono vxor, ac licet perdita lachrymis, & acerbissimo dolore, corroborauit virum magnis spebus; tot se precibus apud fratrem; tot fratrem votis cum Rege institutum, vt ei vita daretur incolumis. Erat hæc soror Baroni Monteagli, recentem ab Rege gratiam summamque promerito, ex manifestata Treshami epistola, quæ primum feciſſe videbatur coniurationis indicium. Egit autem Baro apud Regem tam strenuè, ambituque tam pio, vt patibulum cognato perpetuo carcere mutaret, eius tamen bonis, quæ multum priuatam excedebant fortunam, in fiscum redactis. Nec pluris fuêre apud Regem merita Ricardi Abingtoni fratris, ob tentatam Reginæ Mariæ liberationem denique interfecti post crudelem quatuor annorum carcerem. Vix quidem Iacobus Scotiæ suæ adiunxerat Angliam cum velle cœpit beneficiorum oblitus videri, quibus eius mater affecta fuerat, non quod eam non multum amaret, matrem videlicet; sed quod nollet eam videri amare, nempe Catholicam, vt pessima sua in religionem veram mente in publicum edita, regni sibi externi fulciret initia, & intelligerent omnes odisse illum ex animo Catholicum nomen, quod ipsa quoque in matre odisset. Ob hoc ipse non modo remunerare illorum gratiam negligebat, qui matri singulariter studuissent; sed Elizabetham eius carnificem in cœlum attollebat, quod videret eam à Protestantibus inter Deos reponi. Audiens Abingtonus vxoris consolationem, seruandæque sibi vitæ fiduciam, doluit potius eius vicem, negauitque se consolatione admodum egere, vt cui mors dolori non esset, quam etsi hominum existimatio pœnam sceleris iudicaret, ipse præmij loco acciperet, & honorariæ mercedis præbiti Oldcorneo, & Garneto hospitij. Si tamen factu arbitraretur conuenientius, Ricardi fratris, & si quibus ipsemet valeret merita, in mentem Regi reuocaret; secuturum inde quod foret diuinæ in cœlo voluntatis; cui cum illam efflictim commendasset, Vvorcestrum cum aliis discessit.

Elapsa erat pars maioris ieiunij media, & soluendi iustitij instabat tem-

pus, quo solennibus anni periodis quatuor, quos vocant Terminos, more maiorum tribunalia panduntur, & delegantur ab aula in regnum vniuersum qui pendentes peragant, at absoluant causas.

Paucis ergo quam Vvorcestrum venissent diebus, pro tribunali statuuntur, vbi causæ illorum Londini discussæ, ac tantum non confectæ, acta denuo retractantur, auditisque reorum defensionibus vacuis, adiudicantur neci. Erat in iis præter illos omnes qui Londino deducti fuerant, Littletonus cuius proditione tres alij moriebantur planè innocentes. Hic tandem expectatione falsus infelici, quam de sua illa perfidia miser concepérat; bene factum, inquit, quod morior ob socios coniurationis apud me occultatos; sed multo iustius, quod Sacerdotes duos Oldcorneum, & Garnetum religionis suæ hostibus prodidi, petiitque ab Oldcorneo coram perfidiæ veniam, & testimonij contra illum falsi, quo re ipsa insons damnabatur vt reus. Abingtonus vero nostrorum hospes, vir fortis, & pius, quosdam armaturæ notæque leuioris Episcopos, de religione, de Papa, de Iesuitis temerè garrientes, eo suis responsionibus suffudit rubore, vt valde optarent tacuisse. Rodolpho Ashleyo Oldcornei famulo, obiectæ sunt literæ quas ad coniuratos tulisse dicebatur. Negauit ipse Deo teste, & oppignerata iuramento animi salute; nec eæ literæ, quæ delicti conficiebant corpus, nec vllus earum proferri accusator aut index potuit. De stylo nil hominus illorum temporum, pro conuicto ad euidentiam, non dubitauit se esse iudicandum, gnarusque omne mortis suæ crimen Oldcornei seruitute, & societate contineri, mortem ait libens excipio eiusque sententiam, hac vna & vera & pia, & sola de causa: falso mihi cætera imponuntur. Oldcorneo cum recoqueretur tanquam argumentum approbatæ ab eo coniurationis, quod explicuerat Littletono ex bonis malisve successibus non constare laudem, aut damnationem, consiliorum & operum; idem & rationibus validis, & sacræ paginæ auctoritatibus ita stabiliuit & elucidaui, vt pro se conficeret, non verba sibi quàm proba, tam vera; sed interiorem animi sensum, nullis extantem coniecturis, & temeraria solum confectum diuinatione, mortis causam & materiam fieri. Et percunctatus est quo iure vel nouo vel antiquo ad damnationem sui postremo, & infami supplicio rei decernendam, testis vnus illis sufficeret, cum nefas hactenus fuisset, etiam leui pœna quemquam afficere, nisi ex testimonio multorum? Ille vero vnus cuius testificatione damnabatur, dictum factumve proferret nullum, quod culpæ speciem faceret aut suspicionem, sed malè diuinatos, & soli Deo notos animi sui motus? Hinc autem profecto colligi Iudices aliam præferre damnationis suæ causam, occultè aliam premere; de qua illum sumus iterum audituri affantem confertos, sui supplicij spectatores; adiecit & illas quas superius attigi, ex immanitate cruciatuum iniustorum, responsiones vitiosas & irritas. Demum Iudex dolosè planeque extra causam, vt verba ex eo exciperet aliqua, vnde posset reus publicè confitens, non dico videri, sed fingi; quæsiuit ex eo, ecquid Papistæ Sacerdotes in nouis aut veteribus scripturis aliquid legerent, quo Pontifici Romano,

Romano, vlla in Principes à Deo potestas attribueretur. Cui lib[illegible] nihilque cunctatus, illud primum Christi ad Petrum citauit *Pasce oues m.* explicuit, quæ: quantáve auctoritas hoc præcepto fuisset Christi Vicariis, Petri successoribus demandata in vtilitatem commissarum illis ouium, & vniuersorum qui ad eum gregem attinerent. Addebatque in rem alia, quibus opus Iudici nihil fuit. Causam de more paucis in arctum coactam, iuratis tradit duodecim, qui super ea seorsim collocuti, patrem denuntiarunt reum statimque prolata in eum mortis sententia tanquam proditorem, reduci iussus est in suum carcerem, vbi duo illi longè ab se diuersa contigere: vnum à vili, & flagitioso proditore qui subodoratus Ioannem Floydum, nocte densis tenebris commissa adfuturum Oldcorneo in carcere, ad solatium & robur quod potest Sacerdos in eo articulo ab Sacerdote expectare, Floydum scelestus ita custodibus depinxit, vt primo accessu caperetur, suo quidem haud paulo grauiori quam P. Floydi dolore. Consolatus est illum alter casus, perditissimi, & profligatissimi omnium scelerum iuuenis ad veram fidem frugemque conuersio; sed enim miser nec reddendas expauens, nec dolens, sed neque recogitans anteactæ vitæ rationes, pœnasque iis debitas, æterno Dei iudicio, patibulo, & morte proxima, insertoque prope in fauces laqueo haud magis moueri quam fabulis, quin stultè ac scurriliter saltitare, duosque Catholicos cum Oldcorneo mortem de genibus prece fletuque comparantes, stolidè deridere. Hunc illi naturæ, & conscientiæ stuporem belluinum altè infuderat Caluinus, cuius doctrina imbutus fuerat; nullam ipsi gerendam sui curam, nullam animæ suæ; nullo admissorum dolore criminum, pungendam, aut fuscandam mentem, nec posse id fieri absque iniuria Saluatoris, misericordiæ, ac redemptionis infinitæ qua sic apud Deum nostra cumulatè exsoluerat nomina, vt velle de nostro huic aliquid addere, crimen esset infidelitatis, aut arrogantiæ. Hac se Christi contentum satisfactione quam pro nobis oblatam credebat, si quæ præterea illi adderentur pro sacrilegio habere. Hæc Ioanni Vvintero coniurationis damnato insulsè garriens philosophabatur iuuenis è Caluini schola, quæ vbi resciuit Oldcorneus, quas pro se ad Deum fundebat preces pro illo ardentius incendit, tum errores quibus delirabat tam efficaciter illum dedocuit vt in alium penitus ab eo qui fuerat mutaret, fleuit ex animo, doluit, promeritus est Ecclesiæ Catholicæ gratiam, reconciliatione seria; & diuinam confessione sacra, multis lachrymis peccata detestatus, nec multo post conuersionis huius suæ, documenta præbuit haudquaquam vulgaria.

Aprilis septimo ad locum efferuntur postremis infamem suppliciis. Oldcorneus in crate distentus vectoria. Post quinque alij ob diuersa rei; Ioannes Vvinter, & iam toties dictus Littletonus, vterque nobilis; Rodolphus Ashleyus Oldcornei famulus, & latro recens Ecclesiæ, adiunctus. De sexto quis esset nihil reperio. Via ibatur longa, & prope paludosa, hanc alta orbita sulcabat equus, cuius caudæ Oldcorneus alligatus, resultu cœni perpetuo, & permolesto fœdabatur, Protestante inter hæc ministello, traham

perpetuo assectante, mirisque sibi propterea, & plebi adridente, & gestiente lætitiis, eamque cum fœce puerorum conuitiantium ad Patris ignominiam, nutu, sannis, præsentia prouocante, quod planè inhumanum, & ægrè in carnifice ferendum, in verbi Dei ministello sui etiam vehementer damnarunt. Perstringebat contra illorum oculos Oldcorneus aspectu multum absimili, defixis semper in cœlum oculis, iunctis manibus ante pectus, quam fouebat animo pietatem spirans; cui accessit ab eo quem paulo ante Deo pepererat egregium specimen; sequebatur cum aliis pedes reorum vehicula, verum à latere, & ad parietes domorum quamproximè, vt lutum vitarent: at ecce ab sociis repentè diuulsus, in lutum desilit & ponè Oldcornei incedit cratem, increpitúsque quid Caballus & ipse Caballum tam bellè sequeretur, & siccum vitaret; finite me inquit, quam possum proximè Patrem sequi qui mihi vitam dedit. Ergo, inferunt, latro scelerate! Papista factus es? Latronem me, refert iuuenis, fuisse non nego, & valde sceleratum, sed dum vester fui; nunc Dei, & Patris Oldcornei gratia, dolet talem fuisse, nec sum idem qui prius, & iuuat admissorum quantulamcumque hanc pœnam exigere. Tulit quidem illa iuuenis pietas exsecrationem ab impiis, sed non ingloriam à Deo faustitatem.

Qui primi ad furcas deuenerant Littletonus & Vvinter cum primi essent afficiendi morte; Vvinter piè sanctéque professus est, vno se patriæ religionis liberandæ ardore deceptum, coniurationi manus admouisse, sibi saltem hanc mentem quam probam rebatur, maiori esse consolationi; quam mortem dolori. Littletonus suam Eduardi, Oldcornei & Thomæ Abingtoni, proditionem nefariam coram omni populo iterum damnauit, eiusque veniam infimis precibus flagitauit; quod teste Vvorcestro vniuersa factum quia erat honorificum Oldcorneo, traducit amens Abbotius pro mendacio enormi, quo imponatur stolidis Littletonum ab Oldcorneo veniam rogasse, cum alter eorum superstes solum esset, alterum carnifex iam de medio tulisset. Vnde huius scriptorem facti falsarij nomine deturpatum, sexcentis incessit conuitiis; tantum valet ad excæcandum animũ, voluntas maligna in furorem abrepta, vt primus & Regius in Academia Oxonienſi Doctor non viderit posse duos ad mortem damnatos alterum præsente altero supplicio affici. Posse quemlibet ab vsque antipodis, satisfacere officiis æquitatis, & veniam quærere ab offenso. Coniuratos duos sequebatur ad mortem Oldcorneus quem videns Rodolphus (iam forte non seruus, sed aliquanto pridem inter nostros accensus) scalas conscendentem, custodum è manibus exiliens ad pedum eius complexum, & oscula erupuit, magna voce exclamans, beatum me millies, ex quo tè animæ meæ parens! sectari aggressus sum, tam felici tecum viam, & vitam exitu clausurus: & vero illam clausit paulo post Oldcorneum, repetens singula quæ piè ab illo fieri obseruarat, alacritate animi diuina gratia, & innocentiæ suæ testimonio confisi, tanta; vt sui memoriam honoratiorem & diuturniorem laïcorum nemo reliquerit.

Oldcorneus Deum pro se, pro Rege, ac Regno ardenter precatus, condonaroque

natoque inimicis,& aduersariis odio; testem appellans Deum, duas esse,nec plures iurauit causas, ob quas proditorũ afficiebatur supplicio;alteram obita in eo regno ministeria Sacerdotis; alteram Garnetum, multo prius eodem secum hospitio collectum, quàm id esset Edictione Regia veritum; post vero Ministris Regiis minimè indicatum. Hic interpellatus à fori Ministro quamobrem tertiam taceret, imo primam de societate coniurationis, quia, inquit, nec verbo nec facto, nec assensu, sed neque notitia, eius vlla ex parte reum me possum agnoscere; aut iure accusatum; hinc illum Catholici, eiusque Rodolphum, vna in Religionem Catholicam maleuolentia necatos certò iudicarunt: Protestantes Tribunalis sui, iustis iniquis sententiis minimè addicti, nec fuisse socios conspirationis, sed neque conscios pro indubitato habuerunt. Hac innocentiæ, quam nefas erat omittere, defensione perfunctus Oldcorneus, Deo, Deiparæ, Angelo præsidi, S. Hieronymo & S. Vvenefridæ, discessum animæ commisit, seque ad extremum carnificis arbitrio tradidit, à quo eius in morte nihil dedecoris, nihil sæuitiæ est omissum, quod esset in proditorum suppliciis vsitatum. Annus eius mortis, vitæ quintus & quadragesimus; dies septimus Aprilis, tunc ante sanctiorem hebdomadam sextus, nunc vltra Pascha situs. Locus quo nullus ipsi optatior Vvorcestrum, quam cum & tractus Prouinciarum vicinarum excoluisset suis sudoribus per annos sedecim, restabat vt tantam sementem suo sanguine rigaret, quem annorum pariter numerum, & singularium meritorum, singulari prodigio ornauit Deus. Eius enim ruri defossa vt solet post exustionem vitalia, ignem viuum & flammas dies sedecim vomuêre, nulla imbrium imminutas, nedum extinctas crebritate. Concurrit spectaculo Vvorcestrum omnis, nec putauit nisi diuinitus monstratum. Testes eius habemus minimè dubios qui tunc illic agebant Sacerdotes; Magistratus iussa humo copiosa desuper congeri, flammas obruit quidem, sed non ante diem sextum & decimum, idque ipsum conatu, lucet enim igne meliori splendidæ charitatis qua semper arsit dum viueret; & peculiarium meritorum, quorum hic summam subiicimus.

Eduardum Oldcorneum Eboracensis Prouincia genuit; parentes virtute magis Catholica, quam honore temporario splendidi, à quibus post primam in moribus, & leuioribus literis educationem Remos missus, biennio post Romam venit, desiderio Societatis obtinendæ, annum agens ætatis vicesimum primum; seculi octogesimum alterum. Illic dum annos sex & menses quatuor inter Seminarij alumnos, in Philosophum, & Theologum formatur, haud paulò acriùs incumbit formando in omnem virtutem animo referendisque sedula imitatione, quæcumque norat ab nostris tironibus fieri. Totus in corpore, & animo domandis; in piis de Deo sermonibus, & curis; in ambitu vilium occupationum quæ assidue sibi ab suis Præpositis, non ingrata importunitate deposcebat. Verum de illo in Societatem à Præposito Aquauiua post susceptum Sacerdotium adlecto, cum P. Ioanne Gerardo; de tyrocinio bienni quod in Angliam missi in ea exegerunt pietatis palæstra duriori, & iis quibus defuncti sunt in eius ingressu

periculis, scripsimus ad annum 1588. malim cœtera ex viris insignibus quam ex me referre Gerardo scilicet, & Thoma Listero, qui Oldcorneo fuêre laborum socij vel testes oculati. Oldcorneum secum tenuit aliquandiu, qui nostris præerat Garnetus dum illi domum habitandam, & campum colendum inueniſſet, quem dum expectat accersitur à Catholico Londinensi ad pium aliquod animi leuamen, in conclaue deductus, adspectu fortuito incidit in feneſtram cuius cancelli ex Lympidiſſima criſtallo eleganter magis, quam castè depicti, Martis, & Veneris figura oculos inceſtabant. Accedit ille nihil moratus, pugnoque cryſtallum audenter impacto comminuit, præstare, aiens, apertione, illa cœlum, quam vitri perspicuitate inferos tueri, quo infames illæ instigabant picturæ. Nec religiosam fidentiam malè accepit Catholicus, etsi domum illam à Proteſtante conduxiſſet. Erat quidem Vvorceſtro vicinum Abingtonorum palatium Henlipi vocabulo, Catholicis miniſteriis mirè accommodum, & Sacerdotum complurium ſecuro receptui. Sed eius dominus dum Fidei nomine carcere tenetur, eius soror Dorothea diurnis nocturniſque cuſtodiis tam arctè palatium cingebat, vt ne acceſſum quidem propiorem vlli Catholico, nedum Sacerdoti permitteret. Creuerat femina in Elizabethæ aula, vſque à puero, & hæreſeos venænum medullis intimis ita imbiberat, vt præstantium medicorum luderet operam qui ad eam sanandam nihilnon admouerant. Audiuit Gerardus crebro memorantem ob hoc potiſſimum ſe illud palatium aulæ prætuliſſe vt ab ſe longiùs arceret Papiſtas, maximè Sacerdotes qui ſuis fratribus, vniuerſæque familiæ profeſſione Catholici nominis exitium vltimum intuliſſent. Quanquam autem offenſa grauiter ab hæretico prædicante cœpiſſet in eius contemptnm, Sacerdotibus aurem præbere Catholicis; ſed hoc contradicendi magis voluptate, quam veritatis vllius ſtudio, quantumuis ſolidæ, ac probatæ, nullam enim ſibi orbe toto arbitrabatur æquandam Theologam. Ad hanc bonus genius Garneto inſpirauit, vt Oldcorneum etiam mitteret, experturum ecquid è ſaxo illo duriſſimo poſſet olei educi, cuius præter alia ingenium habile, controuerſis in rebus aduerſus hæreticos enucleandis perſpexerat. Sed hic nihilo quam qui præceſſerant melius, in eam pugnauit. Rationum momenta, teſtimonia diuina, & Patrum veterum quibus petebatur ingenij lubrico quo multum pollebat, exire ſi poterat; ſin autem pro reſponſis, pertinaciam audacem, & arrogantiam femineam prementi obiicere. Cernens ergo indomitum veritatis impugnandæ ſpiritum, peruerſitate magis animi quam errore feminam alligantem, ex iis vnum eſſe, qui *niſi oratione, & ieiunio* non pelluntur; miſſa ex inde rationum altercatione, dies quatuor & noctes coram Deo pro illa orans, integrèque ieiunus perſtitit, *& ſalua facta eſt mulier ex illa hora,* ſubdit appoſitè Gerardus planèque altera quam prius humilis, modeſta, docilis, viſaque ſibi vt aiebat, habere domi Angelum cœlo miſſum cui ſe tum demum diſcipulam tradidit, explanatiſque ſibi per biduum omnibus de quibus dubitarat, eius ſe genibus aduoluit quæcumque deinceps animi ſui bono imperaſſet factura. Secuta eſt illam familia omnis; eratque viſu periucundum.

cundum, quàm auidè illius pascerentur, & bearentur alloquiis; vitæ actæ totius maculas confessione sacra diligenter expiarunt, & Abingtoni domus sanctitate conspicua euasit, Oldcorneus autem Prouinciæ illius Apostolus. Sic ille ex duobus alter quos pro gestis Oldcornei citaueram; post quæ refert Gerardus, annos illic sedecim solidos, tanta vi spiritus, & felicitate incubuisse in amplificationem, vtilitates, & stabilimenta rei Catholicæ, vt de illo scitè, quod Vvorcestri Prouincias, dici creditum sit quod de Apostolo Ioanne in Asia dixit Hieronymus. *Omnes illas fundauit, rexitque Ecclesias* certè illum omnes colebant vt Patrem; charitate sua & sapientia omnibus aderat, nusquam laborum parcus, nusquam ope sua, & opera, vel anima vel corpore egentes destituens. Porro palatium Henlipi tanto cœpit sacrorum, concionum, consulentium vsu frequentari, vt facilè maius inter Catholicos nostrorum Collegium putasses. Quibus ille vt satisfaceret, nec tamen longinquioribus deesset, Thomam Listerum adsciuit in auxiliarem, & socium, pietatis egregiæ & doctrinæ virum, ex quo triplex discrimen cognouimus, vnde Oldcorneum Deus extremo exitio mirabili exitu subduxit. Primum fuit supremo propinquum exitio. Iter agens de nocte, comprehensus est pro famoso Oldcorneus grassatore qui tunc magno strepitu quærebatur, itineris comites, assimulati in famulos simul capti; ducuntur ad proximum Iudicem, qui cùm incipit de Patre cognoscere, quis? Cur iis in locis? Quamobrem de nocte? Quo fine tanto seruorum comitatu? Improuisus senex, quis? Vel vnde? Nescitur, certè rogatus à nemine repente adstitit, & in gratiam patris velut nobilis viri, minimèque omnium suspecti tam appositè perorauit, vt omissa iudex de cœtero cognitione omni, ex templo illum à se dimitteret. Secum tamen ferebat supellectilem altaris sacram; & breuiarium singuli comites, quibus signis nihil addi opus erat vt agnoscerentur Sacerdotes, & cõdemnarentur. Alias Bromleyus cum apparitura omni fori Vvorcestrensis Henlipum circumdabat, qui primi scalis murum inscenderant, Oldcorneum in horto conspectum salutant, nihil præterea; domum ponè illos sequitur Oldcorneus, flexuque leuissimo se condit in latebras, quæsitus nec vsquam inuentus suspicionem mouet perscrutatoribus, ne esset ille ipse quem salutauerant, sed negligentius de vultu obseruarant, cumque is inter domesticos non conspiceretur, existimauere fuga lapsum. Fugisse probauit caballus quem paulò ante in stabulo viderant, tunc videbant abesse, ignari ergo quo illum deberent insectari, bonis auibus discedunt. Equus pascens in prato inuentus est, insciis omnibus, quis illum aut præsepio soluisset, aut pastum duxisset, cùm esset difficile vtrumuis ab eo fieri potuisse. Tertium Oldcorneus periclitatus est, cum diestres & noctes totidem Henlipum obstinatissima corona cinctum, pertinaci ad eum capiendum lacerabatur indagine, plusque locis viginti patebant effracti parietes, in iis dum satagunt hominem reperire cruralem ligulam iacentem conspicati Oldcornei hanc esse rati sunt, cum nulli familiarium ea conueniret, proindeque illum haud procul abesse, & latebat verè pone parietem, quem validè pulsant, si forte bombo aliquo responderet,

ipse signum crucis ex aduerso obiiciebat pulsantibus, Deum rogans vt periclitanti præsto esset; nec vero distulit adesse, videns enim Bromleyus, non alio murum recussu sonare quam si adamas esset, putauit præ soliditate frustra quati, reque infecta cum suis abscessit. Hæc de varia præter opinionem, & mira Oldcornei à supremis periculis liberatione. Superest alia longè præstantior ab S. Virgine, & martyre Vvenefrida, diuino patrata miraculo, de qua Gerardum audiamus. Oldcorneus, inquit, ad labores tot Ecclesiarum sollicitudine sibi vni relicta exercitos, tam implacabili erga se ferebat dicam an furebat corporis odio, vt famem, vigilias, flagella, cilicia & istiusmodi extra omnem modum, studiorum adiungens assiduitati, corpus non solum domuerit, sed penitus fregerit. Rupta pectoris vena sanguinem ea copia vomuit, vt cum eo prope animam efflaret, redibatque quotannis periculum exhaustione spirituum tanta, vix vt suis insisteret pedibus: ad hæc illi subnatum in palato vlcus, in triste desiit, & sanationis expers carcinoma, vnde corrupta identidem, cum schidiis ossium, frusta carnium ducebantur, timebatque magnoperè pater, ne ingraueſcente carcinode concionum vsu quibus præcipuè valebat, omnino destitueretur. Prius tamen se Chirurgis renuit curandum committere quàm ad sanctæ fontem Vvenefridæ peregrinaretur, quæ in Vvalliæ tractibus ad Septentrionem continuato claret miraculo. Recenset Gerardus sanctæ martyrium & venam aquæ vberrimam, è subiecti colliculi radice, eruptione fusam repentina vbi reciſum sanctæ caput, & ex alto proiectum in ea constitisset. Pellucet in fonte glarea calculosa guttis interpuncta sanguineis, muscus adnascens, & similes herbulæ fragrantissimi odoris, quædam alia sat noua, sed in rem nostram haud satis opportuna. Confecta Oldcorneus itineris parte in domum diuertit pauperem, sed sanctam cuius familia vniuersa Sacerdos vnus & duæ Virgines quæ illum ad animi sui alebant subsidium, & venerabantur tanquam patrem. Postridiè dum ad aram facit, saxum illic inter sacras aduertit reliquias satis grande, ex fonte ductum martyris Vvenefridæ granis interstinctum coloris sanguinei, hoc sacro statim ex altari sublatum, reuerenti osculo primum libat, dein paulùm secedens flexis genibus lambit; insanabili applicat vlceri, sanationem à S. Martyre magna fiducia precatur. Quid multa? Mediam intra horæ partem, mortuo carcinode, bellè valens surgit; cœptum tamen iter, agendis beneficij gratiis persecutus, fontem vt vulgo illic moris, ingreditur, atque inde sanus & vegetus, & ab illa omni qua languebat defectione virium robustus Henlipum reuertitur. Hæc sibi Gerardus confirmat fuisse ab eodem narrata, & ab Sacerdote Northij nomine cuius erat saxum, casu ad S. Audomari reperto. Quam porro strenuè tam liberali prodigio receptam, deinceps occupauerit sanitatem significat alius ex nostris, scribens ægrè vllum exisse triduum quin euocatus excurreret in Prouincias longè Vvorcestro dissitas. Quam vrbem Abbotij gloriatione impia infamatam, dum se illam iactat constabilisse in hæresi falsò imputata Oldcorneo proditio, & proditorum inflicta mors adeò non offendit, vt contra quam Consiliarij, Rexque ipse futurum

futurum voluerant, magna exinde reuerentia hunc prosecuti sint, etiam Protestantes, & Societatem nostram, fidemque Catholicam amore insueto. Qui se iam tùm protulit non obscurè, cum super patibulo Oldcorneus rogauit Catholicos, vt Psalmum *De profundis* Deo recitarent in animæ suæ leuamentum, tam multi enim, & voce tam distincta, & aperto capite illum recitarunt, vt indignatus Rex quereretur infelici lucro occisum ab se Iesuitam.

Cur ab Secretis Regis Scriba falsa vulgauerit. Henricum Garnetum Examina subisse ad tria & viginti Consilio pessimo Cookeus recenset Parlamento, sed nihil probans nihil item à viris prudentibus euincit. F. Nicolaüs Ouuenius capitur, & ad mortem torquetur. Ad crudelitatis suæ defensionem Vvadeus vulgat ipsummet sibi manus intulisse. Arcanum Garneti cum Oldcorneo colloquium, vnde habentur illa ex quibus damnatus est Garnetus.

CAPVT IX.

INTER hæc Londini, iuri dicundo Præfecti Magistratus, Henricum Garnetum magna pompa pro tribunali suo statuerant, excussa diutiùs, & absoluta eius causa, cuius si euoluantur perplexabiles labirynthi, volumen grande conflauerint, & tædij plenum, nulliusque ad historiam frugis. Eius cardo erat, num arcanum coniurationis, sacro sibi confessionis secreto creditum debuisset, cuiquam mortalium aperire? Id si constanti pressisset silentio an reus fieret maiestatis, & supplicij proditorum? Verum enimuero cum hostes cernerent causa illa & morte, nihil posse, Sacerdoti Catholico honorificentius venire, intricauere illam falsa confusaque ambage innumerabilium vmbrarum quam Euidentiæ titulo impudentissimè prætexunt, ac vbi aliud non possunt, varietatis farragine iudicium opprimunt. Veruntamen haud ita prouidè, quin posteriorum aduersus Garnetum hæreticorum libri, pugnantia incautè scripserint, suisque ipsorum, vt sic loquar, euidentiis conuicti, euiden-

ter mendaces se probarint; Garnetum euidenter insontem. Eos qui attentius versarit, & contulerit, cum pagina paginam, notabit in iis impotentis animi characterem, quam præcipitanter in scelus proruentis, tam cæci ad illud præuidendum. Huius subinde vt res feret documenta ponam in causa Garneti enarranda, in quam se totum immersisse Cæcilius fassus est, vt in vno Garneto Iesuitas omnes, in Iesuitis Papistas vniuersos & Religionem Catholicam perderet.

Londini Garnetus in turrim conclusus, Examina subiit viginti tria quod pro tribunali Vvestminterienſi deinde ipsemet est professus, idque à viris primariis, qui solenni quadam ad hoc muneris pompa videbantur procedere, vt conciliarent illi venerationem magni alicuius arcani, cui inuestigando regni præcipua capita toties conuenirent. Currebat interim per ora populi aulæque ac procerum de Garneto quicquid potest in reum coniurationis; vltro confitentem, & sceleratissimum coniici rebellium ducem. Referebant nonnulli se ex ore ipsius dum examinatur excepisse, contextam ab se conspirationem, excogitatum cuniculum, lectum qui operi præesset Catesbyum, inductos alios pro conscientiæ officio, vt accederent negotio comites, inuitatos ad occupandam Angliam, orbandam proximè suo Rege, Principibus, omnique Parlamento; mutationem religiosi cultus in regno designatam, & proscriptionem noui Euangelij, restituendam Papismi seruitutem. Hæc quam falsis & streperis, & temerariis linguis effutiebantur, tam auidis auribus bibebantur, & peruulgabantur. Scripsit qui Regi erat ab sanctioribus arcanis ad Angliæ in Belgio legatum; teneri tunc demum carcere, & confessione propria coniurationis architectum, & authorem primum Garnetum Iesuitam; Regum Ministri, & rerum publicarum, qui legatos agebant in aula Londinensi, eiusdem nuntij Principes suos fecere certiores, tanquam extra omne dubium positi, vrbesque nonnullæ fecere rem suis tum publicis, tum priuatis literis mundo peruagatam. Garnetum videlicet infelicem, mœroris impatientia, dedecore sceleris, & pœnarum expectatione, mente motum, catena domari non vt reum, sed velut amentia furentem. Durauit hæc fabula credulitatis passim notæ, ac nulli dubiæ in diem Martij vigesimum octauum, solenni causæ iudicio dictum. Expectabant omnes actorem Garneto conuincendo lectum, rem paucis confecturum, folij scilicet obiecta explicatione, quo continebatur eius confessio, agnita, subscripta & rata, verum is solidas sex horas, cum fere extra propositum, confessus vniuersi patientiam fatigasset; de causa quod omnes operiebantur nihil probauit, totus in intimas & soli notas Deo Garneti cogitationes, omissa factorum probatione euanuit, totus auditorem imaginosa coniectatione secum ludere contendit. Garnetus autem responsionibus cordatis, prudentibus, & modestis, suam distincta obiectorum refutatione innocentiam asserens, in se omnium aduertit ora & affectus, ac mutatione scenæ repentina, lætos & alacres, qui ante mœrebant Catholicos exhibuit, aduersarios pudore suffusos, & inopinato rei successu dolenter afflictos. Legati Principum fraudulento consilio, & credulitati suæ

non

non mediocriter irati, falsa quibus illos mouerant nuntia negando reuocant, causam addunt eorum in vulgus edendorum & decipiendi publici tandem patuisse, fuisseque non aliam quam vt consuleretur famæ Regis, eiusque Cæcilij, qui Garnetum Edicto solenni, coniurationis apertè conuictum, quindecimo Ianuarij damnare præuerterant. Oportuisse igitur secundis nuntiis significari captum, compertumque reipsa, & certò talem, qualem Regis decretum edixerat.

Sed enim premebat verum huius negotij arcanum subtiliorem perfidiam; erat enim rumoris de Garneto, coniurationis falsa confessione reo, vt audacissimus, sic ardentissimus promulgatur Cooxeus. Homo perinde falsarij nomen vt veracis ducens, & censens vtrouis, cùm foret vtile vti oportere; vidit ergo vir simplex in rem suam, Cæcilij, & Popami tricorporis Cerberi futurum, si Parlamentum eo perduceret vt proscriptis lege nefaria omnibus Iesuitis, velut æqualiter patriæ hostibus, & proditoribus, persuaderet indubitanter populis, fuisse reos, qui mortis supplicio fuerant affecti. Eam enim Regni vnius sententiam à primis eius conceptam capitibus, in omnes populos, & omnia tempora illustri fragore profecturam. Cooxeus itaque cui tanquam cognitori, & fisci causidico fides pronior danda videbatur, Ordinis vtriusque comitiorum publicorum omisit neminem, cui non peieraret confessionem Garneti esse manifestam, manifesta quoque argumenta quibus multi de Societate conspirationis fuisse pars aliqua, ineluctabili probatione vrgebantur. His præiudiciis munitus Parlamentum adit, petit vno communi fulmine omnes ab eo obrui Iesuitas, speciatim extra, intraque Angliam nonnullos; quosdam etiam qui nunquam in mundo extiterant. Verum eo audito sapientes viri ac nobiles, intutum putarunt existimationis suæ nomen testificationi vnius homuli tàm facilè credere, maximè in decretorio mortis alienæ iudicio. Iubent ergo Cooxeum exhibere sibi archetypa, euidentiæ illius quam iactabat; diiudicanda causæ merita ex illius actis quæ essent perpetua, & probata; non autem ex vna illius relatione difflabili, & arbitraria. Reuersus postridie, constituta reorum dum recitat, negationes omnibus visæ sunt quas confessiones nominarat, & quas Euidentiæ titulo venditabat, tenuissimæ coniecturæ. Quare versa in eum Parlamenti totius indignatione, conclamatus est fingendi & mentiendi, effrons & impudens artifex. Dumtaxat vnus hac defensione illi cauit, aduocatis & fisci causidicis mentiri tàm esse vsu, & arte incoctum, vt videretur in naturam transisse vitium, nec posse illos vt maximè vellent, nisi pro vero falsum loqui.

Dum Garneti famam scindebat publicè Cooxeus, serui eius viscera, & vitam Vvadeus lacerabat. Est hic Ioannes Ouuenius cognominatus ab statura. Paruus, annos octodecim Garneto tam vtili opera pro Catholicis occupatus, vt vtiliorem non posset Sacerdos strenuus præstare. Subterraneas enim iis occultandis semitas ducere, intermedias muris condere latebras, mille sui abdendi, & sepeliendi excogitare recessus impenetrabiles, & quod erat operosius latendi aditus dissimulare, claudere, prætexere specie tam

aliena, & longinqua, vt ne in diuinationem quidem posse cadere viderentur, hac sagacitate, & manus habilis felicitate incomparabili parem non habuit. Quare huius fiducia Sacerdotes excipiebantur ab nobilibus domi sine metu, & ægrè in illis paucos reperisses qui nō sæpè salui exploratorum manus & oculos artium illius beneficio euasissent, deberentque illi eorum progressus quos instituebant in fide vitaque Catholica; eam ob rem capto eum Gerardo sub Elizabetha, vitam & libertatem redimere contributione certarunt Catholici. Latebrarum porro quas elaborabat tam erat ipsemet solers occultator vt nulli Catholico, alterius vnquā manifestaret latibulum; quin & sedes latendi, solus arbitro procul fabricaret, quanquam forent interdum excauanda murorum solida, & ducendi sub terra transitus grauiori labore quam cui posset pusillus, & debilis, viribusque infirmis sufficere: huius autem laboris respuebatur ab eo pretium quodlibet præter meritum charitatis, & consolationem operæ in religiosa Catholicorum commoda & tutamenta insumendæ. Quapropter aliquam aggressurus, à sumptione augustissimæ Eucharistiæ, ducebat eius initium, progressum vero comitabatur precatione continua, vel submisso cantu carminum diuinorum. Qui de illo scribunt, & sunt non exiguo numero, putant pridem fuisse de Societate, sed hoc ideò cælatum à Patribus, ne si laïcis in eam pateret aditus, cogerentur multos qui admitti rogassent repulsa offendere, vt qui nulla re possent in ea occupari. Quin & Ouuenius cum satis indoctè famulum simularet, suæque illum virtutes non obscurè religiosum proderent non seruum, æmulos habuit conditionis suæ magnos viros qui ambiuere illam cupidè à Garneto, rati fore in sui gratiam vt idem valeret, quod pro Ouuenio valuisset. Eius erant virtutes quæ Religiosum hominem præcipuè absoluāt Virginem mortuum sanctè testatus est qui eius animum introspexerat ab vsque puero, etsi fuisset in itineribus prope perpetuus, & in domestica iucunda, & incustodita consuetudine familiarum amicarum. Precandi assiduitate, sacrorum frequentatione, paupertate, voluntariis pœnis excelluit; patientiæ vero documenta duo singularia præbuit, semel ab hostibus ad satietatem tortus, & excruciatus; alias ex crure ictu calcis equini comminuto, malè primum curatus, post iterum curandus, inter acerrimos dolores, ne vocem quidem aut gemitum misit. Tandem captus Henlipi cum Garneto eandem cum illo adeptus est duplicem mortis, & infamiæ coronam.

Dici non potest Scriba Cæcilius, quantis eius captura incesserit gaudiis, gnarus illum esse solertissimum latebrarum concinnatorem, & occultatorem. Tria enim ex illo putauit se consecuturum, quorum desiderio imptenter ardebat; primum Sacerdotes, ad vnum omnes Anglia exterminaturum compertis quibus se tutabantur latibulis. Dein spoliaturum partem præcipuam nobilitatis Catholicæ, beandum se illorum miseriis, locupletandum paupertate, illorum opibus fisci nomine direptis. Hinc illa ipsius, vt captum audiuit Ouuenium prima vox; non lenta tunc denique agendum manu tormentis hominem vrgendum exquisitis, & vtili paribus quod

inde

inde maximum, & summum in promptu aderat. Ad hoc non potuit aptius committi quam Vvadeo custodi turris, & suaptè natura, & insanis in Religionem Catholicam odiis, & demerendi sibi Cæcilij ardore, incubituro plenis obsequiis in eam barbariem quam illi cernebat cordi esse. Exprimendis igitur Vvadeus ab insonti, & fideli Ouuenio Secretis quæ poscebat sex illum dies & debilem, & pridem hernioſum in atrocissimo cruciatu pendentem habuit, & horas semel continuas septem, nec tamen de ore fortissimi hominis aliud extorsit præter voces leniendis doloribus in cœlum missas. Domine mi IESV gratiam tuam, & cum dolore, patientiæ incrementum! quibus iratior Vvadeus indignatusque se vinci à semihomulo, postrema rabie collecta, torrores iussit nouis ponderibus equleum grauare, vltimamque admouere ad cruciatum augendum industriam. Hinc distento immanius, ruptisque omentis, soluuntur & eiiciuntur intestina, pius Dei seruus animo defectus, & vita inter atrocissimos dolores moritur.

Ab obruendum tantæ crudelitatis nefas quod præter inuisam vulgo barbariem, iniurioſum erat clementiæ quam Rex de se credi volebat singularem, & in coniuratos quoque palam reos vsurpari; Vvadeo non defuit malignum ingenium, amicorum periuria, mendacia fautorum quibus vulgatum est flagitioſum illum Garneti famulum relicto intra carcerem corpore ad quæstiones, & tormenta muto, proripuisse se animo ad imos inferos, vt se Iudicum æquitati, iurique subduceret; hoc est manu in seipsum violenta animam expulisse, cuius parricidij hunc depingebant modum; iussum à cognitoribus dum examinatur ex trabe; vtroque manuum pollice, breui spatio pependisse; impatienti doloris parcitum, exemptum trabi, reductum in carcerem, falso metu tormenti grauioris, quo adigeretur ad confessionem quæsitorum, illato ad prandium cultro ventrem secturis duabus ingentibus laxasse quibus intestina proiecerat. Ac velut nequissent hæc in mortuo patrari, vt stulto colore fabulam tegerent, exenteratum vt erat cadauer, publicè spectandum popello exponunt, partim mortuo malè adprecanti; partim etiam illudenti. Excusa eius effigies adiunctis salibus triuialium Poëtarum, innocentis probro, voluptates & iocos vulgo aliquamdiu parauit.

Verum enimuero se Vvadeus in omnia verterit mendaciorum argumenta, latere non potuit nisi cæcos, nec infamiam à se homicidij crudelis amouere, nec Ioannis Ouuenij gloriam obscurare, tormentis, & morte in iis obita pro Christo partam. Et fuêre viri magnanimi, qui populo cadauer spectanti, rem vt gesta erat sibi optimè perspectam, vt sincerè, & candidè, sic animosè constanterque narrarunt, & aperta fronte probrosissimam calumniam ab innocenti propulsarunt, qui licet propterea in præsens rapti in carcerem, veri tamen famam extra carcerem liberam, sonoram, exploratamque reliquerunt. Primum enim quam bardo stultoque ingenio excogitatum est fortem Catholicum, equleis alias & cruciatibus inuictum, nunc vsque adeò ab illo robore, seque ipso desciſse vt vano timore (sic aduersarij loquebantur) cruciatuum nouorum sibi manus inferret, cum

posset retectis latebris, de quibus interrogabatur, & Sacerdotum occultis secessibus patefactis quicquid metuebat euadere. Quod si erat damnandum agnoscebatque fore ingens scelus quo pacto vir in rebus animi oculatissimus, & sanctus non videbat, futurum immanius si seipsum necaret, ad declinandum crimen tolerabilius? Quod vero non minus stolidè vulgatur demerso in viscera cultello mensario, mortem sibi sponte intulisse; scire velim qua lege seu priuata seu noua misello seruulo prærogatiui cultelli ius ad scindendos cibos concessum fuerit, quod reis etiam supremæ dignitatis dum subsunt examini seuerè negatur, & Gerardus ipse ab addictissimo custode calamarium scalpellum non potuerit impetrare ad aptandam sibi in vicem calami festucam, & tentis carcere non apponantur cultri, nisi planè obtusi, & superiori ex parte secandi acie carentes. Verum fuerit certè nouacula, & petens à cognata per custodem suum nescio quid; excusauerit emortuos ex recenti equuleo digitos, qui ne duobus quidem scribendis ad illam verbis sufficerent; at ij suffecerint scilicet corripiendo plena manu ferro, & defodiendo in viscera, ad extrudendam cæsuris capacibus animam. Sed veri, & facti testem Deus habere nos voluit ipsummet Ouuenij custodem, qui præsens & coram mortuum intuens vi cruciatuum, & eiectione viscerum ex tormentis, Catholicis rem vt contigerat confirmauit. Præter hæc vnus carnificum qui eum torserat, deprædicabat viri patientiam miraculo similem, & fortitudinem magnæ mentis, inter illas dolorum lethalium intolerabiles pressuras; nec sibi vnquam in manus venisse tantæ hominem generositatis, & Christiani spiritus, in perferendis suppliciis tam excelsi. Postremo si vera fabulatus est Vvadei defensor; & instructa causa pronuntiatus est solenni iudicio sui parricida, interemptor sui Ioannes Ouuenius, cur non est affectus præscripto legibus, & vsu, homicidarum talium ignominioso dedecore, hoc est palo per medium hominem adacto, elatus extra vrbem, & rure asini conditus sepultura?

Aiunt præterea Garnetum, cuius ad historiam redimus, illas examinum cognitiones trium & viginti, subiisse semper ab tormentis intactum; quin & stylo impudentissimo perstrepunt scriptores, audentque illum etiam auctorem coniurationis, & principem facere. Quorum vnus Pythone correptus maniaco vaticinatur iurans, Garnetum, si strenuè distractis ossium iuncturis aut fuisset in equleo distentus, aut è manicis pependisset, non vnum aut decem arcana fuisse sed sexcenta & mille manifestaturum, illudque præ omnibus architectum se omnium extitisse, quæcumque deinde Catesbyus in opus contulit. *Sed dum*, inquit, *tormento immunis esse iubetur, certum habet negare omnia, & formalibus fabulis, mendaciis, periuriis, impudentissimè occultare.* Quæ verba, vt solent obliuiosis mendacibus elapsa, debuêre hic à me non neglectim notari, vt post tum eiusdem secum ipso pugnantis, tum aliorum pugnantiam proferrem. Euictum scribunt ex Garneto, & perspicuis eius confessionibus probatum, auctorem ipsum coniurationis fuisse primarium, ea propter iure proditorum supplicio affectum; iam si semper negauit quia nunquam tortus; vbi confessiones illæ claræ ac liquidæ

quidæ quibus iure conuictus, damnatus, & cæsus est? Habemus ab eo literas qui solenni eius damnationi interfuit, quibus scribit se illic ex eo audisse, de tormento cui fuerat à cognitoribus admotus, ad exprimendum quid rei in congressu cum Oldcorneo (de quo mox) tractasset. Ad confessiones eius quod spectat iuridicas, indubitata res, & ipso quoque aduersariorum assensu firmata, nihil ex eis expressum, quo posset iure contra illum agi. Vnde luculenta probantur mendacia, quas vocant alij confessiones euidentes quibus coniurati Garnetum onerarunt, quasque ipsemet inficiari nequiuerit. Sed rei huius tantæ, tantique ad cognitionem veram momenti, testis sit ipsemet omni exceptione, & auctoritate maior Cæcilius. Qui, disertè fassus est, ex Garneto priusquam aliquid resciretur de iis quæ soli (vt putabat) Oldcorneo crediderat, nihil potuisse contra illum probari, nedum coargui, & euinci, vnde vlla ex parte reus censeretur. Quod animaduersum à Iudice Popamo, & Cookeo, absoluendæ causæ à Consiliariis nominato, induxit versutos homines ad subtile commentum, quo Deo fauente, ex Garneto id omne, ac solum didicere, vnde illum possent ex regni legibus, quas potiores ducerent, Ecclesiasticis, morti addicere.

Parietem carceris quo claudebatur Henricus Garnetus carcer alius contingebat, seu ianua communi duabus vtrinque foribus, peruius siue hiatu parietis medij arte simulato ad similitudinem rimæ fortuitæ (aliter alij depingunt) inuento ad reos ex solitariis vt rentur per latentes arbitros colloquiis captandos & coarguendos. Translato igitur in eum carcerem quæsitis occasionibus Oldcorneo, quòd factum fuerat sceleroſus custos Garnetū edocet; vtque fuerat edoctus à Vvadeo, benignius solito & amabilius cum eo agere; subindicare sensim nescio quid, quod esset auidè cogniturus, ipseque illi non ægrè detecturus, nisi foret suo cum grandi periculo futurum; data tandem & accepta fide velut periculi securus, suggerit fieri posse non ita difficile, vt colloqueretur subinde cum Olcorneo, mutuoque affatu, & consolatione fruerentur; iisdem enim in latebris capti, eodem nunc ferè carcere claudebantur, & hic cæcos illi monstrauit aditus, quibus inuicem conuenirent & viserent, & familiari alloquio piè animum recrearent; sed primùm rariùs vt foret deinceps tutiùs. Optatissimum Garneto venit fraudulenti custodis officium, nihil suspicatus est in eo doli; condixit horam custodi minus incommodam; qui priusquam iis perfidiosam gratiam præstaret, Vvadei homines abscondit duos, in contiguis latebris, qui suspensas aures colloquentibus arrigerent Forfetum quendam seruum, & Lockerum iuris, & linguarum peritum. Illic ante omnia Garnetus confessione sacra lustrauit animum; post in colloquium delapsi, ab Oldcorneo interrogatus est, etiam ne tum pergeretur in examinibus coniurationis? Cui Garnetus, nihil haberi prorsus vnde posset eius probari conscius, quod enim de illa resciisset aliquid, paulo antequam in lucem exiret, neminem esse mortalium omnium præter vnum qui hoc posset testari, quæ verba vltima insonti fuêre mortifera. Scripto enim excepta, cum reliqua sermonis serie ab duobus qui clam aderant attendebantque auritis testibus, exhibita sunt consiliariis Regiis, quanquam paulum inter se diuersa, seu forent aurium errore, seu

malignitate immutata; ex quo iure Garneto licuit illorum fidem elidere; & vero cognitores causæ deputati, cum sisti hunc sibi absque mora iussissent, & de iis quærerent; negauit primum quod nec legitimè & ex necessariis indiciis quærerent; & ipse non aliter quam iuridicè responderet; dehinc tormento applicitus indicatis testibus, & arte qua hæc eius verba fuerant expiscati, fide sincera & candida respondit, imprimis paulo ante quam coniuratio proderetur, de illa se aliquid resciisse. Secundo solum id posse ex omnibus mortalibus hominem testari, eundem videlicet ex quo de illa cognouerat, secum enim de illa mortalium egisse neminem; hunc vero (quem & nominabat, iam extra Angliam deuectum) Greenuuayum videlicet, sibi arcanum id confessionis sacræ inuiolabili premendum sigillo credidisse donec aliunde in lucem erumperet. Secutusque narrauit quod olim diximus, obstrictum à se omni iure Greenuuayum, vt modis omnibus à scelerato proposito dimoueret Catesbyum, & hunc eius peruictum precibus, & rationum efficacitate, sanctè pollicitum, nihil se noui moturum, quoad saltem Pontifex moneretur de lamentabili rei Catholicæ in Anglia statu. Se vero supplicibus literis iisque iteratis præceptum curasse quo Catholici omnes anathematis pœna iuberentur abstinere omnino rebus nouis, præsertim in Regem, & regni quietem. Quod autem Catesbyum, eiusque coniurationem non denuntiasset, in causa fuisse religionem ineluctabilis secreti quo Sacerdotum linguas, & conscientiam obstringit sacra confessio. Hæc ille, & hæc solum ex veris in omni eius causa, ex quibus patet illi fuisse necessario moriendum, aut morte temporaria tanquam proditori taciturno, aut sempiterna tanquam sacrilego confessionis delatori, diuinis legibus sacrosanctæ & sigillo immobili æternoque munitæ; legibus Angliæ ad Caluini amussim reformatis, nec sacræ, nec sanctæ, nec secreto obnoxiæ. Mirum nihilominus quàm se omnem in partem versent in Anglia Caluini assectæ, vt abiudicent à Garneto, tam sancti, & honorifici supplicij gloriam, & de Greenuuayo quidem irrident alij velut fabulosum Garneti commentum; negant alij confessionem sacram, & mysticam, quod sermocinando, & iambulando non de genibus obiretur; quidam, quod esset alieni peccati confessio quæ nec iudicandi materiam confessario præberet, nec reum sisteret qui foret absoluendus.

Postremo Catesbyum nec ab se factum doluisse, nec infectum optasse, nec ab eo vrgendo abstitisse, quibus conditionibus carere sacra confessio non posset. Verum ex his cum cautè præciperent quæ futura essent de spontanea ipsorum ignoratione, aut occculta malignitate iudicia, quæ in diuersas à vero species mutarant, statuere maiori, & audaciori sacrilegio emendare; Sacramentum nec ne illa foret aut quæuis alia Papistarum confessio, in ea Sacerdotem quicquid accepisset, aperire Magistratibus debere, quodcumque inde misero confitenti euenturum esset periculi, aut mortis. Sic illi vt quidem Theologi peruersè; vt politici, nulli bono; imo damnosè censuere, vt solidè alias docti sunt, rationibus etiam ab vtili ductis, quod vnum cæci respiciunt & adorant impugnatores diuini sigilli. Hæc demum

iuridica

iuridica Garneti confessio, fisci causidico traditur, ad instruendam accusationem sententiæ vltimæ præituram. Erat hic ille idem Eduardus Cookeus, proiectæ frontis & linguæ Aduocatus, qui falsis (quas venditabat erroris & dubij expertes) euidentiis suis, nuper contenderat Parlamentum in nostros proritare, fueratque ab eo explosus perspecta earum vanitate; non potuit homo pessimè comparatus fallere hominum expectationes, & oppigneratum causæ huius victoria honorem suum veris falsis, sophisticis, non omni arte asserere.

Solenni supra morem pompa Garnetus ducitur ad audiendam causam suam coram Rege Iacobo. Laudes in eum ab aduersariis collatæ à Casaubono stolidè vertuntur. Experimenta dignoscendi Abbotij. Actionis summa in sex horas à Cookeo productæ; Additorúmque illi à Comitibus Northamptoni, & Salisberiensis. Garneti modestia in refellenda culpa singularis.

CAPVT X.

ADERAT Martij duodetrigesimus ex Kalendario antiquo dies, incidebátque in sextam feriam cum hora post ortum diei altera, Equites calcaris aurei duo ad Turrim præsto sunt, quorum alter Vvadeus Turri Præpositus, curru secum eodem Garnetum demissis sipariis includunt, ducuntque in aulam quæ vexillorum appellatur, sitam media in vrbe, & iuris alterius rationibus destinatam. Latet etiamnum huius nouitatis quæ causa fuerit. Reos enim mos erat, quantæcumque ij essent dignitatis aduerso Tamesi cinctos custodiis populo spectante Vvestminsterium portare. Illud non ita nouum statui iudicandum, non ex plano & æquo, sed aliquantulum à terra edito. Considebant suis in tribunalibus, & maiestate habitus, viri lectissimi; vrbis Præfectus Leonardus Holidayus. Comites Nortinghami, Northamptoni, Suffolcij, Vvorcestrensis, Salesburiensis, ille Cæcilius, hic Scetuuinus pacis conseruator: Popamus iuris Prætor; Cookeus & alij magno numero nobiles, graduſque non infimi: ante omnes vero extra omnem vsum Rex ipse interiecto velo interesse voluit actioni; quod ne sui Garnetus arrogaret opinioni apud Regem, & meritis;

Catholici autem honori ducerent, Cæcilius in oppositum deflexit, de quo nos vtilius postea.

Hic Turri Præpositus Vvadeus cum ad tribunal constitisset, suam vnà obtulit delegationem, & Garnetum reum; qui scandens iudicibus ex aduerso cognominibus citatur suis Garneti, Vvallij, Farmeri, & Darcij quæ manu in altum protenta, sua esse annuit, seque illum ipsum qui nominabatur. Inde illi summatim accusatio recitatur, hoc est vt habet eius fori stylus, quicquid ei actor obiicere poterat. Coniurationem cum Roberto Catesbyo ad nonum Iunij molitum, eo quem designabat vrbis loco, ad auertendos à Dei, & Regis obsequio populos; eripiendam huic cum sceptro vitam; principes filios, & nobilitatis florem, morte crudeli de medio tollendos; eodem præterea die communicasse cum Greenuuayo consilia de conspiratione dirigenda, & cuniculo ad destinatum perducendo. Ad hæc erat Garneti vel fateri se reum; vel negare, verbo illic solenni, & fori proprio capitalis; Respondit itaque, *Non reus.* A quo ergo, resumit alius, diiudicari causam tuam placet? A Deo & patria, inquit ex vsu veteri, Garnetus, porro illic patriam repræsentant viri duodecim, iudicem inter & reum medij, iurati se de causa pro iure ac meritis partium pronuntiaturos. Hinc surgens nobilis Ioannes Crookeus ex Aduocatis ad hoc peculiariter delectus vt iudicio initium daret, ab illis cœpit Christi verbis, *Nihil est opertum quod non reuelabitur, neque occultum quod non scietur.* Intelligi volens virulentæ huius coniurationis occultam hactenus radicem, nunc demum in pectore, & corde Garneti deprehensam; viri cœteroqui multis, magnisque, à Deo, & natura dotibus cumulati. At enim cui bono? Si diuina illum gratia deserente, peior inde quàm erat euasisset. Multis illum vocatum cognomentis, nullo quod boni aliquid sonaret, eius siquidem vitam inquinatissimam, & mille infamem vitiis, bonum vocabulum nunquam promeritam. Illo tamen præsertim parricidio immani execrandam, quòd esset Regi suo necem, ruinam patriæ, deletionem religionis veræ sceleratissimè molitus; quorum omnium tenerentur nimis aperta indicia, facta, confessiones conscriorum, ipsiusque adeo confitentis rei. Exhausta paucis his pharetra, maiores reliquit fisci causidico declamatori turbulento edendas tragœdias. Cuius antequam spectemus egregia decora, audiendum est nobis dialecti subtilis acutum argumentum quod Casaubono tribuitur. Garnetum breuiter laudarat Crookeus; laudarat fusius fisci Aduocatus, hominem esse, vt forte in Anglia nemo, ad summa Regis obsequia summè idoneum, auctoritatis apud Papistas summæ, prudentem, cordatum, eruditum, singularibus naturæ artisque ornamentis; addiderat Comes Northamptoni, literatissimum, multarum linguarum peritia, & diuturnis excultum studiis, ad hæc vultu grauem, compositum moribus, consiliis rectum, specie innocentem; talem denique quem sua viri tam præstantis calamitas miseratione omnium faceret, quam ira digniorem. His Casaubonus auditis, horum, ait, hic fuit heroum candor, & æquissimorum Iudicum qui in causa Garneti censuêre; in iis similiter, quæ aduersus Garnetum

tum postea & dixêre, & edidêre in lucem publicam, fidem omnium meretur, & exigit. Ita quidem ille, sed nimium maledicendi rudis, oppidoque indoctus, tametsi magister, quem latuerit nusquam securius subire in mentem calumnias quam cum iis viam præmissæ laudes complanarint. Harum enim colore versipelli, fidei titulum apud audientes sibi conciliant certiorem, quod vnum ex tribus est quæ in persuadendi arte Philosophus præcipit. Cuiusmodi enim si superis placet, eæ laudes erant, quæ ad hoc solum conferebant, vt adstantium in Garnetum inimicarent voluntates, vel tanquam simulatorem probitatis vt Northamptoni verba non obscurè sonant) vel scelestissimum, dignumque suppliciis omnibus qui tot Dei & naturæ dona decoxisset, vt flagitiosior fieret? nec ergo Grammaticus adulator, literatè satis, nec satis malignè argumentum firmauit.

Actionem suam Eduardus Cookeus fisci Causidicus hora diei nona inchoauit, protulitque ad tertiam pomeridianam, nec enim spatiis clepsydrarum egebat minoribus ad agendas in eo theatro personarum, quas per se vnus repræsentauit partes. Theologi quidem, vt vocant, scholastici; morum Magistri; & religionis controuersæ; Historici; Oratoris; Philosophantis; & Iurisperiti, quo etsi præcipuè intra ius, & leges Angliæ valebat, vult tamen illum Robertus Abbotius ipsius æmulus Episcopis omnibus & Patribus Tridentinis excelluisse adeò in Theologia, vt dedecorare illum sibi videatur quod cum ea ignorantium colluuie virum tantum contulerit. Tam parabili tunc Theologiæ medulla pretio, illo in regno stabat, vt qui nec primas illius syllabas norant componere, nec eius percurrerant alphabetum, solo eorum qui essent verè Theologi contemptu inaugurarent seipsos Theologos. Nam si hoc non foret, qua fronte de iis tam indignè atque impudenter deblateraret Abbotius? Hoc vt minus miremur, sciendum est quiddam de isto Cookei laudatore, ex quo intelligetur & ratio ob quam vitæ suæ fœditates, insanè toties & inuerecundè Garneto imponit ad innocentiam viri Dei proiectè deturpandam, libro cui Antilogiæ nomen fecit. Pseudologiam verius dicturus, aut vocabularium linguæ maledicæ; demptis enim quas habet calumniis, argumentorum dolis, verborum fraudibus, mendaciorum perpetuitate, conuitiis, & sacrilegis hæreseos vocibus; ducenta ex quibus compactus est folia in album redeant. Nec potuit aliud Garnetus, & tota cum illo nostra Societas ab eo expectare qui lutulentis ex Lutheri cœnosa palude pedibus calcat petulantia intolerabili eorum capita quibus comparati locustæ sumus. Patres sacræ synodi Tridentinæ *gregem vocat Porcorum indoctum.* Precatorios globulos, cruces, icones, agnos cereos sacros execrabili voce *Pontificia stercora.* Cardinalem Bellarminum quantum & qualem orbe toto virum? *Veterem, & obsoletum* impostorem. Doctores sanctissimos, Thomam & Bonauenturam; illa Theologiæ iurisque lumina Magistrum sententiarum, Scotum, Ricardum, Gabrielem, Dominicum Sotum, Couarruuiam, Sylueſtrum, & Nauarrum; Gregorium de Valentia, Molinam, & Suarem, audet Stentor forensis despuere velut, *Ridiculam auctorum turbam quorum tantùm ad latrinas*

vsus est. Hominum pecus, sordes religionis, & Ecclesiæ; quorum insanis enthusiasmis spurcissimè coinquinata fides, & venænata quadam lue turbidata, atque infecta est. Huic demum summus Ecclesiæ Pontifex Christique in terris Vicarius *homo peccati* est, *natus Satana parente* quem & alio quodam suo libro Antichristum probare contenderat. In quo impietatis nefariæ, & ignorantiæ portentosæ ita est ab vno è nostris valenter ac dilucidè reuictus, vt tunc hiscere non ausus, reposuerit conceptam rabiem, hac in illum, & societatem vniuersam & Garnetum famosa philippica euomendam.

Iam sua illa in lacinioſa declamatione, non vacat sequi extra propositum; & longè ab scopo exerrantem nam libuit homini de æquiuoco agere, hoc vero quam ineptè ad rem & temerè, seu cum negat vlla omnino in causa, licere vnquam eius vsum; seu cum fingit illum à Magistris Catholicis nobisque permitti, etiam vbi est quærentis legitima interrogatio, & vero etiam cum de religione quæritur quam quis profitetur. Disputauit aduersus Catholicos nomine Recusantes, quos sua quadam anni præcedentis lucubratione reos probarat maiestatis, ex antiquis & nouis Angliæ legibus, vel ab illo imperitè perceptis, vel quod ab homine Iurisprudentiæ coriphæo credibilius est, malitioſa tortis explanatione. Ad hæc enim recusant Caluinistarum Ecclesias adire, vt imperata faciant Papæ cuius in se agnoscunt potestatem, & spiritalem in Anglia iurisdictionem. Id vero, aiebat, quid est nisi sceptrum Iacobo, & coronam partiri, qui magnæ suæ Britanniæ, & Rex, & Papa est. Illam præterea instaurauit positionem perniciosissimam nec minus infaustam, posse inuisibilem esse veram Ecclesiam, nec sensu, nec loco agnoscendam, iustè tamen æternum damnari qui pars eius non essent. Eiusmodi quidem fuisse Lutheranam per annos supra mille tanquam aurum metallis confusum variis, quod eadem in massa, etiamnum latet, quanquam non possit eius bracteosa monstrari. Sed enim sublime sui ingenij ostentum præbere voluit ad obturanda scilicet Iesuitarum ora. Nam quid hac agas, inquiebat imperitorum natione? Qui Lutheranismo exprobrant nouitatem, quasi nesciremus recentiores esse Iesuitas, eorumque religionem post reformationem Lutheri natam. Dignum prorsus tanto auctore documentum & dialectico tam subtili, in confundenda significatione varia vnius & eiusdem vocis, omnes ad extremum Catholicæ Ecclesiæ doctrinas Angliæ inuisas de potestate Pontificum Romanorum spiritali, & sacra in principes, vno fasce collectas, Iesuitis priuatim attribuit, quod hic obiter quidem sed data opera attingo ob illa quæ inter Cæcilium, & Garnetum de auctoritate anathematis Pontificij acta fuisse videbimus.

Cæterum de illis quæ ad causam propriè attinent (quorum penes me habeo literas ab iis qui tunc Garneto & præsentes & proximi aderant) Repetiit Cookeus cognitiones illas examinum trium, & viginti, vt quo lentius causa, & deliberatius processisset eo postremum hoc de illa iudicium maiori pondere auctoritatis firmaretur. Qua voce magnam exciuit expectationem promulgationum haudquaquam vulgarium; sed quibus eruendis præcipua regni & consilij capita, sagacitatem suam toties fatigassent.

Verum

Verum vbi nihil nisi friuolum & leue auditus est Cooxeus depromere, nemo omnium qui aliquid saperent dubitauit Garnetum voluntate hominum, non sententia damnari reum, cum nihil probaretur ex quo posset iusta in eum ferri sententia. Prius enim quam captus teneretur cum esset edicto Regio ad decimum quintum Ianuarij proscriptus, velut aperti conuictus sceleris, & successissent edicto examina viginti tria, & confessiones illius totidem, quid inde aliud exiturum putassent homines præter euidentiam sole clariorem? At præter farraginem, & aceruum diuinationum magis quam probationum, nihil prorsus extitit.

Subiecit deinde, huius se facinus conspirationis, actamque in viscera Parlamenti fossam igniariæ machinationis, vocaturum deinceps propriè Iesuitarum proditionem, vt distingueret eam ab aliis, idque illa ex iuris regula, *plus peccat author quam actor*, facturum, ex quo sibi probandum assumpsit fuisse Garnetum archiproditorem, primumque auctorem, & architectum coniurationis; ad hoc vsurum probationibus concomitantium, & subsequentium, quæ omnes perfidiam saperent, omnes ad Iesuitas attinerent; omnes Garneti essent, qui Iesuitis illic omnibus præerat, auctoritate omnibus, imperio, & opere inerat, omnia proinde quæ moliti essent ad eum referenda. Neque vero tunc primum Garnetum, proditoris nomen commeritum, ab annis viginti, hoc idem professum cum Elizabethæ anno vicesimo Ro. Pontificis auctoritate consecratus pedem in Angliam immisisset, vbi reipsa regni lege, factus esset proditionis reus, & læsæ maiestatis. Hoc si leuius videretur, quod esset illi cum multis commune; at enim ij semel; is vero dupliciter proditor, & gemino titulo præ aliis reus; collato enim eius in regnum ingressu cum expeditione illa Philippi secundi, potenti classe Angliam tentantis, incidisse vtrumque eundem in annum reperitur. Casu videlicet, ac fortuito concursu? quis cæcus id credat? imo temporibus meditato lectis ad sollicitandas Papistarum Anglorum in vindictam iras, & iungenda in tumultum, & rebellionem cum externis arma.

Erat tamen Cooxeo has trgœdias latrante recens memoria, illo classis Hispanæ appulsu, neque Sacerdotem, nec inter Catholicos vllum, suspectæ fidei vmbram præbuisse; contra potius nihil potuisse à fideliſſimis patriæ ciuibus optari quod illi non exhibuissent. Narratione pariter tragica, enumerauit rerum nouarum motus omnes clandestinos, & publicos; tumultus, conspirationes, seu veras, siue cogitatas quibus ab annis octodecim turbata fuisse Anglia ferebatur, ex quo nempe nostris præesse cœperat Garnetus; animaduertit vir catus, & perspicax turbatorum alios fuisse Protestantes; alios fictè Catholicos; alios palam in hæresi mortuos, alios denique apertè Patribus nostris non modo aduersarios sed hostes. Omnes vnum coniecit in Mercurij aceruum, interiecto singulis nostrorum aliquo natione Anglo, vel intra, vel foris extra regnum, vel nusquam gentium, iis enim ex tempore arbitraria cudebat nomina, & insontem Garnetum idcirco omnium faciebat reum, quòd eo nostris in Anglia Præfecto contigis-

sent. Probationis autem ne scintillam quidem vsquam interiecit, sed perinde ab iis expediuit se se vt fit ex iis quæ constant apud omnes, quibus communis hominum assensus fit iusta probatio. Thomæ quidem Treshami, vnius ex coniuratis quem dolore aut venæno scripsimus extinctum, testimonium protulit, qui rogatus in carcere, & confidentia mortis euadendæ, ecquam partem haberet Garnetus in notitia coniurationis quæ ferebatur à Thoma Vvintero instructa vltimo Elizabethæ anno (nec in rem præsentem quicquam facit) responderat, nescire quidem se, sed facile credere; quam ille vocem desperata cuius sibi gratiam pollicebatur vita, sub ipsum mortis articulum, iuramento, & scripto reuocauit, asseruitque vitandi patibuli cupiditate improba expressam vt gratum Cæcilio faceret à quo esset fortassis morti eximendus. Meminit item Cooxeus diplomatum breuium duorum, quæ absque vllo argumento diuinabat, ad hoc ipsum Vvinteri negotium spectare. Alterius quidem ad Blackuuellum Archipresbyterum; alterius ad Garnetum, vtriusque eiusdum argumenti, quo verabantur Catholici post Elizabetham, coronam Angliæ cuiquam committere, *quantacumque propinquitate sanguinis niteretur, nisi eiusmodi esset, qui non modo fidem Catholicam toleraret, sed etiam omni ope, & studio promoueret, ac more maiorum id se iureiurando præstiturum susciperet.* Verba sunt ex Archetypis descripta. Iacobo enim Rege Londini acclamato, Garnetus qui forte vtrumque habebat in manibus, nulli deinceps idoneum vsui combussit.

Illuc vsque actor pro ingenij sui libidine vagatus fuerat extra causam. Huius enim caput cui aut potissimum, aut soli probando, & stabiliendo incumbi oportuit, accusationis iuridicæ diserta verba proponebant Henricum videlicet Garnetum, illo die, & loco, persuasisse Catesbyo vt proditionem moliretur, & in Regis vitam, Principum filiorum, & Parlamenti coniuraret, euersumque mox Regnum, & Religionem, rem sacram & ciuilem in ruinam ageret. Hic demum saturas inani decursu rotas suas firmauit Phaëton, hic illum omnes opperiebantur, illaque tandem eius argumenta, quorum singulis nedum vniuersis, inducturum se profitebatur Euidentiæ solem quendam in propositum caput accusationis. Ea porro fuisse quæ sequuntur ægrè puto me fidem facturum, ac non potius mutila, eneruata, & si quid haberent venæ melioris emasculata. Causam enim tantæ orbe toto famæ, tam numerosi Procerum, Ministrorum, Iudicum tribunalis, Regisque ipsius præsentis tam solenni ritu, torque melius dicam oraculis, quam nude sententiis decisam, eandemque post, cùm impugnaretur quasi parum æquo decisa iudicio, æquitate iudicij ostenta propugnatam à mysteriarchis Caluini & Lutheri; à Theologis, & Oratoribus, ab Historicis & Grammaticis, Rege ad hoc etiam manum & calamum commodante; causam, dico, talem cui credibile faciam se tam debilibus & infirmis sustinuisse argumentis? Multo vero minus inter se pugnantibus, & quem reum damnabant insontem ptobantibus, demum quibus nihil inest euidens præter mendacia qua sic occuli nequiuere vt non inuicem insidiarentur, & ab alio aliud proderetur. Garnetum ergo fuisse Catesbyo auctorem,

rem, & suasorem coniurationis, præsente vt aiebant, Greenuuayo; hoc inquam, vt probaret, ne mutire quidem ausus est declamator, aut verbum edere ad eius confirmationem; non erat in viuis Catesbyus; Greenuuayus aut latebat ignotus, aut extra Angliam tunc agebat; testis qui vel ex iis audisset, vel alio quopiam, vel esset saltem coniiciendo suspicatus producebatur nemo, quod nec vllus esset, nec scriptum cuiusquam aut literæ, aut quicquam penitus, cui posset indicij vis aliqua tribui. Præter quod iam coniuratio coaluerat, & constabat; eratque iam suffossus in aulam Parlamenti subterraneus cuniculus, quo die Garnetus dicebatur coniurationis auctor fuisse Catesbyo. At ecce quo maximè tumultuatus est Cookeus, velut probatione facti qua nulla poterat euidentior proferri, repetendum autem memoria, quod nuper scripsimus, Catesbyo socios quærenti, duos manus dedisse (Rookwoodium, & Fawkesium) sed hac lege si possent integra conscientiæ sanctitate, vno exitio insontes cum nocentibus inuolui, & dispuluerari quod cuniculo imminebat vniuersum omnium Ordinum Parlamentum. Eam ob rem finxisse Catesbyum, aliud quiddam (vt arbitrabatur huic simillimum, quod non posset tamen Garnetus diuinare idem ab eo intelligi) & interrogasse an fas esset ex conscientiæ regulis obsidere & expugnare arcem inimicam, multorum comitem ac fontem malorum si præter mentem obsidentis non possent improbi, à bonis seiungi, sed essent vtrique vna clade perdendi, respondisse Garnetum quod vulgo Theologi, fas esse ob necessitatem belli iusti. Catesbyum autem velut res quam verbis expresserat, eadem planè cum illa esset quam animo premebat; duos illos quos sibi asciuerat feciisse conscientiæ securos, professum id sibi à viris doctissimis responsum. Hic vero Cookeus triumphabundus negare Garnetum euidentius posse comprobari tanto Catesbyo sceleratiorem, quantò *plus peccaret author quam actor* vociferati hoc idem, versare, recoquere, inculcare, quasi verba faceret ad truncos, & ingenio stupidos qui non aduerterent Garnetum sanè, docteque respondisse; Catesbyum sano doctoque responso, ineptè ac perperam vsum, simplices socios ad coniurationem induxisse. Ab hac tam incida demonstratione ad consimilem aliam gradu facto, ex Actis protulit voluisse Catesbyum Garneto arcanum ingens committere, summique ad Religionem Catholicam momenti; renuisse Garnetum, & prima eius elisisse verba, Præpositi sibi Generalis mandato vetitum, ne quid negotiorum attingeret quod in strepitum vergere videretur, esseque fortassis huiusmodi quod sibi clam optaret credere. Igitur ait resumens Northamptonus, qui cùm posset audire, noluit; potuit mederi & noluit; voluit itaque malum sequi quod metui poterat, ac dum sciens & malitiosè non vetuit, non effecit tantum vt sibi attribueretur veluti conscio, sed tanquam auctori, & persuasori, ex illo iurisperitorum vulgari effato, *qui non prohibet cùm potest iubet.* Nihil ad hæc addidit Cookeus quo in speciem saltem medicaretur paralogismis insanibilibus; ac ne aduertit quidem sua se cum causa pugnare, illamque dum fabricatur subruere. Nam quo pacto hæc duo quæ certo putat certiora, inter se collata consentiant?

Auctorem Catesbyo & instigatorem coniurandi fuisse Garnetum (quod accusatio affirmabat) & non ausum illi Catesbyum coniurationem, detegere, nisi coloribus ad vmbratam ex quibus posset agnoscere, ficta nimirum arcis expugnandæ imagine? Volentem deinde Catesbyum de illa clarius cum eo agere repulsam passum, nec induci Garnetum potuisse vt quicquam ex eo audiret. Si proditionem suasit Garnetus qui potest illam ignorare? Si frustra tentat Catesbyus hanc illi aperire, quo pacto eius auctor Catesbyo fuit. Nam quæ noua hæc erat argumentandi vis, & forma? Quod enim eodem fatente Cookeo ponebatur vt certum & necessarium non fuisse Garnetum conscium coniurationis, assumebatur nihilo secius ad demonstrandum euidenter fuisse Garnetum illius auctorem.

Sequitur præiudiciorum acies altera, quæ in ore Cookei singula robur obtinebant probationis vehementis, euidentiam conuincendi vniuersa, eandem illis vim arrogabant, Northamptoni, & Salisburiensis comites qui ea Garneto exprobarunt. Primum transmissuris in Belgium, duobus aut tribus vel tunc, vel postea coniuratis dedisse Garnetum commendatitias ad amicos, ergo iam tum Garneti cura & patrocinio confisis, igitur fautoris, & conscij coniurationis. Deinde Edmundum Bainhamum negotiorum causa in Italiam profecturum fuisse Garneti commendatione Catesbyo designatum, velut idoneum ad exponendas fideliter summo Pontifici calamitates Religionis, & Catholicorum in Anglia; ad enunciandam ergo coniurationem, poscenda arma, anathemata procuranda, quærenda officia Principum externorum in conuersionem Regni hoc est reipsa in euersionem. Post retectam denique coniurationem superuenisse seruum Batesium cum Catesbyj literis ad Garnetum, nec vlterius vrgetur præiudicij huius suspicio. Ego vero in hoc & aliis quæ vera fuerint, quæ ex veris in falsum, non deducta, sed torta postea ostendam. Supersunt ad vltimum duo testes sibi opponendi qui clam Garneti cum Oldcorneo colloquium scripto exceperant. Citatos igitur, fisci actor, sumptis inter manus foliis duobus coram interrogat, num quæcumque iis continebantur vera esse iurarent. Et iurare se quidem responderunt, sed obmurmurare forsitan sentiens Northamptonus ab circumstantibus, erratum à Cookeo vidit monuitque prius legenda testibus folia illa duo, quàm exigeretur ab iis iusiurandum, nam quæ non audissent, vnde haberent vera esse? Emendandæ itaque erroris tàm crassi dormitationi, suum vtrique seorsim scriptum perlectum est; instauratum ab iis periurium. Vera, falsa pugnantia mixtim continebat, quæ Garnetus deinde in iustum Ordinem secreuit. Sed ex veris ante quæ notauimus nihil præter illud vnum addens quod iure in tormentis non potuerat tacere, resciisse nimirum, Greenuuayo confessionis secretæ data fide, coniurationem paulò antequam vulgaretur.

Postquam fanda nefanda quæcumque in mentem, aut buccam venerant debacchatus est in causa & extra causam actor, tandem tandem absoluit cohortatione ad adstantes, vt sibi à tota Iesuitarum cauerent natione. Nam quæ vllam omnino vllisve in casibus Ro. Pontifici potestatem eorum Theologia

logia arrogaret, ad coercendos anathematis Principes, iniurioſam eſſe Regibus, & pernicioſam eorum Regnis, & ditionibus. Ieſuitis vero ſuppares eſſe Papiſtas Sacerdotes, quorum tranſmarina inauguratio, & doctrina, peſtilenti contagio incautos corrumperet Anglorum animos quibuſcum verſarentur; & hanc peſtem proflantes vagari paſſim toto Regno facile quadringentos, qui quadringentos Achabi Regis Pſeudoprophetas, non in ſcena, ſed verè agerent, de quibus Micheæ minatus fuerat cacodæmon, *ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Dicendi finem fecerat Cookeus, cum verſis omnium oculis in Garnetum nobilique ſuſpenſis, & curioſa expectatione quam plenè tùm cauſæ ſatis eſſet rationibus futurus, tùm ſua ſibi ipſi virtute; proclinatione corporis reuerenti, tribunalis auguſti conſeſſum clariſſimum ſalutauit. Hinc dicere aggreſſus, videri ait domini Attornati (muneris nomen eſt quod exercebat Cookeus) actionem omnem poſſe ad quatuor referri capita, pro varietate argumenti eodem numero ab ipſo, vtcumqce pertractati. Nempe ad doctrinam; ad Recuſantes Catholicos; ad Religioſos Societatis IESV, præſertim aliquos; ad ſe demum priuatim, & propriè, ductoque initio à primo capite, ſubinde ad duo alia deſcendit, exponendo, elucidando, conuincendo, vt erat neceſſe rebus malè perceptis, malè præſumptis opinionibus, malè fraudulenterque probatis occurri; obiectis ſigillatim ea diſtinctione, ordine, perſpicuitate ſatisfecit, tanto præterea animi robore, & rationum, vt quamdiu dixit tacitam omnium promeritus ſit approbationem quæ in fronte auditorij totius nedum Catholicorum legebatur, interdum ex ore ſubmiſſe prodibat; multo tamen fuit admirabilior agentis modeſtia, lenitas, & tolerantia, amiciſſimis etiam ſuorum nimia: mentis & vultus eadem tunc, quæ poſt iniquiſſimè damnati; & ignominiosè morientis. Nec fuêre Londini fructu caſſa vt poſt narrabitur, earum virtutum exempla. Optaſſent quidem illum Catholici agere interdum viuacius, & Cæcilium arrogantius tumentem audentius quoque, vt facere poterat, humiliuſque deprimere; culpabantque illum virtute nimia, demiſſione ſui, & aliorum reuerentia peccaſſe. Verum vt eſſet ſuaptè natura moderatiſſimus, animæque tranquillum in modùm optimè temperatæ, ſed enim tam crudis occaſionibus, agitatum, & extimulatum, nihil irarum, nihil vnquam indignationis, aut turbati animi prætuliſſe, non potuit niſi ex delectu confirmatæ vſu pietatis & deliberatæ virtutis proficiſci. Parati erant aduerſus Garnetum non Crookeus modo; Attornatus Cookeus, & ſummus Iuris prætor, quorum erat ex officio dicere; ſed iidem illi Conſiliarij Regis quinque, & Comites, qui extra Ordinem iuſſi erant à Rege huic iudicio intereſſe, vt peculiarem illi orbe toto æquitatis ſummæ famam colligerent quinque Regni primaria capita qui iuris vtrimque ſuis ponderibus lancem iuſtè integrèque libraſſent. Quod Cæcilius magna pompa verborum extulit, fuerunt tamen alioqui re vera totidem extra fori vſum conſtituti magis reo aduerſarij, & accuſatores, quam iuris fautores, cuius inuiolati, & ineluctabilis illuſtrem gloriam, videbantur ab exteris captare. Mox enim alij aduerſus Garnetum arenam

iniere, interrogatis armati, extra rem; ad hoc solum quæsitis, vt eum facerent odiosum; libris alij instructi quorum perplexa explicatione illum fatigarent, catilinariis alij verbosis, quas recitarent, qualis fuit comitis Northamptoni, sui quidem parte non minima Garnetum, sed potissima Romanum Pontificem tam execrabiliter prolixè, ac dire lacerans vt edita librum conflaret integrum. Hic sub Elizabetha Catholicus, ab Iacobo Rege creatus Northamptoni Comes, Philippicam hanc pro Eucharistico elucubrauit, recitauit, in typos misit, in qua magis flaccidus adulator quàm verè Theologus; nec Protestantibus placuit, Catholicis autem eo displicuit, quod hæreticum minimè professus, partes hæretici ageret. Hos Regni & publici Archiadministros audiebat silens, placidèque Garnetus; at illi vrgere ad defensionem, Iudex, Attornatus, Consiliarij, interpellare alius incipientem respondere; traducere alius in alienum argumentum; dimidiare alius responsa ne purgationem absolueret, tam continuata, & iniuriosa molestia, vt si minus fuit, visa sit tamen condicto consita, ad confundendum eius ingenium, & defensiones eius eneruandas; in quo Cæcilius ardentius, videri volebat non abs re id agere, nec enim, aiebat, nisi comminuta posse quæ proponerentur intelligi, lacessendo interrogationibus crebris, & dubiis, quibus explicandis foras erumperet quod intus latebat, eòque is venit vt moneretur à Collegiis, hoc vero nihil esse quam reum opprimere. Pergenti nihilominus nouis quæstionibus Garnetum quatere, mandauit Rex tandem absisteret, & defendendi sui facultatem Garneto relinqueret. Inter alia porro quibus interrogandis lacessebat Garnetum hoc erat imprimis, possetne, Papa, Regem communione fidelium priuare? Cui Garnetus Christi Vicario potestatem excommunicandi respondit negari non posse. At is malitiosum vrgens vaframentum, non eius responso noui aliquid cognituros, quod in Examine disertè iam ex eo audierat, sed inuidiam illi consciturus apud audientes. Interrogo ego te, inquit, an possit casus incidere, quo fas sit Papæ subiectos Regi Magnæ Britanniæ Iacobo, iuratæ fidei soluere Sacramento, & ab illa quam debent Regi suo, & domino præstanda obedientia prohibere? Cui Garnetus sapientissimè sic pro veritate satisfecit, vt ad Regis qui eum audiebat, indiuiduam personam haudquaquam descenderet. De hoc, ait, quæsito plenius alias vobis satisfeci, auctoritate & doctrina capitis, *nos sanctorum* 15. quæst. 6. quod & nunc profero, ipsum pro me loquatur, ego verbis eius vobis respondeo; & hoc vnum volebat, & præstolabatur Cæcilius; manum enim mox paratis admouens, Decretorum protulit volumen, legit clara voce, & lingua patria, caput *nos sanctorum*, adiecit, & margines qui textum explanant, eiusque angustam euoluunt breuitatem, vt circum adstantem doceret populum de peruerso, vt vocabat Iesuitarum in Regem animo, & pestilentia doctrinæ qua Anglos Papistas venænarent. Nec enim aut vnquam (quod de suo deduxit) fidos Regi esse hos posse, qui essent pro Papæ arbitrio ad eiurandam Regi obedientiam accincti; Iesuitas palam esse tranquillitatis publicæ inimicos, offensionum fatores, magistros rebellionis discessionum, & proditionis.

ditionis. Ad hoc vt auctor commissæ Catesbyo coniurationis Garnetus liquido haberetur, sat esse arbitratus quod hostilem in Regem animum, promptumque ad eum prodendum nihil dissimulasset. Hæc Cæcilius extra propositum extraque omnem consequentium rationem, haud tamen sic aptè ad populum, vel adulationis amatorem, vel ignarum, vt non & sannas ab aliis irrisus referret, infaustas ab aliis imprecationes vtrumque in probrum innocentis. Iam quibus, quam acribus validisque defensionibus CooKeum ignorantiæ, falsique reuicerit Garnetus, in tribus illis quæ significaram primis capitibus, de Doctrina, de Recusantibus & Societate IESV, longiùs foret, nec necessarium referre, vrget enim grauiùs vltimum de CooKeo ipso, actaque per eum causa ista caput, nunquam satis comperta, & ne à Catholicis quidem integrè comprehensa in qua non debeo quæ debacchatus est CooKeus eiusque Collegæ, ita insectari, vt non multo accuratius à nobis peiora defendam, quæ per annos septem consequentes scriptores hæretici promulgarunt, dum succidaneo subinde succursu contendunt iudicij huius fulcire lapsam famam, & (clarius loquar) Iniustitiæ patrocinari, atque Iniuriæ, suum partim negotium callidè acturi, partim aucupaturi gratiam apud Regem qui iudicij huius æquitati honorem suum quadammodo sua præsentia obligasset. Agam nihilominus, euidentique (audeo dicere) patefaciam demonstratione Garnetum, neque confitentem, sed neque conuictum, fuisse illo damnatum iudicio, illud excipio læsæ maiestatis quod Sacerdoti Catholico tunc imputabatur, si foret in sacri muneris exercitio deprehensus, quo rationibus diuinis & conueniebat, & iure debebatur, sed noluere Iudices ob similem causam *videri damnatum*. Hoc ergo imprimis videndum.

P. Henrici Garneti defensio Iuridica. Nec ore confessus, nec scripto; nec testibus, nec factis conuictus damnatur. Perpetua in dictis aduersariorum pugnantia. Veræ & fictæ damnationis eius causæ. Hinc fides cuiusmodi huic, & actis causæ debeatur ex P. Ioanne Oglebyo. Damnatur ad supplicium læsæ maiestatis, & reducitur in Turrim.

CAPVT XII.

MAIESTATIS reum multis nominibus constituebant Garnetum leges sub Elizabetha, & Iacobo à Parlamentis latæ, natione Anglus, extra Regnum Sacerdos creatus fuerat auctoritate Ro. Pontificis: reuectus in Angliam ministerio suo incubuerat per annos viginti sacris operando, aures confitentibus præbendo, reuocando hæreticos ingenti numero ad Catholicam vnitatem, & gratiam, hoc est ab Regis imperio Anglicanæ Ecclesiæ supremi capitis subducendo; scriptis clam, editisque libris docendo, non posse conscientiæ iure, & Religione salua Protestantium adiri cœtus; postremo vltimam Roberti Catesbyj coniurationem, confessione Greenuuayj cognitam vltra horas lege præscriptas occultando. His ille totidem criminum titulis reus tunc erat in Anglia infamis supplicij, quod proditoribus & Rebellibus debebatur. Hos illi scelerum titulos obiecit Cookeus, hos, & Cæcilius, vterque obiter, vim certè in iis vllam neuter fecit: iam si eius morte nihil præterea quærebatur, nisi vt satisfaceret legibus qualescumque tandem eæ essent, quo causæ illius tanto præter morem apparatu, fragore, & pompa institutio, agitatio, & latratus, horarum octo solidarum? Cùm posset duabus absolui syllabis nempe *Reus*, quod vltro erat responsurus Garnetus, si foret ex eo quæsitum, an se illorum, quæ censui, reum cognosceret, vltro inquam, & sine cunctatione respondisset. At enim quod illa criminum nomina in eius causam nequaquam subierint, & ne vlla quidem in eius ad mortem condemnatione illorum mentio facta sit, sed eorum dumtaxat, quæ semper negauit fortiter, quæ nullis vnquam probationibus asseri potuerunt, & facta non facta, pro legitimè probatis haberi valuerunt, hoc nimirum latebat sacrilegum in iudicio illo mysterium, volebant reum eius culpæ

culpæ mori, quæ esset rei Catholicæ maximè infamis ; quod Religionis sanctæ probrum, aliunde non poterant accersere turpius, quam ex illa Garneti condemnatione, quem si ob alias, quas enumeraui damnassent, causas, sua illa scelesta ignominiæ inurendæ voluntate frustrarentur, foretque mors illa Garneto, & Ecclesiæ glorioſa, illaque imprimis qua coniurationis notitiam confessionis arcano inuiolabili cælasset. Neruum igitur omnem dexteritas impia, viresque exeruit, vt patibulo addici videretur tanquam particeps coniurationis (haud quidem agnitæ per confessionem Christianam, nam & fore hoc ipsi honorificum sentiebant) & quo nihil poterant grauius, & inuidiosius comminisci, eiusdem inuentor, moderatorque consiliorum Catesbyj. Hanc in mentem cum se induissent sanguinolentam, & plusquam barbaram, rati sibi accusationes pro certis probationibus futuras, fraudes pro rationibus; quàm longè à mente, proposito impio aberrarint, post paulùm videbimus. Cur autem molitionibus vsque adeò væsanis sategerint, vt Garneto coniuratio attribueretur tanquam eius conscio, socio & auctori, ob eamque damnatus existimaretur ; hæc fuit ratio. Tam portentosæ crudelitatis consilium, & belluinæ feritatis, quo Regni totius repentina versabatur strages, nobilitatis flos, & sapientiæ, amici iuxta & aduersarij ; Catholici cum Protestantibus, Rex ipse ac Principes filij, promiscuè omnes efferebantur eodem funere, hoc, inquam consilium infamaturum erat apud omnes Religionem Catholicam, & propudioso stigmate inusturum, cum rei Catholicæ studio eò sceleris venissent coniurati, quod ne vllam haberent excusationem in hominibus laïcis, indoctis, pietate motis præcipiti, direptione proritatis ; totius propterea culpam, & pondus facinoris Iesuitarum hostes in Iesuitas contulere ; quorum doctrina, maturitas, decernendi, & suadendi frigus nullam admitteret excusationem ; & quorum opera & labor, vt falso credebant, fidem Catholicam toto Regno illorum concussam impressionibus per se sustentaret. Denique in Garnetum qui omnes ideò se vno repræsentaret Iesuitas, quod annos octodecim, *Prouincialis* vt putant, iis præfuisset, vt monstrosè alij & ineptè scribunt *Papalis*. Ex his facilè Garneti causa in Religionis traducta causam, idque Comes Salisburiensis Cæcilius, ex ipso in quo sedebat tribunali, Deo prudentiam hominis excæcante contestatus est Garneto ipsi, affirmans quod eius interpres, & adulator Abbotius memoriæ prodidit, haudquaquam fuisse alioqui tam augustum theatrum datum homulo nihil, qualis erat Garnetus, vt cui locus infimus, & ritus iudicij vulgaris deberetur. Sed quod tanto peractum spendore, tanto virorum sublimium consessu, Rege tanto sua præsentia dignante, *Causæ ipsi datum esse, datum honori Regio, & Religioni, & vt suus honor esset veræ fidei.* (Hoc est Caluinismo) *postquam in luce ista clarissima viderent omnes: Religio Romano Iesuitica, quanta cum scelerum immanitate, & perfidia coniuncta sit.* Quibus adiecit Cæcilius, quod ab vno ex auditoribus habemus semel & iterum ab eo repetitum Romæ Cardinalium nemini quantauis in causa iudicando, tam illustrem consessum datum iri, vt datus fuerat Garneto. Quid autem hominis Garnetus? Cuius causa

tot viris tantæ dignitatis, labor, negotium tædium crearetur? Sed quod nulli eius dabatur merito, id esse patriæ pietati, id Religioni datum, ratione consequentium ex iudicata eius causa. Quanto enim in luce clarior discutiebatur, tanto apertius, ait vertens se ad Garnetum, vestra patebant flagitia, & in his errores Religionis Papisticæ, à qua merito abiudicabatur auctoritas iustitiæ, & sanctitatis, quam illi falso tribuitis, iure autem Euangelio nostro reddebatur, quod nihil habet cum doctrinæ vestræ pestilentia commune, & monstrositate vestrorum scelerum. Hæc ad Garnetum Cæcilius, qui doctrinæ nomine sigillum, intelligi voluit confessionis sacræ, mortalium nemini referandum, (confessionem enim Lutherani, & Caluinistæ ex Sacramentorum numero excludunt, nec nisi secum ipsi, & in genere confitentur.) Monstrositate scelerum indicauit coniurationes aduersus Principes, & Regna conscientiæ nomine susceptas, quasi à nobis probarentur, & non potius damnarentur tanquam nefariæ; ab his vero se (faxit Deus) esse ita immunes, vt mente & manibus essent in hoc genere casti, & integri; quæ ille dum diceret, toties semel mentitus est, quoties Protestantes suos nosse debuit in Mariæ caput Catholicæ post Eduardum Reginæ Angliæ, Religionis causa coniurasse, quot enim exhausit annis Regni quinque (si probè recensuit qui sigillatim illas numerato scripsit) fuêre multo plures, quam quibus Elizabetha eius soror pulsata est annos quatuor supra quadraginta. Tandem ipsi Garneto fuit ita perspectum, velle Regem eiusque Consiliarios damnatione sua Catholicos omnes, & Religionem Catholicam damnare, vt scribens ad Sacerdotem pariter fidei nomine carcere detentum, nulla me, inquit, innocentia absoluet, quo minus reus pronuntier. Obstat enim hoc mihi Caïphæ, *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo*; quam vocem in acta relatam iuridica, horrere se magnis clamoribus finxere Protestantes, velut impij hominis, & execrabilis, arrogantis sibi quæ conueniebant Christo soli; auertêre si quidem oculos à sensu Caiphæ, quo in illos verè ac bellè quadrabant, & malebant ad sensum attendere loquentis per suum Sacerdotem, non percipientem quid diceret. Huic persimilis Comes maris Præfectus, ex quinario illo vnus quos iudicio Garneti Rex voluerat interesse, Reum enim Iurati duodecim cùm pronuntiassent, & mortis sententiam Prætor Iuris Popamus in eum intorsisset. Hodie, intulit Comes ille, plus illa in scena patriæ contulit Garnetus, quàm annis viginti quibus in Anglia concionatus est, depressione videlicet, nam hoc innuebat, Religionis Catholicæ quam ex eius morte ignominiosa, referebant triumphantes Caluinistæ. Verum enim vero in serium & indubitatum sensum, Deus verba ludentis, magnificè conuertit; pretiosa enim Garneti morte, plus rei Catholicæ ac Religioni accessit incrementi, quam viginti annorum exantlatis pro ea laboribus.

Posita igitur illa quam diximus aduersariorum sacrilega mente ac perfidiosa; erat culpa Garneti, sic in liquido ponenda, statuendaque in tanta luce, vt de legitima ipsius condemnatione non posset ambigi; ad hoc, opus alterutro cum esset, vel vt confitens reus, vel vt conuictus probaretur; via

vtraque

vtraque procedere, ſecurius viſum eſt. Ac priori quidem quæ ſimplicior eſt, incredibile omnino contraque omnem videretur fidem, aduerſarios vti auſos, & confeſſum affirmaſſe Garnetum, niſi hoc ipſum impudentiſſimè in typos datum proſtituiſſent omnium oculis; Garnetum inquam toties negantem, toties iuratum, nec in turris ſolum obſcuro & carcere, ſed in auguſto illo quod celebrauit Cæcilius procerum omnium tribunali, pro quo cauſam dixit; deinde in illo decem millibus teſtium circumſepto iuſtitiæ theatro, Sublata voce negantem pernegantem, iuratò toties, tam diſertè profeſſum in illa coniuratione, ſe neque conſcij, nec ſocij, multo minus auctoris partem vel minimam habuiſſe, nec reſciſſe de illa quicquam niſi quod ſeriùs confeſſionis arcano ſignatum accepiſſet, Garnetum inquam, confeſſioni ſceleris falſo ſibi impoſiti tam fortiter,, perſeueranterque reluctantem fuiſſe nihilo cunctantius, à ſanctiſſimis illis, & integerrimis aduerſariis confeſſi ſceleris nomine traductum, & ſpontanea declaratione coniurationis ſocium, conſcium, auctorem *ore proprio manuque confeſſum.* De quo hic primum iuuat illum audire, qui editiori ex loco & eminentiſſima regni ſede auditus eſt, etſi nomen ſuum occultum voluerit. *Vt vt omni*, ait, *ratione ſe purgare laboret* (Pontifex) *quo minus eius adminiculis fulta illa coniuratio fuiſſe videatur, tamen negare non poteſt, primarios eius in hoc regno Adminiſtros, & præcipua mancipia, Ieſuitas, ipſiſſimos illius auctores, deſignatoreſque fuiſſe*, quo etiam crimine is qui Princeps fuit cohortis, (hoc eſt iis qui præerat Garnetus) *mortuus eſt in confeſſime facinoris, alios conſcientia egit in fugam.* Hæc calumniator prærogatiuo iure nobilis inter ſummos; cui Bellarminus Cardinalis, Reſpondeo inquit, *tam multa hic mendacia, ſine vllo teſtimonio, vel probatione congeri, vt neceſſe ſit auctorem apologiæ, omnem omnino pudorem, & conſcientiam exuiſſe*, dein purgato ad purum ab omni ſuſpicionis vmbra Pontifice, *pergit dicere Garnetum Rege audiente in longo iudicio ſemper profeſſum, neque ſe, neque ſuos, auctores, conſultores, complices, conſcios fuiſſe. Ex quo tractatum illum in confeſſione audiſſet, dediſſe operam vt deſiſterent. Idque in iudicio inſtante morte, audiente populo teſtatum. Atque vt fidem Catholicam profeſſus eſt, & hæreſim Anglicanam liberrimè deteſtatus, ita eadem libertate, negauit ſe auctorem aut complicem, aut conſultorem, aut vllo modo conſentientem ſceleris fuiſſe Et tamen auctor audet dicere, mortuum eſſe in confeſſione facinoris, cum dicere debuiſſet in abnegatione & deteſtatione.* Hæc ille offenſus mentiendi libidine tam effræni, vt ſuo etiam cum aperto falſitatis notæ dedecore, notam apertamque veritatem fruſtra ſtuderent opprimere. Hoc vero quam rectè, conueniat homini, aut vnquam liceat, famæ ſuæ curam vel mediocrem gerenti, viderint ſanè quibus fama ſua pro Deo eſt. Quantum enim ſpectat ad conſcientiam facilè dederim, ſectarum ſuarum propugnatoribus hæreticis, veri ſtudium flocci eſſe. Vt enim merè politici, omnia vtili metiuntur, & ex eo fas nefas, æqualiter probant & æſtimant, ſi æqualiter conferat ad vtilitatem; ſic illis primum eſt Euangelij quinti dogma; mendacio vti velut æquo & licito; fallere, & vera in falſi ſpeciem transformare, modo faciat in ſectæ gloriam, & depreſſionem Ca-

tholici nominis. Parum fuit peruersis Garneti accusatoribus mentiri, eum *ore proprio confessum*, in partem veniſſe coniurationis, niſi mentirentur, etiam *manu propria* confeſſum. Verba ſunt fœtidi illius apud Regem aſſentatoris Caſauboni; ſunt & Cookei, & quidem vt in actis leguntur extra dubium habenda, *Meridiano*, inquit, *ſole clarius eſſe Garnetum fuiſſe auctorem, & Architectum coniurationis, idque ex eius confeſſione quam præ manibus habemus.* Deo laus, ſic enim certiori oculorum iudicio profligabitur quæſtio, vox enim prolata moritur, viuit ſemper ſcripta, & ad oculos loquitur. Iam ſi reus tenetur coniurationis, manus propriæ confeſſione Garnetus, vbinam illa confeſſio? Noſtris, reſpondet Cookeus in manibus. At cur eam non profert? Cur horas ſex per deuia omnia exerrat, & temerè, & fruſtra, vt fumum aliquem odoretur coniurationis ab Garneto motæ? Nec ſuam illi ſi habebat confeſſionem ob oculos ponit? Garnetum audit pernegantem, eſtque adeò ſui, & omnium oblitus, vt confeſſionem illi ſuam nuſquam obiiciat, qua illum eſſet tum criminis, tum mendacij probrosè conuicturus. Sed nec illi vnquam obiecta eſt, nec vnquam exiuit ex Cookei manibus, nec cum nuſquam eſſet, exire potuit; ſcribere tamen poſtea auſus eſt ſe illam habere. Ad hæc Regem cum circumſteterint tam multi, quorum vnus ſe iactat omnes ad cauſam hanc ſpectantes tabulas fuiſſe ſibi à Rege creditas; abſque numero alij cum typos fatigarint, vt reum coniurationis inculcarent Garnetum, cur breui ſaltem folij vnius anguſto confeſſionem ponere omiſerunt? Habetur, inquiunt, & totum ſola negotium conficit. Cur ſola omittitur? Cur decumanus negligitur, & iacet arietis impetus, feſtucæ ad impugnationem adhibentur. Inuitatus eſt legatus Hiſpaniæ inuerecundè magis quàm comiter ad duodetriceſimum Martij, dictum poſtremo Garneti iudicio vt confeſſionem eius audiret ſpontaneam quæ eſſet in os illi exhibenda, velut architecto coniurationis. Perducitur ad finem iudicium, de confeſſione illa ne verbum quidem. Quærit legatus, vtrum haberetur? reſponſum legato, haberi omnino, promiſſumque vt illam videret die proximè ſequenti, at is neque illo, nec aliis vnquam diebus illam vidit. Audiemus Garnetum inſerto iam in laqueum collo, conteſtantem Deum & homines, coniurationis fuiſſe ſe penitus inſcium, niſi eius ſolum quod ex confeſſione ſacra cognouiſſet; obiurganti vero Miniſtro vt ſileret, cartam alioqui confeſſionis eius, conteſtationi illi contrariam, opprobaturum ſe illi in faciem; vrſiſſe plurimum Garnetum, id ageret, illam produceret, exhiberet, exhibiturum certè quod nunquam ſcripſiſſet, & hoc ſecundo & tertio iteraſſe. At hic falſarum intentator minarum huc illuc ſe torquens, finxit tandem ſe cartam illam quam minabatur prolaturus, conſignaſſe vniuſpiam manibus qui nunquam inuentus eſt. Fuit hæc illius temporis Miniſtrorum agendi ſinceritas; fuit & fides quam acta præſtabant, quibus inſcriptum legebatur quicquid lubitum iis foret in ea referri. Et poſt hæc piaculo nobis vertunt quod non ſimus adeo ſtolidi, adeoque in bruta degeneres, vt fidem iis actis, nempe quia acta ſunt, ſacroſanctis, fidem inquam indubitatam præbeamus.

Ego

Ego vero nolim contra illa pugnare nisi assertores, & vindices, ipsimet contra illa, & secum ipsi pugnent, quo argumento nullum suggerit breuius nata & scripta lex, ad mendacem validè reuincendum. En ergo illum ante omnes insolentissimum confessionis Garneti commemoratorem Abbotium, certissimæ, insuperabilis, indubitabilis, quia propria manu scriptæ; illum, inquam, mens sana, & memoria sic prorsus deseruit, vt oblitus sit, se libro eodem scripsisse Garnetum Regis clementia malè vsum, qui torqueri eum vetuerat, *Certum habuisse pertinacissimè negare omnia, & formalibus fabulis, mendaciis, periuriis impudentissimè occultare.* Hoccine vero est *ore proprio & manu propria confiteri*? Popamus iuris Prætor in eius solenni iudicio, ipsummet alloquens. Ex eo, inquit, quod tu Catesbyo fueris tam intimè amicus, facile induco animum vt putem te illi coniurationis primas inspirasse cogitationes, negauit Garnetus liberè, & apertè. Hoccine est *ore proprio, & manu propria* fuisse *confessum.* Pronuntiat Comes Salisburiensis Cæcilius, *videri sibi certum quemadmodum occultatorem se fassus est, ita futurum vt se authorem fateretur si torqueretur.* Non igitur fassus; dicitur tamen hoc ore proprio, & manu propria confiteri. At si erat coniectionibus agendum æquis, & forensi iure vsitatis, cur non potius ita Cæcilius? Si Garnetus in carcere dum se putat solum cum Oldcorneo sine arbitris loqui, Oldcorneo credidit quod confessionis secreto de conspiratione cognouerat; alia profecto, si quæ forent fuisse illi crediturum, aut indicaturum saltem vel obscurè. Secessuros demum post excussam causam Iuratos duodecim ad consulendum, essetne reus, en verbis quibus acta ferunt affatum illos fuisse Garnetum, vt iustam de se sententiam dicerent. *Quæ vel affirmasset vel negasset; vereciter affirmari vel negari, secum reputarent. Quorum autem nulla satis lucida, & ob oculos posita constaret ratio, iis haud temerè fidem adhiberent; neue ex coniecturis aliunde temerè petitis eum condemnarent.* Quæ vel omnia fuerint, vel pauca ipsius monita, potuitne quis nisi cerebro motus ab iis petere, ne se parum certis, & temerariis damnarent coniecturis, si iam esset *ore proprio, & manu propria* confessus?

Haudquaquam vero sic videndi vsum iis ademerat vel cogitata diu malignitas, vel inconsiderata imperitia quin probè cernerent Garneti condemnationem, tot licet æqui fucatam coloribus, habitum iri nihilominus pro iniqua. Nam quod Regem celarat de proditione, confessionis sigillo sibi datum, Catholico nomini, quod infamare statuerant, futurum erat gloriosius, quàm vt sustinerent inter causas mortis numerari; arte noua sed æquè infelici, subiicere mortuum, nouis examinibus voluere, & cofessionibus tacenti quidem tunc attributis, sed mente fatidica præceptis, iure damnatum ostendere. Nam & *Hunc etiam*, scribit auctor insignis, *Anglicani iudicij morem didicimus, vt ante damnetur, tùm interrogetur reus.* Difflauit, esto, vno spiritu Garnetus moriens vniuersas accusationes, postrema illa innocentiæ suæ contestatione, & falsitatis obiectarum sibi scripturarum; relegunt tamen illas haud secus vt adhuc superstitis, & pro summis conuicti criminis probationibus venditant; earum ex schediis alij contexunt li-

teras quas aiunt ab ipso exaratas; his alij literis suos passim libros interstingunt vt faciant vendibiliores; scriptas quidam notant diebus quindecim postquam esset damnatus, & inducunt illum pueriliter, & vltro confitentem, quod ter, & vigesies pernegarat. Lancilotto Andrei debetur prima laus istiusmodi literarum, cui propterea quem laudaui scriptor, *Est tua quædam,* inquit, *in regno, mendaciorum diuina vis, vt voces ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Harum epistolarum profertur vna, *Ad dilectissimos Patres, & Fratres Societatis* IESV (Et nulli erant fratres) qua suam excusans in confessione ignorantiam mentis, & debilitatem animi, *Quod si non ita sensissem,* inquit, *colligere me oportuisset sensus meos ad aliam formalem fabulam excogitandam,* quibus verbis nihil fingi aptius potuit ad stoliditatem inuentoris, nihil alienius ab ingenio Garneti sinceritatis potius prodigo quam parco. Inducunt ibidem, iactantem fuisse sui ingenij commentum, seu *fabulam formalem,* hoc est mendacium quo ab examinatoribus se expedierat, professus ad se non aliter quæ nosset de coniuratione quàm per confessionem peruenisse; *Fuit,* enim inquit, *aliunde mihi petenda origo cognitionis meæ; à conspiratoribus laïcis non poteram, quod sæpè illis dicto, scripto, sanctè protestatus essem, me illos non proditurum vnquam.* Hinc ergo sequitur præter Catesbyum cum duodecim coniuratis consilia habuisse communia. Sed vociferantur in oppositum *Cookæus, Casaubonus, & Abbotius, Garnetum de vniuerso negotio cum vnico ferè duntaxat Catesbyo solitum fuisse communicare, cæterorum conscientiam sollicitè refugientem.*

De Catesbyo videro; nunc & acta & vindices actorum cum asserant nunquam ausum Garnetum cum aliquo ex coniuratis de coniuratione aliquid mutire; quo pacto illis iuratus promiserat inuiolabile secretum, componendis profecto inter se quæ magna copia in Garnetum sunt scripta, videre videor auctorum capita, vertiginis spiritu circumacta, qui dum mouentur soli, putant omnia circumuerti, & hoc potissimum hæreticorum est. Hinc iam non est ratiocinari, sed cespitare assiduè ac memoria labi, prauitate affectus, ita sibi animum vendicante, vt quod vna negatum est pagina, altera affirmetur. Audiemus post paulum affirmantes, fuisse à Garneto nobiles illos seorsum singulos coniuratione implicitos. Post paulum alibi edoctos lethalem ictum suis mendaciis exire; vnde igitur nemo illorum nobilium id contestatus sit dum subiaceret examini? Audiemus respondentes fuisse hanc in omnes euentus Garneti cautionem vafram & prouidam, vt secreti totius primarium cardinem præterquam Catesbyo crederet nemini.

Altera quadam styli consimilis manusque epistola inducunt illum apud Annam Vaux, Baronis materteram (præstantissimam, illorum ingratiis, matronam) inducunt, inquam, pariter excusantem, quod examinibus impar viginti tribus non potuisset non fateri, se coniurationis aut socium aut machinatorem. Nam *quid post tot euidentias* facere potuissem? Hæc nempe sint Garneti verba? qui disertè ac publicè contraria omnia testatus Cookei imputationes vocauit *temerarias coniecturas*, ad sui damnationem inutiles; cuius ergo nunc manu aut lingua hic euidentiæ vocantur, & qui se pro tribunalibus

bunalibus professus est innocentem, hic se asserit confessum proditorem. Neque hoc tantum, quod tamen tanti est, contentus Abbotius, Doctore se tanto indignum putauit si post alios vltimo loco scribens, nihil iis adderet; addidit igitur de suo epistolam quæ vbi sit, ad quem, qua de re ignoratur; verum vbicumque vel nusquam, vel de re quacumque, & ad quemcumque scripta, Garnetum facit primum proditionis artificem sic enim Abbotius, *Extant alicubi, vtinam mihi hoc tempore, non per infortunium desideratæ, Catesbyj literæ, scriptæ ad spiritualem Patrem suum (quem vero esse illum intelligas nisi Garnetum? (Quibus gratias illi agit de tanto sibi commisso arcano, & immortali officio se ei deuinctum profitetur quod tantam ipsi fidem habuerit.* Beata tempora! si possemus ea designare, quibus nobiles viri, suas literas inscribebant *Patri meo spirituali*, alio quouis & nomine, & indice omisso. At si spiritualis Pater, idem erat, & confessarius, confessarius certè Catesbyj, Tesmundus erat non Garnetus, nec eum latere id poterat qui responsa Iudicibus à Batesio legerat Catesbyj seruo. Iam quod spectat arcanum illud grande; necesse est dicere, fuisse Abbotium diuini apud superos meriti, qui mutum ab ortu, loquendi vsu donauerit, quale est Arcanum, quod ne syllabam quidem in ore habet, qua latentem animum exponat, audiit tamen illud Abbotius, & ex eo, loquente scilicet, cognouit totum se negotium coniurationis integrè complecti. Et hæc quidem de priori parte fueritne Garnetus confessione oris proprij, & manus propriæ liquido conuictus. Sequitur alterum vt palam faciam, nec testium vocibus, nec euidentia factorum fuisse ab Iudicibus damnatum. De testimoniis aduersarij nubem formant cuius densitate, præfocatum ferunt mersumque Garnetum. Quot porro & quanti fuerint ij testes ex quibus nubes coaluit; si quæras? *Proditores* inquiunt *ferè omnes*, ij nempe imprimis coniurati, cum quibus audiuimus paulo ante Cookeum, Casaubonum & Abbotium affirmantes, *certo certius* Garnetum cauisse perpetuo ne quis sibi flatus apud illos de coniuratione excideret. Secundo iidem coniurati quorum prius in actis testimonia legebantur quam auditus esset cum Oldcorneo Garnetus in carcere colloqui. Fassus est tamen haud raro Cæcilius nec à coniuratis, neque aliunde, ante id temporis aut testimonium aut indicium emersisse, ex quo posset iuridicè in Garnetum agi. Estque hic oppido spectabilis admirabilitas, improuidi, & obliuioſi mendaciorum suorum impugnatoris Abbotij, qui Cæcilio adhærens impotenter, idem confitetur. *De Garneto*, ait, *non ita liquido constitisse, vt ad formulam iuris institui probatio posset.* Tertio iidem illi coniurati, qui solenni iudicio damnandi, testificati sunt frequentissimo illi tribunali, & populo, Societatis Patres esse ab illa ipsorum causa penitus insontes. Suo loco rem superius narraui. Coniurationem fassi erant confessionem illam suam ab iis agnosci & haberi ratam in iudicio oportebat, sed hanc instructor accusationis fraudulentus multis aduersus Patres miscuerat, vt dum se ex illa esse affirmarent verè reos, eadem opera veram testarentur vniuersam accusationem, quæ illis dum prælegeretur, fraude animadnersa conclamarunt *non rei*. Quæ fori eius formula est arguens falsi ac-

cusationem. Quod iudicibus accidit valde mirum, Guidonis præsertim Fauuxesij causa, quem notissimum erat in flagranti delicto captum; at is criminis sui confessionem secernens ab aliis & agnouit & ratam habuit; quæ contra Patres illi addebantur negauit, & falsi notam propterea accusationi affixit quod item cœteri præstitere, sed cunctis Digbyus nobilis, tum clarius, tum & prolixius, quamuis hoc eius testimonium aduersarij aut negent aut taceant; infelices! quos latuerit fuisse iam Cæcilij sui oraculo promulgatum, haud quidem in gratiam Garneti, sed in Digbyj execrationem. Habeturque id oraculum in actis, quibus contradicere nefas putant. *Qualem,* aiebat, *credibile est Euerardi Digbyj obstinationem pro tribunali habendam esse, qui à Iesuitis omnibus ea remouere crimina, sibi minimè verendum censuit?* Ex aduersariis igitur, (sunt enim illorum superius dicta) habemus testes in Garnetum coniuratos, quibuscum nihil vnquam de coniuratione locutus est; coniuratos ex quibus nihil vnquam exceptum est, quod sat esset ad iuridicam de illo mouendam quæstionem; coniuratos qui palam in publici luce illius, & omnium qui ei suberant innocentiam pro testimonio laudarunt; & hæc testium nubes obruit scilicet Garnetum? An fulminat etiam illorum in capita qui hæc spargunt?

Sed audiendi sunt separatim, breuiter tamen huius nubis testes, suas enim quique inducuntur peculiares, & diuersas proferre accusationes. Treshamus igitur ex coniuratis vnus, interrogatus an crederet Garnetum negotij conscium aduersus Angliam à Thoma Vvintero cum Rege Hispaniæ tractati, Elizabetha adhuc superstite; suspicari se respondit; Ego vero respondeo, nihil hoc ad coniurationem contra Iacobum pertinere; deinde in actis legi perspicuam, & solennem palinodiam Treshami paucis horis quam Dei iudicio sisteretur, scripto contestati, causam sibi fuisse mentiendi socordem, & vilem mortis metum quam se sperabat euasurum, si ex mente Cæcilij responderet; tunc autem se veri quod diceret, pignus dare, animæ suæ damnationem si falleret; adiecitque ibidem ex veris, ne ab annis quidem sedecim Garnetum ab eo conspectum, quos aduersarij, vt grande in eo fabularum mysterium fundarent, ex die volebant numerari, quo hæc loquebatur, cum sint ab eo reapse anno numerandi quo Vvinter moto negotio in Hispaniam transiit. Subintret nunc Batesius famulus, qui post deprehensam coniurationem testatur se Catesbyj domini sui ad Garnetum tulisse epistolam, quod aduersarij pari laude malitiæ, & heberudinis magno strepitu rapiunt in Garnetum, cum adeo nihili testimonium Batesij visum sit, vt ne fuerit quidem in iudicio recitatum. Præterquam quod ipse postea veritus, ne quid sibi foret extortum fallaciter, quo cuipiam noceret, ac leue licet & friuolum, transmutaretur à Cæcilio in grande piaculum aduersus Garnetum, scripto misit ad omnes Catholicos quæcumque dixerat; ideque vulgo per manus edita, cum laude potius Garneti quam vlla eius reprehensione. Demum epistola quam Batesius tulerat, non erat Catesbyj ad Garnetum, sed Digbyj ad vxorem, domi Baronis Vaux, vel inde haud procul habitantem: sed Treshamus & Batesius testes sint leuis armaturæ

maturæ præ Catesbyo, inuentore, artifice, & moderatore coniurationis. Hinc licet vitatis iudicum manibus, aliud exceperit mortis genus; mortuum tamen aduersarij reuocant in hac causa testem; eius animam vnde vnde accitam Samuëlis instar, inducunt lamentabiliter peccata duo lethalia Garneto exprobrantem, quæ nisi verbis ipsorummet conceptis exprimam, nunquam persuasero fuisse ita bardos vt adducerent pro euidentibus aduersus Garnetum, quæ nihil euidens habent præter pugnantiam velificantem innocentiæ Garneti, quam impugnant. Memorant, & verè, tentasse frustra Catesbyum Garneto de coniuratione aliquid aperire: Garnetum illi aures occlusisse, in quo illum criminis accersunt; nam si crimen fuit Catesbyo in ea pergere; multo grauius Garneto velle vt pergeret; voluisse autem nolendo de illa audire, ne cogeretur illam improbare; quod si præstitisset, damnaturum fuisse cœpta Catesbyum. *Poterat autem id non dico si operam dedisset, sed si vel sine opera vlla sua audire rem modo voluisset. Per se ipsum enim stetisse, quo minus speciatim cognosceret, & id quoque recognouit. Cum enim aliquanto post cum Catesbyo ageret, ne in suo illo (quicquid erat) incepto progredi vellet, nisi Pontificis animo prius explorato; mitte vero de Pontifice* (ait Catesbyus) *de illius animo mihi dubium non est, atque adeo tute si audire vis, rem ipsam faxo scias, & eo dicto occepit ei rem totam pandere; ibi vero instare Garnetus ne faceret, non enim adduci posse se vt audiat. Cur vero rem cum posset, tum rescire noluit? Quæ potest reddi ratio, nisi quod noluit intelligere vt bene ageret: voluit nescire quia noluit impedire.* Iam hæc duo inprimis, eodem ex calamo, & aliquot solum disiuncta lineis; noluisse Garnetum aures præbere Catesbyo in negotio couiurationis; & *authori ipsi Catesbyo auctor fuit.* Illud item ex actis, *meridiano sole clarius esse, ipsum fuisse auctorem, & architectum coniurationis*; hæc, inquam, sibi quo pacto consentiunt? quo pacto & illa. Sategisse cum Catesbyo Garnetum, *Ne in suo illo (quicquid erat) incepto progredi vellet*; cum subsequentibus *voluit nescire, quia noluit impedire.* Dehortatur nimirum à pergendo, & culpatur quod noluerit impedire? Dabo par tertium pugnantium inter se propositionum cum necessaria explicatione, si præmisero responsum tacitæ quæstioni; cur dare aurem Catesbyo Garnetus renuit? Quia id tum conscientiæ, tum prudentiæ lege facere vetabatur; habebat enim Aquauiuæ Generalis Præpositi seuerissimum præceptum, quo iubebatur à turbulentis Catholicis eorumque consiliis sese penitus abstinere. Seruamus in tabulario, præcepti eius archetypum, quod & sæpius Garnetus suis Iudicibus, & in vltimo sui iudicio est professus. Qua vero prudentia Garnetus aures Catesbyo commodasset, inops planè futurus excusationis ab rebellione, si qua vel promissis vel cruciatibus extortum Catesbyo fuisset, de illa secum antea egisse. Nam si tantum illi obfuit à Greenuuayo mentem Catesbyj intempestiuè accepisse confessionis sacræ sigillo æternum premendam; quid si secreto solum naturali, quod debet rerum publicarum bono, & vitæ Principum postponi? Ad tertium venio positionum par secum pugnantium, quibus tumet ille paulo pridem citatus à me textus breuissimus. Quod respondisse Catesbyo Garnetum de arce inimica toties diximus, dici non po-

test quot & quam variis, quam absurdis modis acceptum sit ab aduersariis, quos huius absurdi breuitate prolixa omnes comprehendunt; *Quisquis pertractus est in coniurationem, pertractum fuisse hac auctoritate.* Haud quidem malo boni, & veri dicti vsu; sed dum pessimè Garneto attribunt quod totum Catesbyj fuit, qui de suo & ex se illi arci damnosæ, hostili, iure exscindendæ, de qua verè ac sanè responsum fuerat, substituerat Parlamentum, & ad subuertendos socios de illo perineptè, & inconsultissimè interpretatus est. Hoc igitur nempe est *Garnetum non arcani solum conscium, sed* plerisque auctorem fuisse? Iis qui sic argutantur, nolim tantùm deesse oculorum vt non cogitent lectores suarum nugarum interrogaturos illico, quamnam ergo partem in confœderatis coniuratis habuerit Garnetus, quam vero Catesbyus? Nempe is nullam planè, hic autem non partem sed omnia. Aduersariorum hæc bona est fides, & animi candor, eam rebus indere speciem, vt quantumlibet innocens appareat reus. Respondisse ait Garnetum Casaubonus *posse & licere cum sontibus insontes* exsufflari, quæ verba malignè postea sunt vt patet ad explosionem significandam suffossi cuniculi sublime insontes cum sontibus in frusta proiecturi, & cinerem, cuius erat Garnetus omnino ignarus; cum significanda esset impugnatio iusta hostilis arcis de qua Garnetus interrogabatur à Catesbyo, prauæ mentis consilium cælante, meditanteque rectum & sapiens de arce responsum, transferre in aulam Parlamenti, ex qua parricidio immani Regem cum suis excussos in aërem, eius ruina sepeliret. Iam si Catesbyum eiusque fœderatos ad proditionem mouit Garneti responsio, quæro ego id quam rectè sequatur ex eo quod paulo ante dicebamus, Catesbyum dissuadenti Garneto coniurationem, obtrusisse auctoritatem Pontificis, qua sibi censebat tuta conscientia licere, quod constituerat sine scrupulo exequi? Nam *de illius* aiebat, *animo mihi dubium non est.* Somniauit Catesbyus proditionis conceptæ approbatorem se habere Pontificem, fuitque in hoc adeo obfirmatus vt dehortantis ab ea plurimum, Garneti dicta negligeret. Et hunc nihilominus Garnetus ad eam induxerit? Quasi non sit in promptu atque in confesso apud aduersarios, ex malè præcepta Pontificis mente putasse Catesbyum, licere sibi coniurationem biennio prius Elizabetha in viuis adhuc superstite, quàm specie arcis percunctaretur de illa ex Garneto; tradunt iidem aduersarij de Catesbyo, post lecta duo, quæ alias memini diplomata breuia, *conspectis illis fundasse se statim, atque super illis intentiones suas omnes exadificasse.* Et concludunt; *ita omne malum à breuibus.* Ex falsa nimirum, quod ne aduersarij quidem negant argumentatione Catesbyj, & accommodatione ad institutum quod occultabat præpostera. Esto tamen si volunt, fluxeritque *malum* ex breuibus; quid inde in Garnetum?

Obiecit illi Northamptoni Comes confessionem proditorum; qui se aiebant Catesbyo adhæsisse, auctoritate fretos viri doctissimi qua illos Catesbyus conscientiæ securos fecerat, mendacio primum à Ciceſtrensi dictum, *Quisquis pertractus in Coniurationem, hac auctoritate pertractus est.* Perperam item Comes voce vsu est infinita quæ vniuersos significat, aiens

dicuntur

dicuntur confessi coniurati, &c. cum tres solum in actis legantur, Rookuvodius, ex Vvinteris vnus, & Favukesius. Dein nomen illius viri doctissimi expressit nemo quod omnes latuerit. Illud Northamptoni ad Garnetum, *Iam constat ipsissimus eras*, formula fuit forensium omnium in causis Sacerdotum, & Religionis, in quibus ariolabantur, & suas diuinationes edebant pro indubitatis, quod autem coniuratis, Garneti auctoritas nihil addiderit ponderis vt in Catesbyum inclinarent, nullus aptior testis ipsomet Cicestrensi; aut sibi contrarius, secumque pugnans si mentitur; aut si loquitur ex veris, Garneto multum fauens, dum ait, *Admodum cautum fuisse semper, ne intentionem Coniuratorum probari sibi quisquam illorum existimare posset.* Refutatis denique testibus, restat facta vt purgem, quàm leuia, friuola, & transcursu indigna; etsi ea sybillæ foliis ad probandum veraciora duxerint qui pro iudicio citabant, qui vero in libros postea compegit in iis paratragœdiat velut iusto plus euidentibus; & interiectis exclamationibus cœlum miscet, omissis interim aut derisis, & ludibrio habitis Garneti responsionibus cordatis, & modestis. Primum ergo occurrit duorum aut trium è Coniuratorum numero in Belgium transitus; & datæ iis commendatitiæ à Garneto. Verè vtrumque; at si ex literis arguitur notos illi fuisse coniuratos, iam non tredecim, sed centum & sexcenti fuerint coniurati, cum ferè Catholici quotquot ex Anglia transmittebant, vt erat omnibus instat Patris ab eo peterent & acciperent literas ad amicos. Computarem tamen si foret necesse, anno citius & mensibus aliquot nauigasse tres illos in Belgium quàm resciisset quicquam de coniurationis negotio Garnetus. Qui ergo potuit illud promouere? Secundo instantibus Regni Comitiis, in oppido Caughtono, quo conuenerat pars coniuratorum Garnetum constitisse; qui *omnia egit quæ à coniurationis conscio, suasore, & cupidissimo incentore agi par erat.* Quot verba tot edit falsitatis solœcismos Casaubonus Grammaticus. Nam vt sequar singula, Garneti literas habeo, æui anno quinto die Augusti vndetricesimo ad Personium Romam datas, [quibus sibi multum gratulatur quod Dei gratia, turbulentos Catholicorum composuerit animos, animaritque ad perferendam cum patientia Christi crucem, & iugum persecutionis ceruicè immota sustinendum, quod detrectabant, antea nonnulli, & minabantur quæ solet extremis casibus desperatio suadere; in huius beneficij gratiam, peregrinaturum se postridie ad S. Virginem martyrem Vvenefridam, partim ait, vt vires paucillum reficiam; partim vt hospitia deuitem exploratoribus iam nota quibus me consueueram abdere.] Sed non defuêre reduci quibus exciperetur à Catholicis diuersoria multis locis, etiam ad vltimi Caugthoni in Prouincia Vvaruvicensi; vbi ecca tibi diligenter in actis collecta decora coniurati, quæ paulò ante vellicabat solennis circulator. Orauit ante omnia, inquit, & Catholicorum flagitauit preces vt fortunaret Deus *negotium grande*, quod erat proximè exiturum sub initium Parlamenti. Si tamen foret ex vtilitate Ecclesiæ futurum. Quod Garneto votum exprobrauit insultans Cæcilius in postremo absoluendi iudicij consessu, interpretatus *grande negotium*, de

obruendo Rege, Principibus, & Parlamento suffossionis igniariæ ruinis breui eruprurae. Cui modestè Garnetus interpretamentum hoc ipsius, à vero longiùs, & verbis quibus vsus fuerat aberrare, rogasse Catholicos Deo supplicarent pro fœlici euentu negotij ad Catholicam Religionem grauissimi quod erat proximè in Parlamento agitandum, de crudis scilicet legibus quas ab eo ferendas, minitabantur publicè maximè Puritani. Eæ vero si decernerentur, timendum magnoperè, ne Catholici non modo exacerbarentur supra vires, sed proculcata patientia desperationi succumberent. Ibidem pro publico Ecclesiæ bono, illos recitarat antiquos hymni versiculos *Gentem auferte perfidam credentium de finibus, vt Christo laudes debitas persoluamus alacriter.* Poscebat igitur ab sanctis deletionem Parlamenti, & suas iungebat cum opera coniuratorum preces. Fraudulentam criminationem peruersa facit ab suis adiũctis auulsio. Hortabatur Catholicos Garnetus cauerent ab hæresi, quam pronum erat affricari & adhærere, assuetis quotidiano vsu inter hæreticos, hoc vt præuerteret, illos elegerat ad rem idoneos ex hymno SS. omnium qui tunc annuo cultu in Ecclẽsiis cantabatur. Cœterum se semper abhorruisse ab ausis, & votis crudelibus quibus tam multiplex tantorum hominum parricidium petebatur, ex quibus constabat Parlamentum, teste Deo iurauit, tum in causæ suæ iudicio celebri; tum morte instanti, & quidem verbis ea immanitatem criminis detestatione damnantibus, vt vererentur aliqui ex nostris Patribus, ne iis offensi dolerent Catholici & coniuratorum maximè quorundam insontes familiæ; non quod in iis essent qui factum probarent, sed quod hic fuerat falsus vulgi rumor. Hanc certè tam sanctam viri sancti contestationem ne aduersarij quidem in eius mortis historia dissimulare potuerunt. Quam suam Garnetus Christianam mentem, & religiosam, ipsi Catesbyo palam nec blandè aperuit. Interrogabat eum Catesbyus detecta coniuratione iam profugus, & futuri, anc. ps, quid sibi auctor, esset? Quid consilij daret? [Respondit Garnetus ab homine, qui sibi auctor solus, solus à consiliis fuisset, suum ingenium suosque impetus secutus, rem esset aggressus tam temerariam; amicos tot nobiles suo exitio inuoluisset, Catholicos omnes ad extremum in quo laborabant egisset naufragium, eo inquiebat ab homine, ne verbum quidem se velle audire] quod responsum, iudicibus suis in defensione causæ reposuit, adiecitque illius, si modo id vellent, facturum ipsis certam fidem; at præiudicatas eius condemnandi opiniones, & colores noluere veritate comperta corrigere. Postremam in eum Cæcilius intorsit phalaricam, antea per Cookeum libratam, nunc falsis roboratam; audisse scilicet, fatentem, Garnetum, se Catesbyo suasisse vt Bainhamum ad Papam mitteret; sed de suo subiungens, quod ex contextu verborum volebat intelligi, ex confessione Garneti se habere. Nam cui bono, ac fini, nisi vt Bainhamus de coniuratione Papam faceret certiorem, audita interea temporis per celeres nuntios, Regis, Principum, & Parlamenti extinctione repentina, illico argenti, armorum, diplomatum aliaque ab eo vrgeret præsidia ad euersionem regni funditus absoluendam: sed enim Garnetus quàm potuit

maximè

maximè reuerenter Cæcilio audens, ac liberè vniuerso coram tribunali, verum à mendacio secreuit. [Res inquit, mi Domine ! longè aliter acta est ; & sunt planè diuersa quæ ex me audisti : profectionem videlicet Bainhami, haudquaquam meo susceptam consilio, sed ob sua quædam priuata negotia transmissurus cùm esset in Belgium;forsan & Italiam visurus,pergeret cum bono genio Romam vsque, vt Catholicorum in Anglia calamitosum statum & lamentabilem Pontifici exponeret ; si quid eorum miseriis, abiectioni animorum, & vitæ minimè vitali restaret opis aut solatij sperandum haud posse aliundè quam à Patre omnium communi meliùs expectari:hanc ipse ab illo consolationem sua vnius lingua, sed Catholicorum omnium afflictissimis precibus, votisque supplicibus flagitaret. Nec ego priusquam Bainhamus ex Anglia solueret, de coniuratione quicquam olfeceram ; nec putem Catesbyum secreti vltra quam oportuit tenacem illud Bainhamo credidisse, nisi forte ita generatim, vt satis intelligi se nollet. Eram ab eo itinere coniurationis gratia suadendo adeò alienus, vt omnino in contrarium niterer. Audito enim sæpè Catesbyo minaci, turbido, & trunca verba rumpente (aliumque pariter iratum qui postea captus est) suspicatus sum apud se violentum aliquid moliri, recurrebat enim percunctatio illa de arce expugnanda, & cernebam velut Belgij oblitum, parandis, militibus, & armis incumbere, suadendo, rogando, contentionem omnem adhibui, ne quid tentaret turbulenti, offensum iti alioqui grauiorem in modum summum Pontificem, qui me sæpiùs laudasset ob rerum nouarum, vel compositos motus vel elisos ; & mandasset iubens strenuè pergerem in corroborandis Catholicorum animis ad patientiam, & diuinæ opem misericordiæ fidenter expectandam. Sapienter igitur, & tutò committi Bainhamo, vt refricaret Pontifici malorum nostrorum memoriam, & subsidiorum qnæ non possent ab eo nisi æquissima, & sanctissima proficisci. Hæc ego ad Catesbyum, eo fine vt si quid infaustum animo coqueret, premeret id saltem sibique imperaret, quoad Roma Bainhamus respondisset, promisit, mihique fidem suam obstrinxit ; ego danti fidem libenter præbui, quam post non tenuit, fortassis quod eam potius dedisset vt amoueret importunum ab oculis quàm ex animi sui sententia. Sub hæc de Catholicis scribens fide iussorem me pro iis dedi, hoc enim mihi spoponderant, fore vt quietem, & patientiam, factis animisque constanter tenerent. Quæ mihi geminæ futura erat consolationi, tum ipsa per sese, tum quod fructus esset, meæ prorsus non segnis operæ.] Hæc incusanti Cæcilio Garnetus, & ego eius causam hoc opinionum præiudicatarum argumento libens claudo, quas à se habebat nimis multas, & notas, si iure fuisset, non confidentia impia iudicandus triumphaturi in eo de Religione Catholica Caluinismi. Vtque pridem ne auditus quidem, sed neque comprehensus, edicto Regio proditionis conuictæ damnabatur ; etsi conuictiones illas postmodum viderint, ne sat quidem fuisse ad causam inchoandam, ita nunc in eum tanquam proditorem, deliberatam attulerant, & velut ex euidentibus præiudicatam mortis sententiam. Iam si quis vsquam mortalium fuerit in quem præ

languida & miti, naturæ totius temperie, & habitudine, nec posset iræ motus, nec indignationis cadere, fuit planè huiusmodi Garnetus, nedum vt tam atrox, & exsecrabile facinus valuerit ab eo concipi, & strages tam impia Senatorum & procerum, quin & amicorum & Catholicorum, Regisque adeò annum integrum circumferri animo integro nec in amentiam, & furorem rupto. Cognomento agnus iam inde à pueris, ob lenitatem indolis audiebat; optanti Personio vt is in Angliam mitteretur, nihil Præpositus Aquauiua obstare dixit, nisi quod doleret agnum à se in macellum mitti, vt autem hæc erat illius indoles, & natura, sic non magis ab ea potuit quam à se discisceere, suo etiam subinde cum graui damno vbi opus fuisset defensione acriori; quam eius superuacaneam mansuetudinem, & obseruantiam improbarunt qui eius vitæ, & innocentiæ quam probè norant, volebant fortius consuli, quòd esset, eius causa cum fidelitate Catholicorum, & Religionis honore iuncta, & armarent in eius modestiam aduersarij probationes euanidas primariorum hominum tumore præfisi. Rex ipse discedens, causam, inquit, meam propugnassem haud paulò vegetiùs, & retorsissem validioribus responsis nonnulla capita. Edidit, denique supremo vitæ suæ actu, suæ huius mansutudinis specimen tam insigne, vt negaret populus tam mite pectus potuisse proditionum crudelium, & affectionum capax esse. Vita demum illius annorum viginti per totam Angliam tam quietè & placidè acta est vt videri non possit credibile, ad vsque hanc vltimam immanitatem desciuisse, cuius illi pro veris suspiciones, & colores aduersus quodcumque possibile factu, affingitur. Possum verba repetere aduersariorum, qui hanc ei laudem attibuunt mansuetudinis in omni vita, sed tam palam deinde malignis detorsionibus à natiuo auulsa, & distracta sensu, vt venæno imbuta hostili, si alias vnquam, suam prodiderint maleuolentiam. Primum enim tam certo omnibus, & liquido constitit, qnicquid valebat apud Catholicos auctoritatis, & amoris ab eo collatum ad stabiliendam pacem Anglos inter, & Hispanos, vt anni eiusdem Septembris vicesimo primo scriberet in hæc verba. Fuit, inquit, non amicis modo, sed aduersariis euidens, quàm efficaciter, & celeritate quanta incubuerimus in pacis negotium cum Hispania concludendæ. Missus ab Rege Catholico nostris vbique consiliis, & opera vsus est, qua si caruisset, & amicorum nostrorum subsidio, nunquam erat cœpta in optatos exitus perducturus; fuit quin etiam ex Regni primariis qui nostram in ipso Parlamenti palatio, virorum sapientum, Doctorum, & religiosæ conscientiæ felicem operam, hoc in negotio plurimum commendauit, quod tanti erat ad vtilitates publicas momenti. Citantur & intra Angliam Garneti literæ ab aduersariis, ex quibus asserunt tumultus quatuor fuisse ab eo cohibitos, fatentur & suo elisam ab ortu Vvatsoni, & Clarki coniurationem; verum elogio adiuncto quod encomiastarum nemini, etiam inter pocula somnianti potuisset in cerebrum scandere; factum id eo ambitu honoris quem sibi totum erat asserturus ex cuniculi suffossi coniuratione, & strage longè sonantius vniuersum orbem suo nomine impletura. Narratur insuper à Thoma

ma Vvintero die quodam cum ei tacitè significaretur, feruere quiddam in Catholicorum subsidium, & malorum leuamen quibus premebantur, præoccupasse cæca illa ipsius gaudia monito sapienti. Semi iam reos, & semidamnatos non rectè agere: Dei esse verbum, quærendi boni causa, etiam maximi, nihil vnquam mali, quanquam leuissimi licere, institisseque ad hoc vehementer vt quicquid id erat quod meditabatur, ab eo illum dimoueret, nisi iuris eius indubitati certas, æquitatisque teneret rationes. Ad hæc illos adplausus, & gratulationum magnificentiam quam exhibuêre Catholici Regi suo ac Domino Iacobo, è Regno Scotiæ Angliam intranti ad capessendum eius sceptrum, magnam partem Garnetus mouerat, & quas illis Rex egit humanissimas gratias pertinuêre quoque ad Garneti laudem: inde spebus amissis tolerabilioris imperij, cũm minis & fremitu non obscurè iratum dolorem proderent, quid non egit ad persuadendam illis patientiam, certa prouidentiæ diuinæ pietatisque fiducia, eo vsque vt illum deinceps amoueret ab se Catesbyus, & cum eo complures, pertæsi molestum, & intempestiuum patientiæ hortatorem. Enimuero res eò deuenisse vt esset denique malis fortiter obstandum, nec frustra in posterum præbenda iis terga. Catholicorum bonitate fieri peiores hæreticos, & insolescere, & hanc ipsorum nimium placidam taciturnitatem pusillo animo, ignauiæque assignare. Verti nunc tandem in Anglia eum religionis articulum, qui nobilibus egeret generosis, non Presbyteris inertibus. Hinc illæ Romam tam crebræ Garneti literæ, de oppressione Catholicorum inconsolabili, & rerum nouarum supremo discrimine nisi hoc Pontifex, remediis prouidis, manuque adeo sacris fulminibus armata præuerteret.

Quæcumque hic iuuit repetere, sic aduersariis liquebant, vt iis acta sua librosque repleuerint; nec non ingenuis, iustisque coniectionibus quibus innocentiæ suæ patrocinatus est Garnetus, & longè plus fidei ad probationem veri fecit, quam illi ad eius occultationem. Eam ob rem præclari causæ instructores, vt sophismis suis titulum præfigebant probationur indubitatarum, sic probationibus Garneti nubem obducebant coactarum explicationum, quibus aut elideretur vis eorum omnis, aut contra Garnetum verteretur. Hinc illud quod erat necessario consequens ad illam quam ante retulimus Cæcilij contestationem, hoc iudicio id agi, vt in Garneto Iesuitæ omnes censerentur proditores, in Iesuitis omnes Catholici, vt qui eadem viuerent doctrina qua essent ab iis imbuti; hinc item illud patriarum legum silentium pertinax quæ Garnetum agebant damnationi obnoxium, vt erat de cælatis per horas aliquot coniuratis, quanquam de iis nihil prorsus extra confessionem cognouisset. Verum nec erat ea damnatio satis doctrinæ Catholicæ, vt vellent ignominiosa, sed Garneto glorioſior quam vellent. Cumque is priuatim, & publicè confirmandis iis quæ toties dixerat, toties professus fuerat constanter institisset, commenti sunt homines scelerati nefariam fabulam post mortem viri sancti, eiurasse illum dum viueret solenni abdicatione nomen, & titulum martyris, quod verè agnosceret, iure se proditionis reum mori. Sic eum inducunt in

Turri cum Caluinistis aliquot delirantem, quos deinde pro testimonio audiri voluerunt.

[Ego scilicet martyr? & cuiusmodi farinæ meum hoc foret martyrium? polliceri hunc mihi honorem poteram, nisi aliunde quam ex confessione sacra, de coniuratione cognouissem, sed cum aliunde de illa compererim, meum agnosco scelus; iure me fateor damnatum morte proditoris, qualis re vera sum.] Sic edunt homines insulsè fraudulenti, priuatos inter parietes carceris, & se coram solis personam Garneti, suamque illi stultè accommodant mendaciſſimam linguam, iis planè contrariam quæ paulo ante in eius literis legebamus, sim licet innocens, vitam mihi nulla innocentia seruabit. Iis deinde quæ palam solenni confessu Iudicum iuratus affirmarat, iis demum quæ pro patibulo, vrbi toti & orbi fuerat contestatus. Hac mendaciorum propudiosa densitate contexta sunt omnia quæ de Garneto scribunt, illius nimirum immemores antiqui, & prudentis effati, si negare sit satis, nemo vsquam reus; si accusare nemo vsquam non reus.

Atque hic defensionis legitimæ finis esto qua Garneti simul Catholicorum, & religionis, ius propugnatum est fide optima & syncera. Nunc lubet addere ad historiæ gratiam, quod nouem post annis, Glascensis in Scotia Archiepiscopus aliique ex Caluini schola defœcatissimi Puritani Ioanni Oglebyo Sacerdoti fortissimo exprobrarunt, cum examinarent ad mortem damnandum, quam & generosè pro Catholico dogmate pertulit. Habemus eius manu, quæsita ex eo eiusque responsa. Interrogatus sum (scribit ipsemet) de pulueraria coniuratione, & igniario in Parlamentum cuniculo? Abominor inquam parricidas, tantum abest vt laudem. Atqui aiunt, hæc Iesuitarum, & Papistarum doctrina est; Ego, legat qui volet acta Constantiensis Concilij, & discet hanc ab hæreticis probari crudelem doctrinam, à Catholicis damnari; docuisse Vviclefum natione Anglum licere populis dominos suos occidere; dominos peccando grauiter, ditionum suarum iure excidere; Sacerdotio suo Sacerdotes. Proscripsit hæc monstra synodus. Paucorum fuit nobilium conspiratio cunicularia; vestra Regem Iacobum Septembris decimo septimo suamet in Regia grandi armatorum instructu inuasit, & conclamatus erat, nisi artifices acceleraſſent opem custodibus ferre. Sunt Edimburgi hodieque ad duo millia qui tunc arma sumpsêre, testanturque Prædicantes fuisse ad cædem aliis hortatores vociferantibus pro tesserario symbolo *Deum & Ecclesiam*; dum succlamaret *Deo & Regi* aduersa pars. Parumque hoc habens vestros inter summates prædicantium summas, & Achilles Robertus Brusius, etiamnum superstes, nec multum hinc absens Marchionis Hammiltoni patrem literis inuitauit festinaret ad diripiendam ex indigno Iacobi capite coronam Papistarum fautoris, & patroni, foreque se illi cum suis auxilio. Fuit hæc publica medio in foro, Prædicantium furore mota incensaque coniuratio, non paucorum ex aula nobilium. Vos in Iesuitas præter suspicionum nebulas nihil habetis, & imaginem inuidiæ odiorumque simulachra. Quæ dixi de vestris testem habent

ipsummet

ipſummet Iacobum Regem multoſque alios qui pars negotij fuêre. Multa ſub hæc ab iis de Garneto interrogatus ſum, Reſpondi fuiſſe inſontem penitus, nec potuiſſe vel mundi totius pretio aperire quod confeſſione ſacra didicerat; Ego ſubiecit Archiepiſcopus, ſi quem audiſſem pro confeſſione machinatum fuiſſe Regis mortem; & crimen, & eius authorem detegerem. Propterea, inquam, confiteri apud te deberet nemo. Poſt quædam alia, ſi Garnetus, inquam, ſubire mortem optauit potius quam ſigilli ſacri violare ſanctitatem, veneror illum pro martyre, ac ſi Pontifex illum eo iam vocaſſet cognomento, cupidè morerer ad illud ei aſſerendum. Faceſſant hinc ſubdit Archiepiſcopus iſtæ hypotheſes, tu de illo quid ſentis? Ego vero, quæ ſcripſit carcere; quæ Regum duorum legati multique nobilium manu propria confirmarunt, quæ legi per Angliam tranſiens, hæc inquam, ſi vera ſunt, ſentio piè ſanctéque mortuum, & à proditione coniurata purè innocentem. Hic illi acta, mihi in contrarium proferre; ego, acta nempe aduerſariorum hoſtilia! hæc fidem merentur, quid ni & illa quæ in oppoſitum comperi. Hæc P. Ioannes Oglebyus. Perorauerat fiſci aduocatus, declamationi finem impoſuerat Northamptonus; purgationes obiectorum Garnetus ediderat, & retexuerat cauſam omnem iuris dicundi prætor, cum iurati Duodecimviri, tantiſper ſecedunt vt deliberarent quod iam erat decretum; regreſſi poſt paulum reum pronuntiant. Cæcilius qui toties antea pro ſe dicentis eliſerat verba & purgationes abruperat; nunc ſeram denique, ac planè inutilem clementiæ regiæ copiam prolixè illi defert, ſi quid illi forte ad purgationem dicendum ſupereſſet. Ille pro vſu & formula profeſſus, vitam ſuam & mortem in Regis eſſe poteſtate; vitam ſibi ſaluam ſi velle dignaretur, fore vt illam omni fide in Regis obſequia, ſeruitutemque deuoueret, quoad ſibi fas eſſe religionis, & conſcientiæ iure poſſet; ad cauſam ſuam quod adderet, reſpondit ſibi nihil quidem reſtare, ſed eam denuo in æternum examen pro diuino vocandam tribunali, vbi procul eorum coniectionibus, & præiudicatis longè aliter eſſet ex veris & perſpectis animorum occultis decidenda. Nec plura effatus ſiluit. Proceſſit inde Cooxeus fiſci cauſidicus, exegitque à Iudice Popamo ſententiam. Indicta per præconem audientia Popamus Garnetum pronuntiauit reum maieſtatis, damnauit ſuſpendij, reſcindendorum ſemiuiuo partium corporis, extrahendorum ex ventre viſcerum, cordis pectore reuellendi, amputandi capitis, & trunci quadratim ſecandi & præfigendorum ad ignominiam celebrioribus compitis membrorum. Hic Ciceſtrenſis Epiſcopus, pro ingenuitate mentiendi, velut de Platonis Atlantide ſcriberet nullius obnoxia refutationi, negat hoc ſupplicij genus eſſe tam acerbum quin crudeliora Romæ infligantur. Pronuntiata ſententia Northamptonus, forenſi ſepoſito Theologum induit, Garnetum admonens ſerio videret, quis eſſet cauſæ ſuæ cardo. Haudquaquam damnari Religionis nomine ſed proditionis, omni probationum inſtructu euidentis. Doceri nos ſcripturis Canonicis, nefas eſſe aut Reges occidere, aut regno deiicere, tyrannos eſto, adulteros, apoſtatas, Sacerdotum carnifices, hæreticos, idolorum cultores (oblitus eſt atheos) nullam

denique in terris esse potestatem cui vlla seu religionis seu ciuilis & humani iuris quæcumque sit causa, Reges possit obnoxios facere. Hanc sibi Papa si arrogat, vsurpationem esse annorum retro sexcentorum. Secutusque huiusmodi canendis næniis, aliena sibi concinnatis manu, diu memoria propria paratis, denique absoluit, totumque simul tribunal discessit; reductus est in turrim Garnetus, Rex in palatium rediens, magnam reo dixit factam iniuriam, quod nisi frustatim, & creberrima turbato interiectione obiectorum data esset facultas defendendi sui. Protestantibus animi redière, qui antea territi cum respondentem de tribus capitibus, æquiuoco, Recusantibus & societate audiuissent negarant posse solidius, & ordinatius responderi. Seiunctis Catholici, vt erat cuiuis perfacile, à vero & recto coloribus, & fuci nebulis, certo statuerunt vnam esse Garneto mortis causam, fidelitatem Deo, & inuiolabili confessionis sacræ arcano seruatam.

Raptatur ad locum supplicij Garnetus, populo confertum innumerabili. Eius animi tranquillum, constans professio Catholicæ fidei, calumniarum quibus fuerat oneratus, perspicua elucidatio. Amor in eum populi, supra morem, & sublimis de illo opinio. Eius vitæ singularia. Cruoris eius stilla in spicam fortuitam decurrens vultum eius in ea depictum reliquit.

CAPVT XII.

SVPRA mensem differtur Garneti mors, præter vsum paucorum ad summum dierum qui soliti erant inter sententiam mortemque interiici: differendi causæ vario rumore iactatæ sunt. Alij Regem voluisse nouo clementiæ suæ ostento suadere se nisi maximè inuitum, Sacerdotum cruore manus non tingere, tanti præsertim inter illos meriti, & famæ. Alij Garnetum vitam interea cum Protestantibus pacisci, & solenni quam esset è pulpito S. Pauli editurus, eiuratione Catholici nominis, Eboracenses infulas cauponari. Quidam propius vero, imo prorsus ex veris, argumenta quæri iustè quibus aliundè quam cælatæ confessionis culpa laudabili damnatus videretur. Cauendum enim Iuratis duodecim Garnetus inculcabat falsis coloribus, & temerariis quibus onerabatur coniecturis ne deciperentur, nec committerent se vllis subscriberet, quantumuis

tumuis in acta relatis iuridica, quod perpetua importunitate vt facerent poscebant forenses Ministri, reuocando ad se seorsim singuli, requiritando iterum ac sæpiùs, scriptitando, notando, consarcinando acta noua, & libros ex arbitrariis fabulis, confessionibus, & literis secum pugnantibus: quibus decretoriam, ac certam vt post videbimus, ex veris & certis coram Deo mendacij notam inussit moriens. Ausi quoque gloriolæ aliquid ex eo tentare Prædicantes, & de Religionis Catholicæ dogmatis nonnulla quærere; ipse omnes à se vno argumento operaque abegit: abundare illis tempus quod tererent, breue sibi restare, cuius ad mortem comparandam momenta duceret pretiosa. Fuit ipsi & alia ratio periculosæ disputationis nedum inutilis solerter declinandæ; ministelli, enim sectæ vtriusque colluuies, errorum pertinax, quocumque esset disputatio cessura, cantaturi erant populo victoriam, triumphum, expugnatum Garnetum, debellatum dogma Catholicum. Nam si penes illos mentiendi tam potens fuit imperium vt persuaderent populo Garnetum vltimo vitæ suæ actu & theatro in verba Caluini iuraturum, & hoc illi tunc è proximè stantibus nonnulli tanquam condictum suggererent, quid erant facturi, si disputare cum illo potuissent & tanquam milites glorioſi peruersionem eius sibi arrogare. Inter hæc ad primum Maij mors eius decreta, diem vulgi lætitiis celebrem, & effusione vrbis totius extra vrbem, ad decerpendos inde flores, & ramos viridles, quibus sibi veris optati Principium inuicem gratulentur. Hæc publici gaudia cùm aduertissent consiliarij, funestatum iri atroci supplicio tanti viri, transtulere illud in diem tertium Inuentæ Cruci Sacrum. Quam colebat Garnetus peculiari veneratione, incidebatque is dies ex Calendario abaco veteri in vigiliam Pentecostes. Mane eius diei ad traham cratitiam procedenti ex Turri, Coquus carceris occurrit, teneriterque salutato, adprecatur viæ comitem Deum; cui arridens Pater, tibi quoque ait, adsit semper Deus, & mercedem exsoluat operæ mihi hactenus impensæ, à qua deinceps immunis futurus es. Paulò vlterius Vvadei vxor qui Turri præerat, & ipsa hæretica, sed versus Catholicos benigna, & mitis, transeunti salutem perhumaniter dixit, ac sit tecum Deus, Domine Garnete. Teque spiritu & viribus recreet, id illum enixè precabor vt faciat, egit gratias pater propensæ erga se voluntatis vltro tamen illi quas spondebat preces condonauit; sed suas promisit, si quam sperabat perseuerantiam Deus ipsi gratificaretur. Prospectans è fenestra Baro Grayus, euntem clamore salutauit, bona illi de cœlo omnia, & opportuna precatus subsidia. Satisfaciebat officiis omnium Garnetus, ea serenitate oris, & animi; verbis tam expeditis, & placidis, conformatione vultus tam alacri, vt euntis nequaquam ad mortem, diceres, sed in Paradisum. Solutis brachiis in crate ligatus est, iunctis in preces perpetuo manibus paulùmque à pectore sublatis, & clausis vt plurimum oculis, ne quo à diuinis auerteretur obiectu fortuito, intendens nihilominus subindè in cœlum oculos; equis tribus ex Turri ad patibulum tractus est. Destinatus spectaculo locus forum fuit ad maius S. Pauli templum, & Occidentalem eius portam:

eminebat illic Episcopij foribus obuersum pegma; patibulum in eo duplex, & cruentæ ad latus lacerationis ferreus apparatus. Spectatores in æquo in subitariis theatris in tectis in fenestris (cingitur enim tota palatiis, & domibus platea) quanti alias nunquam, nec locariorum vberiori lucro, nec locorum maiori penuria. Concurrerant alij magnum illum Papæ parui Seminaristam spectaturi, cui redimendo, garriebat vulgus Regi oblata aureorum millia octoginta: traxerat alios curiositas videndi primum illum coniurationis architectum, audiendique confitentem reum, renunciatam Papismo suo fidem, Caluino obligantem euadendis nimirum quæ instabant inferorum pœnis. Hæc à Prædicantibus in vulgus ventilata deliria. Solutum crate Decani duo excipiunt Londinensis, & Vvincenstrensis aliique minoris in clero illo gradus aperto singuli capite, & significatione reuerentiæ non vulgari. Ab Rege, inquit Londinensis, Domine Garnete! adsumus, vt vel hac vltima vitæ periodo, subiecti Regi tuo fidelis exsoluas officium, fassusque te reum coniurationis, eius veniam ab eo petas. Ego infit Garnetus, mi Domine! in Prætorio publico, & confessu eorum à quibus eram iudicandus, cumulatissimè de hoc capite satisfeci nec quicquam penitus residuum animo seruaui quod possim addere, hæc per te quæso, meo nomine Regi dicta sunto; responsione contenti nec ne, alio diuertunt: fidem illi viuacem in Christum commendant, quam probè cernebat Caluini fidem ab iis intelligi; vt eius præsidio, salutem animæ in tuto locaret. Pertæsus monitum Dei seruus rogauit comiter, de hoc sibi esse molesti parcerent, edoctum se pridem Magisterio meliori quibus studiis esset paranda in mortem anima, quam ratum sibi erat, & deliberatione certa fixum pro fide Catholica ponere. Sub hæc scandit in pegma, iique post illum, quibus præierant Regij aliquot Ministri, & ex Catholicis amici, & nobiles auctoritatis præcipuæ, inter quos non debet Henricus Montagusius sileri *Recordatoris* vt vocant officio fungens. Omnes placidissimo aspectu salutauit, post è crepidine pegmatis populum vniuersum, oris compositi tam venerabili specie, & tam nihilominus suaui, vt subaudiretur populi admurmuratio, non esse hanc hominis faciem in quem posset proditionis suspicio cadere, multo minus atrocis, & sanguinolentæ coniurationis: stabant tamen arrecti ad verba illius vltima vt ex iis de illo mitius iudicarent, & notatum hic haud sine stupore, cum circumtulisset oculos, & patibulum infame desuper, cultros aperiendis visceribus, corpori diuidendo cespitas ad vnum mensæ latus; focos ad alterum cremandis vitalibus, hæc perinde spectasse vt si nihil ad se attinerent, nec vultum mutasse, nec floris colorem ne inducto quidem post paulùm in fauces laqueo, imo aliquot etiam post mortem diebus retinuisse illam serenitatem viuentis, & spirantis. Salutato exinde populo quæsiuit sibine fas esset tantisper orare, sed Montagusius, verbis modisque asperioribus duriter occupato ab Rege denuntiat se adesse vt eum dimoueret à pertinacia negandæ coniutationis, inflecteretque ad petendam à Rege illius veniam. Nihil, inquit, Garnetus, habeo cuius mihi sit à Rege petenda venia, quem ita prorsus nulla re vnquam læsi, vt

etiam

etiam nihil omiserim, quo tum alias, tum hanc potissimum coniurationem disturbarem ac dissuaderem. Quamobrem inde nulla potest damnationis meæ causa peti, nisi me faciunt propterea reum quod sacro mihi secreto credita religiosè cælauerim. Id vero non est Regem offendisse, illa tacuisse, quæ nefas mihi esset absque salutis æternæ iactura edere. Se tamen & Rex & Regni administri si propterea læsos putant, quod contra quam sentirent, ac vellent tacuerim, libenter peto dignentur condonare, quod non potui aliter facere. Sic ritè ab iis explicitum; quæcumque ab se nomine Principis exigi, poterant, tentauit Montagutius noua fraude; qua si nihil obstaret, auebat plurimum suam Regi solertiam probare. Affaturus igitur populum circumfusum, audite ait, magna voce Quirites; petit à Rege Garnetus veniam coniurationis; sed excepit mox vafri sicophantæ luculentum mendacium Garnetus, & facis, inclamat, atrocem mihi iniuriam. Negaui me Regem offendisse, & pernego; negaui me quicquam admisisse cuius esset quærenda venia, nisi sacri confessionis auditæ silentij, quod mihi nec debet, nec potest culpæ imputari. Ad hæc Montagutius erubescens; & pudore factus audacior, negas igitur, ait, cuius tuum habemus Chirographum fuisse tibi coniurationem à Catesbyo, & Greenuuayo, extra confessionis sacrum perspicuè detectam. Nihil, subdit Garnetus, à vero longiùs quàm vt mihi vnquam Catesbyus de coniuratione quicquam crediderit; credidit Greenuuayus, sed confessionis occlusum sigillo, cuius tamen viri nomen non proderem, nisi vt multo grauiora, quæ illi affinguntur ab eo defenderem. Videns suam Montagutius in arcto famam, triuiali stropha nititur eam liberare; scrutatur primum simulatè, velut illud apud se habere se Chirographum crederet; post vnum ex famulis vocans, iubet scriptum proferri Garneti manu de coniuratione confitentis. Quod illi cum probro explicaturus in os esset. Absit, inquit, ardens audenterque Garnetus, absit, nec vnquam futurum est vt meum proferatur Chirographum ab iis diuersum quæ & hactenus dixi, & repeto. Magna vtrimque expectatio, vtra pars condictum mentiretur, quæ in risum confestim vanuit, referente famulo scriptum illud ab se alicubi omissum; vbi vero non satis meminisse. At hoc vrget Garnetus neque hic, nec alibi gentium reperietur vnquam, Imo, ira fremens Montagutius tuis ingratiis & reperietur, & in typos ibit vt tua hominis pefidi manifesta fiat fallacia, & linguæ æquiuocæ libido in perneganda coniuratione cuius tute ipse verè tibi certoque es conscius. Pernego vero instat pater, nec res aliter se habet quam sonent mea, & veraci candore significent verba, cuius meæ mentis appello testem Deum, & salutem æternam pignus pono.

Hac aduersarij tam crebra celebri firma & solida contestatione videbant sibi obtortis faucibus elidi mendacia omnia, quæ de confessione Garneti autographa, penes se seruata toties falso venditarant. Statuunt, itaque denuntiationem illam firmiter adeò sanctèque contestatam nec silere indictam, vt pote nimia diditam & notam fama; sed eius ita meminisse vt suis velificaretur mendaciis, Montagutium nempe confessionem illam auto-

grapham vt promiserat cum exhibere Garneto vellet, ex opistographo exterioris folij titulo ab eo agnitam, & Montagutium demisse rogatum hunc sibi pudorem condonaret, nec vlterius pergeret in ea sibi ob oculos euoluenda. Cœterum coniurationis tamdiu tacitæ se reum fateri, sic illa veri oracula Lancillotus & Abbotius scripsere, qui ab rebus præsentibus, & theatro cùm abessent flocci habuêre honorem frontemque præsentium, etiam ex Protestantibus qui ad vnguem verba vtrimque singula postea vulgauere. Nec prætereundum Cookeum sua illa vægrandi declamatione, suisque illius emissarios tot libris cùm traduxissent *Euidentiis* scilicet solaribus Garneti nomen *Conscij, complicis, auctoris confessi & conuicti,* supremo illo ad patibulum actu, nihil eo quæsisse, sed neque Montagutium à Rege missum, nisi vt fateretur se extra confessionem de coniuratione cognouisse quod auditus palam ac liberè negare, & quod necessario sequebatur cuiuscumque offensam cuius deberet ab Rege veniam poscere. Certè chronicon Ioannis Stouui quem dignantur illic magna fide, solùm ait Garnetum *Proditionis celatæ graui agnita offensa mortuum*, nec causam meminit quanto scilicet minus ad se tanto ad gloriam Garneti magis pertinentem.

Expedierat se à Montagutio cum ad marginem reuersus pegmatis horæ ferè dimidio affatus est populum, gratulatus sibi magnoperè die illo Inuentæ Crucis dedicato, inuentionem suæ Crucis, ob quam summas Deo gratias agebat, cuius beneficio cœteris omnibus impositura finem erat quæ vitam hanc miseram circumsistebant innumeræ. Hinc sui daturus rationem, quæ breuiter dixerat fusius confirmauit, nihil se vnquam de coniuratione penitus resciisse, nisi quod sigillo confessionis sacræ premere cogebatur. Hæc vero se Dei æterno examini proximum non posse nisi ex germana veritate, & nuda interioris animi sui sententia loqui; dehinc illam se semper abominatum coniurationem, tanquam sceleratam, & modis omnibus damnandam persanctè iurauit, addens si Deo nostris irato criminibus processisset dolori sibi futuram fuisse nullis vnquam consolationibus leuando. Conuersa post hæc ad Catholicos voce hortatus est illos vehementer ad tolerantiam malorum quantumuis grauium. Durarent in iis fortiter, nec se vnquam illorum diuturnitati, vel asperitati molirentur ciendis tumultibus aut coniurationibus mouendis subducere, id enim nec Deo, nec posse Pontifici placere, quæ verba fatetur Abbotius ab eo dicta, sed quam verè? Inquit, si iam *ipse tres Bullas acceperat à Pontifice, mox ab effectu proditionis denuntianda?* Se vero vt probet ex indubitatis has gerras effutire, Garneti Scrinia protestimonio adducit, sed negat idemmet potuisse vnquam in iis reperiri. Quæ, dum scribit vir musca obliuiosior non attendit quàm manifestè, ac turpiter secum pugnet, cum sæpiùs scripserit Bainhamum vt vocat ludibundum Romam isse vt de coniuratione doceret Pontificem, prius exitura quam Romam attigisset; vnde igitur qui & quampridem latebant in Scriniis Garneti, *Tria Bullarum Pontificiarum fulmina mox à scelere peracto eiaculanda* allocutione ad populum absoluta, orauit de genibus breuiter ad scalarum pedes. Interpellatus enim est extra rem omnino à Decano Londinensi num se se arbitraretur iustè mori? Iustè, inquit, ex vestris iniustis legibus quæ con-

fessionis sacræ arcanum damnant: iniustè contra iustas Sacerdotij Catholici leges quæ iustè oppositum iubent. Inconsideratior Decano Montagutius; loquitur, exclamat, æquiuoca; ponitque illi varia de æquiuocis dubia; cui pacificè Garnetus, dixi pridem quid in his liceret salua veritate, & conscientia; dixi fusius, & quidem publicè coram iudicibus, quid toto illo in genere non liceret; quod iis adiungam non habeo. Redeunt paulò post Decani, duo, fidem illi occinunt in Christum solam, vt quæ sola sat esset vna, sola esset necessaria ad salutem. Quibus responsi aliud nihil dedit, nisi de cœtero sibi esse molesti ne vellent. At ij velut subirati, quasi, aiunt, & ipsi non simus verè Catholici? Nec estis, inquit, nec esse potestis nisi professione Romanæ fidei, ac Religionis, pro cuius sanctissimis legibus libenter morior, & si millies possim, moriturus sim toties, magna voluntate, spes vlla nemini extra illam salutis potest supereſſe. At tute interea, insultat Montagutius ad inferos perges: insolescenti silentium pro responso dedit, & precatus Deum vt potuit, nam crebro interpellabatur, vestes posuit vt solent quibus detrahenda sunt viscera, & longo in indusio cõstitit vtrimque ita clauso, vt nihil posset vel aura perflante vel aliundeuis, minus honestè oculos ferire. Placuit populo tam cauta & verecunda modestia, & qui prius in illum fuerat pessimè animatus, vt eius ex dictis atque factis, lõgè ab eo diuersum probauit, quem ante crediderat, totus in eius amorem mutatus est. Conscensis scalis & exorato carnifice, ne se nisi admonitus in præceps deiiceret, voce iterum, ac mente libera conuersus ad populum. Benè infit, vobis faciat è cœlo Deus, suamque inde vobis affundat lucem splendidam ad cernendum, ad amandum ardentem, vt agnoscatis perspicuè, & complectamini fortiter Religionem Catholicam Ro. cuius vnius sancta professio, sempiternæ salutis spem nobis præstat firmam, atque immobilem. Atqui suggessit ex iis qui aderant non nemo, expectabamus te nostrum fore, velleque vti spoponderas Protestantem mori. Cui mox Pater; voluntas tam execrabilis mentem subiit nunquam, quanto minus in propositum deducta; sed hæc fuerit vna metamorphoseon quæ mihi affinguntur, extra fidem Romanam nulla vera, nulla sat potens ad salutem. Post hanc fidei castæ professionem fortem, & liberam, Regem affectu præcipuo, Principes filios, Senatum, Regnumque vniuersum Deo commendauit; se vero Regemque iterum sanctis Catholicorum votis ac precibus vt ei perspicacem ad veri notitiam oculum, & ad Regni salutem impetrarent. Quibusdam exinde adiectis quæ ad innocentem Oldcornei & Tesmũdi facere videbantur, & turbulentum Catesbyj genium de quo ipsi nonnil generatim significauerant. Vltimum sibi reseruauit locum abstergendæ à se calumniæ, quam illi hæretici maximè probrosam impegerant, suorum in eos vitiorum liberalissimi quos ferre non possunt pari secum luxuriæ cõfusione immunes viuere. Vulgarant itaque Garnetum multis retro ab annis vxoratum; tres alij liberos, sex etiam alij ex matrona nobili tulisse Anna Vaux, Baronis matertera; excellenter Catholica, & si qua toto regno vsquam in Sacerdotibus domo colligendis nullius periculi timida. Hic ergo Garnetus,

maximum sanctissimumque iurauit iusiurandum teste Deo cuius esset iudicio terribili momento sistendus, se nec tali vnquam contaminatum piaculo; nec eius vel simplici fœdatum cogitatione. Annam pro virtutum quas in ea perspexerat eximiis dotibus arbitrari se omnino virginem, & ab omni si alia vsquam impuritate alienissimam, quæ ille professione veritatis adeò viuaci, & iuramenti nuncupatione tam religiosa populo expressit vt illam à se atque à matrona propudiosam calumniam prorsus amouerit.

Demum omni perfunctus, pietatis, & iuris officio, laqueo collum inseruit, totusque in Deo, Matre Virgine, versiculos crebrius iterauit, quibus opem illius in extremis solet Ecclesia poscere. Cumque dies Cruci ageretur sacer adspiratione ad Deum multiplici, eius tutelam postulauit, ac ne animo prius quam animus corpore exiret. Eius interea vitali aduersus hostem signo se crebro muniens; cancellatis denique ad pectus in crucem brachiis, carnifici innuit, à quo scalis deiectis vir sanctus laqueo pependit. Erat breui post ex damnationis sententia præscindendus casuro laqueus, vt exenteraretur semiuiuus. Quod quoties carnifex aggressus est facere, ter autem aggressus est, erupit vox populi. Sine animam egerit, & cultrum sustine, mitum interim nec dolore, nec mortis angustiis sibi prorsus ereptum, nec cancellata brachia demisisse, nisi denique paulatim & lentè, deficiente, iam anima, cum accurrentes amici aliquot, (censetur illic amicorum id esse officium) correptis pertractum pedibus auxere pondus quo præfocaretur, & longum moriendi laborem breuiter absoluerunt.

Spectabam ait nobilis Italus è fenestris cum Guillelmo Tauleyo Reginæ Scriba, audiebamque commodè omnia, & miratus sum postrema illa suæ sub patibulo innocentiæ professione tam secura, & vindicatione matronæ nobilis ab immani probro, mutatos adeò versus illum affectus populi, vt magna pars tenere lachrimas non posset, nec ipse cui adstabam Reginæ Scriba. [Secando coram in quadras cadaueri parentata est infinita vis lachrimarum & finem hunc habuit anima illa, quam certò arbitror Deo frui] hæc ille. Quin ipsemet carnifex, pietatis sensum, & reuerentiæ prohibere à se non potuit. Ostensurus enim populo rescissum caput, prius, illi oculos decenter clausit, & genas detersit; sed longè admirabilius quod ostentanti cor proditoris, deinde caput, cum moris esset populo voces attollere, & conclamare *viuat Rex*, neutrius aspectu vox vlla populi, aut flatus erupit. Altum vbique mœstumque silentium, quod profecto haudquaquam populum velut syderatum minimè tenuisset, si penes illum vel minima contra innocentiam Garneti suspicio resedisset. Hoc tam concordi, & publico populi de innocentia Garneti iudicio, cum sua de illo iniusta damnari iudicia tribunalium Ministri sentirent, agique se testimonio publico Garneti & iuris verè proditores, quod proditionis falsæ reum indigno necassent supplicio; libris, historiis, actorum simulatione, inuectiuis nihil non egere quo iustè damnatus conuictæ coniurationis, & proditionis Garnetus videretur, quicquid is in oppositum & quantumcumque firmæ, & ineluctabilis purgationis obiecisset: fuit tamen nemo tot inter scriptores, ita sui oblitus

oblitus vt negare auderet cuius decem millia testium moriens Garnetus habuerat. Sola huius capax propudiosi dedecoris septimo post anno inuenta est illa frons Roberti Abbotij mendaciorum protrita sacrilegiis, & impudenter effrons. Is sua illa in *Antilogia* cum in Garnetum, in Societatem, in Papam, in Religionem Catholicam rabiosius cœteris despumasset, narrando Garneti morientis vitæ actu postremo, voluit seipso videri superior. Negat quædam, nonnulla concedit, transuertit alia, nec facilè dixeris vbi peruersè audacior. Purgauit, inquit, Garnetus infamiam turpis suæ cum matrona Vaux consuetudinis. Id vero quam liquido? *Non nisi per æquiuocationem.* Vetuisse populum magnis clamoribus ne præscinderetur prius pendenti Garneto laqueus quam animam efflasset, hoc vero pernegat; & potest iurare se nihil tale audisse cum Prouincia integra Londino distaret; quo modo indidem peierat auditas populi voces acclamantis *viuat Rex* ad ostentum cordis & capitis Garneti proditoris, nam *acclamatum est*, inquit, *haud minus quam in pari causa fieri consueuit.* Porro illas de colloquio Garneti cum Montagutio, & duobus à Decanis literas, aut esse omnes falsas, aut interpolatas, ancipites, modisque aliis transuersas nec ignorare se aliter alios scripsisse, sed nequaquam ex veris. Veri enim scribendi Prouincia huic scilicet vni seruabatur, qui non posset de Iesuitis & Papistis nisi vera scribendo errare. At enim populus qui nec conscientiam habebat venalem Ministris Regiis & iis quorum honoris intererat, Garnetum videri non iniustè damnatum, grauissimè offensus doluit artes adhiberi fraudulentas innocentiam hominis transuertendam vt dehonestamento eius famæ velaretur eorum dedecus qui eum iniustè necauerant? Catholici autem ex cognitionibus Iudicum toties iteratis ne quid in vulgus sparsum esset parum decoræ in Garnetum famæ vt ex motu, dictisque populi contraria viderunt, è loco supplicij velut pugnæ campo triumphantes abscessere. Certatumque inuita custodia ab nonnullis, vt diriperent aliquid ex eius reliquiis, & sanguine quo consolarentur amicos trans mare. Marchio à S. Germano extra ordinem legatus vt gratularetur Regi vitatum feliciter coniurationis tantæ periculum; caro Garneti coëmit indusium, alij alia; quanti carnifex edixisset, illaque adeò Catholicorum pietate non offendebantur Protestantes, quin & ipsi vltro concurrerent ad conciliandam ei famam quam suis in sanctis venerantur & alij quidem pergat anima mea, quò ille certò beatè præiuit, alij si est in terris sanctus, mori certè isto sanctius non potest. Ministelli demum ipsique Prædicantes, indubitata est, aiebant huius animæ salus, & cœlo feliciter gaudet.

Verum his laudibus quæ solent sanctis à morte tribui, accessit argumentum admirabilius. Caput palo præfixum ad Pontem qui Tamesim iungit, viuentis speciem (sanè venerandam) lineamenta, colorem, conformationem per multas hebdomadas tenuit, oris habitu natiuo, nulla re penitus à viuente diuerso, confluxitque Londinum vniuersa ad spectaculum hominis resciisso in capite viuentis. Dies abierunt sex supra viginti, & de illo concursu, de populi reuerentia in Garnetum, de illa oris immutati con-

seruatione illinc eadem ferè præscribebat qui tunc erat vnus de spectatoribus.

Mortuus est Garnetus annum agens ætatis quinquagesimum primum, trigesimum primum in Societate, vigesimum in Anglia, & in nostrorum illic Præfectura decimum octauum. Natus est in Prouincia Derbyensi, Patre Bniano Garneto publico literarum in scholis Nottinghamensibus professore; Matre Alitia Iauya. Annos eius primos ne quam vitæ partem intemeratam relinqueret impuro dente fœdauit Abbotius, ignotis in Anglia flagitiorum monstris, ne de se fortassis narrarentur solo. Cœterum de Garneto, etiamtum adolescente, sed necdum Catholico is audiendus est, qui primum ex veris inuestigauit cuiusmodi esset, inde sedecim per annos intimus illi fuit Thomas Stanneyus. Glorioſus, inquit, hic martyr (hoc illum nomine appellat) in flore iuuenilium annorum, inter auditores Vvincestrensis collegij mirè excelluit. Nam ad Rhetoricam & linguas quibus erat egregiè excultus, addidit etiam musica, & canendi artem, pulsandique varia instrumenta, oris præterea, & verborum, habitusque omnis tam verecunda modestia, vt esset Magistris omnibus & Præfectis suis mirè carus, certarentque de illo apud se retinendo; ex iis duo Stempeus, & Ionsonus fidem Catholicam tacitè colebant, tertius nondum eò malorum deuenerat quò sua deinde illum peruersitas impulit. Spes quæ affulgebant temporarias Garnetus, æternorum desiderio calcauit, factusque Catholicus in Hispaniam primum deserta patria, & suis; dein Romam transiit, vbi se Deo in Societate IESV in perpetuum consecrauit. Integritatis summæ fuit, exemplique illustris eius vita dum Philosophiæ, ac Theologiæ illic operam dedit, cui postea priuato studio biennium addidit, vt Theologiæ quæ de moribus est, peculiarem assequeretur, & perfectum vsum. Præter Fabium de Fabiis, cuius magna & sancta manu in S. Andreæ formatus est tyro eximius, audiuit in studiis Franciscum Suares, Robertum Bellarminum, Benedictum Pereiram, Christophorum Clauium, ingentia nomina; docuit & ipse magna laude linguam sanctam, Metaphysica, & Mathematica, quorum subtiliora quæque, vt quæ Geometricis, Arithmeticis, & Astronomicis. Continentur, sic percalluerat, vt eum Clauius sibi flagitaret in iis docendis successorem, doleretque interea in incertos euentus remitti in Angliam. Iam quid ei Anglia debeat, tùm operariorum tùm operum ex eo colligatur, quod eam ingressus vnum extra carcerem reperit Societatis Sacerdotem; moriens reliquit quadraginta fructuosissimè occupatos: addo, quod mirum, annis decem & octo quibus nostros rexit, nihil de illo à quoquam, nisi summa cum laude scriptum. Exquisita erat viri prudentia, simulque (quod rarum) simplicitas, & candor; ad hæc ingenium perspicax, cum soliditate cordati iudicij. Experientia rerum, & agendi mira, consilij optimi mira sagacitas, artes innumeræ solertis & prouidentissimæ cautionis. Nemo tamen omnium quod mirabilius, adeo rerum inexpertus, hominumque ignarus, cui non libentissimè cederet, suumque, ipsius iudicio posthaberet, singulare profecto humilitatis sanctæ argumentum, quam

ego

ego virtutem, adeo in illa excellebat, fuisse arbitror quæ viam illi ad finem quem assecutus est beatissimum complanauit: luculenta deinde in omnis generis homines charitatis perpetuæ monumenta longum esset narrare. Deuotam intimè augustissimo sacramento pietatem & reuerentiam, tutelæ diuinæ fiduciam, factis ipsi apertis cœlitùs confirmatam; studium atque industriam promouendi nostros in omni virtute: candorem denique agendo, & summam in omni consuetudine amabilitatem. Testis sum optimus qui eius confessionibus præfui, & priuatis & generalibus, teneritatis summæ quæ minimos etiam ab eius conscientia arcebat næuos. De coniuratione autem illa cuius falsò insimulatus est, Deo teste affirmo sermonem meum cum illo vltimum fuisse illi calumniæ prorsus contrarium; interrogans enim quem essem cum iis modum seruaturus, qui Regem & consilium acerbè, & exasperatis animis linguisque damnabant, iussit illos à me seuerè argui, & si quid illos violentum moliri ex verbis iratis appareret, ab eo illos omni ope industriáque dimouerem, nulla enim aiebat turbida, & tumultuosa consilia in laudabiles exitus desinere. Obtemperarent Regi temporalium domino certarentque in ea obtemperandi laude, ipsis quoque Protestantibus eminere. Verum enimuero, in iis quæ animum, conscientiam, & religionem impeterent, quicquid essent ac possent vniuersa orbis imperia, plumæ instar haberent. Huc vsque Stanneyus de Garneto. Post quæ nihil admodum supereſt nisi vt illud iam orbi celebre de Garneti vultu in spica fortuita ab incidente cruoris eius stilla mirabiliter depicto vindicem à maledicentia hominum impiorum. De hoc enim antistes S. Audomari ad Personium scribens, *vnicum*, ait, *stramen martyris cadaueri piè subductum Victoris martyris effigiem accuratissimè exprimens confudit insensatos*: hoc est aduersarios, & interfectores, qui cum fidem non possent, suis ipsorum oculis negare (spicam enim viderunt, etiam ex aula viri primarij) alij aliò transuersi abière. Casaubonus pro sua Grammatici parte *stramineum spicæ miraculum* vocauit; artem opusque pictoris vulgabant alij. Proferebant nonnulli Garneti acta, vt hac voce actorum apud illos potenti, quod reuera erat omnino non esset. Ego pressim & ordine hac de re scripturus, narrabo imprimis, cuius in manus, & quomodo ea spica deuenerit; inde quo pacto quibusve testibus comparuerit illa Garneti mirabilis in spica effigies. Postremo quæ sint in illam obiecta & quibus diluta responsis. Ioannes Vvilkinsonus Catholicus iuuenis, artifex honestus professione sericarius, annumque iam septimum agens in tyrocinio eius artis, pridie quam Garnetus ad supplicium raperetur, agi se sensit miris modis, vt interesset eius morti, eiusque secum reliquiarum aliquid referret. Persuasione de cœtero tam vltronea, & vrgente Deum miraculo aliquo serui sui innocentiam probaturum, seque testem futurum miraculi, vt scrupulo ictus cogitationem illam reiiceret, ne videretur à Deo temerè citra necessitatem miracula expectare. Sic paucis ille de se ante mortem diebus, & habemus in tabulario testimonium eius autographum, tum eius ipsius, tum aliorum octo firmatum Chirographis. Pergit itaque narrare, se die Sabbath

ſummo mane; anteuertiſſe in foro S. Pauli locum occupare quàm poſſet patibulo maximè vicinum. Retinuiſſe locum dum veniret Henricus; conferta tunc multitudine equorum & hominum, vndiſque populi, diſiectum longiùs, ſic tamen vt ea cerneret quæ de conſuto modeſtè induſio diximus. De viuo reſciſſi capitis colore, de ſilentio populi ad eius oſtentationem, quo ſignificauerat populus credi ab ſe Garnetum innocentem. Secto tandem in quadras corpore, decedenteque turba, eodem quo prius deſiderio incenſus reportandi ſecum aliquas eius reliquias, inter pegma patibuli, & currum ſe inſinuauit in quem coniecta ſunt à carnifice cadaueris membra cum capite, & matta ſtraminea, in qua conſciſſum fuerat cadauer. Hæc dum temerè in corbem carro impoſitam proiicit carnifex, vnde vnde, vel carro, vel corbe, vel pegmate, in eius manus exiliit ſpica, guttis aliquot aſperſa ſanguinis, Diues & lætus hoc pignore abſcedit, deponitque illud inter manus Mariæ Bellamyæ Hugonis Griffiti coniugis, Catholicæ in paucis eximiæ, quæ & ipſa reliquiarum eiuſmodi ſummo deſiderio tenebatur, & acceptam ſpicam theca incluſit criſtallina. Poſt dies aliquot familiari ſuo Thomæ Laithuvaio dum illam exhibet videndam, defixis ille in eam oculis, contentius intuens Garneti effigiem in grani vnius folliculo aduertit ſcitiſſimè expreſſam moxque illam Mariæ, & Vvilkinſono eius antea inſciis oſtendit, inde aliis atque aliis, excitis rei nouitate, qui primo aſpectu ſtatim omnes Garneti vultum agnouerunt. Hactenus Vvilkinſoni moribundi relatio quam Deo teſte appellat veriſſimam. Pergitque narrare motus mirabiles quos inde per dies aliquot expertus eſt, & mutationem interioris hominis repentinam, concepto in Dei offenſam implacabili odio; magnis, celſiſque de Deo ac perſpicuis ſenſibus ſanctoque incenſis ardore, multa pro Chriſto tolerandi; vitæ denique longè in melius mutandæ; quæ ille omnia Garneti meritis tribuebat, cuius, inquit, mihi tunc ingentem gloriam videbar ſpectare inter tot millia ſanctorum hominum. Fixus ergo vitam in religioſa familia Deo conſecrare, aliquandiu hæſit inter Chartuſianos, an vero inter noſtros; in adiutorem temporalium ſe noſtris obtulit, ſed cum ingenio valeret plurimum, excitatus eſt ad literaturam ſtudio quærendam quæ ſufficeret Sacerdoti: venditis igitur quæcumque habebat, nauigauit in Belgium & Audomarenſi ſe ſeminario tradidit, nec plus vltra ex eo Deus repetiit. Illic anno ſequenti (verbis vtor Ioannis Gerardi) vt ſanctus vixerat obiit item ſingulariter ſanctus, pauloque poſt ſubſcriptam eorum quæ diximus narrationem ab ipſo factam, à Prouinciali petiit in noſtrorum adſcribi numerum moxque viribus & ſenſibus defecit, niſi quod quacumque moueretur & circumageretur Chriſti de cruce pendentis effigies, eo ſemper intentos habebat oculos dum in IESV & MARIA ſuauiſſimè expirauit.

Ad ſpicam redeo quam prudenter Griffitus credidit occultandam, ne quod ſibi malum accerſeret eius miraculi diuulgatione. Paucis tantum, & fidis inter Catholicos oſtendit à quibus ſibi nihil metueret, rumore tamen qualicumque Anna Vaux permota cum ad eam videndam accurriſſet, non fuit

fuit multo oculorum acumine, ac studio opus, ad recognoscenda, oris nativi lineamenta, frontem, clausos oculos, cilia ipsa, barbam, nasum, & buccam & genas & colli truncum; in quæ nullius tam arcto spatio mortalis penicillus, cruoris guttam tam scitè ducere tam ad viui verique similitudinem potuisset. Anna vt erat in diuinis etiam quandoque ardentior, rem à se conspectam vulgare non distulit. Hinc tantus ad Graffitum accursus, vt præuideret vel sibi pereundam, vel perituram spicam, nisi tutis eam in manibus locaret. Ergo illam habuit deinceps apud legatum Hispaniæ tuto depositam; habiturum libenter suam, & propriam, si quid apud Graffitum valuissent aurei sexcenti quos illi hoc fine ab legato oblatos refert idem quem superius laudaui Audomarensis Episcopus. Legatus interea qui nihil metueret, non fuit parcus illius exhibendæ quibuscumque inesset desiderium illam curiosius spectandi. Spectarunt itaque ex interiori aula præcipui, ex Comitibus Houvardiis vnus; Salisburiensis (Cæcilius,) Suffolciensis, eiusque vxor quæ in aula regnabat, inspectoque prodigio ausa est sacrilegè dicere, hoc esse illustre miraculum nisi fuisset occupatum in delineando proditoris vultu. Comes vir eius, aut diabolum elaborasse illum in ea spica, aut suam cuique illum in eadem imaginationem deceptam fingere. Indignè Rex tulit quod fiebat, nec inde vllus ad eam visendam vel accessit, vel se vidisse confessus est, nisi multa in eam cumeret. Misit ad Legatum Cæcilius, qui Regis nomine dolerent tantum hosti suo honoris impendi, vt eius effigiem suo in sacello inter sacras reliquias coleret, peterentque eandem effigiem ad Regem deferendam. Paucis negatum est inter altaris prostare reliquias, cæterum fuisse homulo restitutam, à quo visendam acceperat; quem nec ipse nosset, nec posset inter tot proletarios reperire. Nunc beneficio eiusdem legati hanc possidet Leodiense Collegium. Vt autem sermonibus imponeretur finis qui sanè attoniti tota Anglia crebrescebant; consultò visum est rem totam in causam deducere, vt quod factum negari non poterat, Iesuitarum & Papistarum fraude statueretur esse factum. Fuit hoc inuentum sceleratissimi Cooxei, qui damnari se cœlitus sentiebat celebratione viri sancti in cuius damnationem se totum exhauserat. Causa erat fori Ecclesiastici, Ricardus Bancroffius Cantuariensis Archiepiscopus homo Regis potius quam Dei, initium dedit à citationibus personarum. Requisitus est sed frustra Vvilkinsonus, iam enim migrarat Audomarum, Protestantes iuxta cum Catholicis in Examen vocati; clausus est carcere Griffitus Laithuvaius, nobilis Bistonus, & alij. Erantque Iudicibus duo proposita, primum euincere probando non esse illam Garneti effigiem, alterum opus esse artis. Vtrumque Abbotius tradit euidentissimè probatum, sed cum Graffitum testantem inducit, non fuisse magis illam Garneti effigiem quàm alterius cuiusvis; Graffitum in contrarium habemus testem qui se ait fuisse illico soluendum carcere, si adduci potuisset vt diceret, vel non fuisse illam Garneti effigiem, vel se sua deceptum imaginatione talem credidisse. Fuisse vero carceri addictum quod dixisset, quàm est sua D. Cooxei quam cerno vultus effigies, tam est P. Garneti quàm cerno

in grani folliculo depictam; fuitque testium reliquorum sermo idem & sensus. Restabat igitur probandum opus esse artis. Id autem quàm lepidè, & argumentis quàm fortibus? Vvilkinsonum non norant, sed norant esse spicæ inuentorem ornare igitur illum præstantibus titulis, fraudulentum, idiotam, superstitiosum, fanaticum, mente captum, miraculorum simulatorem ad Iesuitarum captandam gratiam, sed enim Deo laus quod ex morbo sanus, sub cuius extremum de spica fuerat testatus, quandoque fortassis falso iuratum reuocaturus est. Hæc de illo Abbotius sua illa mentiendi ingenuitate, sex post mortem annis viuentem exhibens. Collectis ad hæc pictoribus Archiepiscopus, qui vel censerent essetne artis opus, vel experirentur imitari, quod in cassum & quicquid aduersarij iactitent, longè semper ab archetypo tentarunt, cuius causam quærenti Archiepiscopo, pictorum vnus mirabilem edidit, quam iuuat hic ferè ab aliis omissam ex P. Ricardo Holtbeyo audire Garneto suppari, & in missionis illius Præfectura digno successori. *Super exterius*, ait, *tegumentum, sine thecam in qua granum siliginis fuerat infixum, apparet integra viri facies, fronte, naso, genis, oculis clausis, ore, barba atque collo: quæ omnia tam artificiosè ac mirabiliter descripta sunt, vt peritus quidam pictor, curiosè post eam formam intuitus, coram Archiministro Cantuariensi, non veteretur asserere, neminem in tota vrbe vel peritissimum reperiri qui vultum similem nosset depingere. Causam scisciatur Episcopus, Respondit pictor faciem hanc ex vna parte aspicienti se prodere, ex alia vero penitus non apparere, cuiusmodi effigiem facere non est humanæ artis maximè in spatio tam exiguo.* Quod mihi tam fidum & luculentum testimonium, instar sit aliorum qui multi ex Anglia prosecuti sunt fusius admirabilitatem rei tantæ. Impleuit ille picturæ atomus & veluti punctum, historicos Angliæ & annales, fuitque concors omnium iudicium voluisse Deum hoc ostento serui sui innocentiam vindicare a ferro potentium, & stylo calumniatorum, ex quo iure animaduersum est non modò à Catholicis sed etiam à Protestantibus prodiisse in publicum spicam Garneti effigie stupendam, & librum Comitis Northamptoni recoctis in Garnetum accusationibus infamem, quibus adeo nihil egit in deterenda illius gloria, vt traduceretur Comes peruulgato populi scommate. Garnetum inserta in oram spicæ suæ lancea, suo Northamptonum ephippio mouisse.

Dum

Dum necatur Londini Garnetus exit Ioannes Gerardus ex Anglia. Quæ fecit & passus est per annos octodecim. Nouo Regis edicto pelluntur Sacerdotes. Retinetur P. Strangeus, & crudeliter laniatur.

CAPVT XIII.

CVRATIONES non attigi quas sibi aliqui ab Garneto affirmant cœlitus impetratas. Vnum tamen supremi remedium mali, curatione quauis & mirabilius, & credibilius præterire non debeo quod sibi Gerardus ab intimo suo, & cui erat addictissimus Garneto certo censuit obuenisse. Vnus enim ex tribus cum esset quos contra ius omne Cæcilius Regis edicto inuoluerat, tanquam reos proditæ maiestatis, & quibusvis regni totius angulis suspicioſissimè quæreretur, grandi suo periculo in portum euasit vnde Hispaniæ legatus, & Belgij soluebant ad reditum; at ij quicquid promissum huic esset negant se omnino in nauim admissuros, Regis offensionem reueriti quæ futura esset longè grauissima, si quod erat pronum, resciisset postea ab iis sibi ereptum hominem quem habebat pro hoste, & insidiatore. Dies erat Maij tertius Garneti supplicio dictus, hora nona post noctem mediam, quo puncto temporis Garnetus necabatur, cum repentè mutatis aduersus Gerardum animis legatorum, suis ipsi manibus veste illum nudant, ab exploratorum indiciis non satis secura. Familiarium suorum, & Comitum vestibus cultuque subornatum, in nauim inducunt, secumque in Belgio velut vnum è suis statuunt. [Aliud quoque (narrat idem Gerardus) Patri Garneto debere me fateor, professionem scilicet votorum quatuor in Societate tribus item post annis eodemque Maij tertio, immerenti concessam quod vt propensius auctore illo gestum putem, euentus vtrinque similitudo quædam facit; vt enim illi mors in primum Maij indicta, in tertium deinde translata est; sic ad Maij primum edenda mihi professio cum esset, in diem tertium est dilata, mihi quidem eius morte sanctissima; illi crucis inuentæ gaudio solennem.] Sint hæc pro scitu iucundis obiter notata, pro mysteriis nequaquam; virtuti tamen Gerardi debita, qui Adiutorum spiritualium gradui destinatus, raro sed iusto prærogatiui iuris beneficio ad professionem votorum quatuor est vocatus, virtutis excellentia qua valebat excellentiam doctrinæ qua carebat supplente. Vtque hic fileam quæ partis agen-

do ferendoque meritis adiunxit, per annos quibus vixit superstes vnum & triginta; libabo pauca de virtutum laude quas extulit secum ex Anglia.

Mihi quidem virtute Gerardo parem videtur Anglia neminem habuisse, seu priuata & propria, siue in curas, & labores distenta salutis alienæ. Ab hac incipio. Impetrarunt enim illum à Garneto ardentes literæ ac preces virorum illustrium ex Prouinciis diuersis, & frustra fuisset plus in anno semel mutationem illi hospitij optare; vt enim aliquo pedem immiserat, ardebant circum omnia extemplo igne Christi, sed absque strepitu qui vel in se manus aduersariorum aduerteret, vel adspectum in Catholicos quibus laborabat. Habebat enim hoc infusum diuinitus ac peculiare vt conuersiones animorum ingentes silentio, & solitudine meditationum præstaret solidarum, quibus in excolendis animis nihil reperias ad mutationes repentinas, difficiles, durabilesque potentius, penetrabat se miris modis in amicitiam intimam nobilium Protestantium, & seruata vbique exquisitissimi decori gratia, sic illos sibi studebat demereri, vt tandem demereretur Deo. Ignotus & sola Catholici nobilis persona vtens, quæritabat subinde, de religione, proferebatque non ab se rationes, sed velut auditas à doctis hominibus, aut lectas referebat; de conscientia subinde, de anima, de rebus æternis, ea suauitate sermocinabatur, eaque sensus intimi saliua, & affusione diuini luminis, vt salubriter animo iam icti, rogarent interdum in aurem tacitè, Sacerdotem acciret qui se in Ecclesiæ primum tum Dei gratiam confessione audita restitueret. Ac si fieri posset non alium legeret quam à quo ipse tam doctè diuinis esset informatus quem ferè non putabant alium à Iesuita esse. Tunc vero aut præsens ipsemet, aut vbi sensisset opportunum aperiebat se ex societate Sacerdotem, iisque suam operam cum deferret, viciſſim illi se in filios & discipulos dabant, erudiendos amplius & in diuinis promouendos. Qua in re lepidum quod illi contigit cum nobilissimo Protestante qui domi iam diu illum habuerat in gratiam vxoris quæ clam dogma colebat Catholicum; & fratrem qui palam Catholicus; præter hos duos, tota familia Gerardum nobilem, elegantem, disertum, peregrinitatis omnis maximè curiosum, & in venatione aucupatoria Magistrum obseruabat. Tandem ergo patre familias ad mentem Deumque sensim reuocato, rogatus ab illo est vt sibi curaret Sacerdotem à quo confitens audiretur, & reconciliaretur Ecclesiæ. Promisit Pater se facturum, & sub primos noctis eius somnos adfore quem volebat. Illum interea de confessione vera, efficaci, & seria edocere, quæ se à præstantissimis Confessariis audiebat didicisse minutim illi explicare, & quæ ad fidelem animæ conuersionem proficisci ex sacra confessione oportebat. Incubuerat clausa nox, & composuerat in somnum totam familiam, cum se illi Gerardus sistit inuenitque orantem de genibus, breui deinc interiecta mora reuertitur, sed Societatis indutus vestem, prælucente pœnitentis fratre. Primo tunc aspectu minimè agnitus, expectabatur enim ab eo alius; mox vero ingenti animi voluptate & admiratione complexu intimo tam piè ardenterque exceptus est, vt post confessionem illam obitam semper in posterum Patris eum

loco

o eo, amici ac fratris semper habuerit. Fuit hoc Gerardo ante omnia palmare propositum vt aggrederetur patres familias, expertus totam post illos familiam, vel ad rectam fidem, vel ad cursum virtutis facili negotio subsequi. Qua primum in domo constitit post suum in Angliam ingressum, familiarum capita viginti ad Deum conuertit, notæ omnes primariæ nobiles, & numerosi famulatus; inferioris ordinis absque numero alias, & hæc omnia breuissimo tempore. Londini & ipsa in Elizabethæ & Iacobi aula prædas egit lectissimas, & difficile dictu sit quàm multos variè ac periculosè laborantes feliciter iuuerit, sanarit, seruauerit, haustis quotidie ex die strenuè sudato viribus in sequentem, ob iactæ sementis prouentus supra spem copiosos. Cum hæreticis congressurus adoriebatur ferè voluntatem, cuius vt plurimum deprauatio inficiebat errore animum; si tamen esset cum iis acturus quos suus penitus possidebat error, nitebanturque doctrinæ præsidiis quanquam falsis, hos vero solida qua pollebat, diuque exercita dexteritate concertandi, argumentis, & auctoritate, sic stringebat, vt eos secum & cum vero sentire cogeret, demptis solum ministellis & prædicantibus, qui ex docendi ministerio victitant. Horum ægrè tot annis vnum conuertere valuit: narrat ipse, quod possit pluribus de hoc voluntario errore prodesse. Sublimis ingenij matrona nobilis, hæretica licet non tamen adeo abhorrebat ab impressionibus diuinæ gratiæ, vt non esset eas docili studio exceptura, si animi sui fluctuationes meliori consiliario credidisset, nec cæcum legisset in ducem veritatis. Hærebat anxia inter Catholicum, & Caluini dogma vtrum esset illud antiquum & verax, in quo vno nobis spes esset tota salutis reposita. Pernyum euocat in Academia Cantabrigiensi tunc celeberrimum, solaque semotis arbitris, per sanctum Dei nomen, perque supremum iudicij diem obtestatur ne vellet se quod res erat cælare, sectasque tot inter quæ regnum scindebant, quænam esset verax, & recta, & sola indicare, in quo esset iure sempiterno salutis stabilienda fiducia. Hic totum se colligens Pernyus respondit quod petis Illustrissima Domina, & per se tanti est, & tanta tua poscitur obtestatione, vt si verum cælarim & petitionem tuam fefellerim, peccati reus futurus sim nunquam remittendi, æternum puniendi; sed secreti fidem mihi quoque præstitura es sanctam, nec enim opinor gratum habueris vtile tibi à me consilium meo damno, præberi. Accepta igitur secreti fide, vt viuas, inquit, læta, vel iis saltem infestationibus libera quibus in dies crudelius Papistas lacerat Regina, Caluinum viue, vt & illa viuit. Verum enimuero ad mortem quod attinet, & consequentem morti animæ salutem, edico, Catholica morere. Nec potest aliter fieri, nec alio quam quod tibi auctor sum consilio viuo. Sic ille quam verè tam stultè, nempe Deum pro sua circumacturus libidine. Nocte igitur quadam dum se domum refert edormiturus lautam cœnam quam cum Eboracensi Archiepiscopo sumpserat tam improuisæ mortis repentino & formidabili confectus est telo, vt nec sui nec Dei meminerit. Infelix eius discipula, sceleſtum secuta consilium, & in eo à fratre pertinacissimo Caluinista durius obfirmata, morsu tamen surdo conscientiæ inquietæ dilaniabatur.

perpetuò quo acta in peius studebat, contendebatque defendere non tanto-pere Caluinismum differre à fide Catholica, vt propterea Deus homines damnaret. Sed quandoque tandem genio sancto duce in colloquium incidit cum Gerardo cuius erat magna sanctitatis & doctrinæ, fama, vnoque illius aut altero sermone in absolutam euasit Catholicam, vixitque deinceps constanter talis, qualis Pernyus sat habebat mori, & à paradiso bestiarum in terris, momento transferri ad paradisum Angelorum.

Allectos vt dixi suauiter ad Deum, Garneto nihil erat antiquius quam vt eo perfectæ virtutis promoueret, vnde possent aliis Magistri esse, ex quo fiebat vt eius formati ductique pollice, igni eius arderent, nec solum familias integras, sed totas circum inflammarent vicinias. Ad hoc prima eius cogitatio hæc erat eiusmodi ponere fundamentum cui posset tuto quantacumque sublimitas imponi: quare illorum initia quos ad summam virtutem erudiendos susceperat fundabat exercitiis S. Ignatij quæ totam ex eius manibus exerebant vim suam, hoc est hominum transformationes miraculo pares. Dabant enim cæcis lynceos oculos ad cernenda æternitatis & futuræ vitæ inuisibilia, sola hominum ambitu, & amoribus digna, euanescentibus in eorum æstimatione & conspectu caducis omnibus velut puerorum crepundiis. Exercitia porro cùm traderet, non consueuerat nisi plenis hebdomadarum quatuor spatiis absoluere, quaterna in diem horarum quatuor meditatione, & aptis cuique hebdomadæ regulis. In quibus vir nobilis dum Gerardi ductu exercetur per dies aliquot contemplationibus optimè conceptis, diligenterque comparatis, non magis afficitur quam si foret truncus, aut silex inutilis, eadem vbique obcuritas animi, eadem glacies voluntatis: haud tamen cœpto vel abstitit, vel horis præscriptis detraxit atomum etsi horam quamque pro die computaret: durauit constanter ad finem secundæ hebdomadæ, magno interea beneficio & lucro ducens, quod vel daretur coram Deo in genua, eius venerari præsentiam & clementiæ momenta expectare, cum ecce tibi, tam improuisa & tanta Ioanni (hoc erat viro nomen) de cœlo æternorum lux, & ardor, vt neutrius satis capax refunderet vtrumque per oculos non lachrimis solum, sed fletu abundanti atque perpetuo cum affluxu delitiarum à quibus non posset mentem amouere, effundentibus sese in fletum continuum & mentis gaudia impressionibus obitarum meditationum. Quare cum subinde Gerardus illum ad varia negotia duceret, sequebatur fixis in cœlum oculis, immersoque in Deum animo, velut sui omnem exutus sensum, & nusquam minus præsens quam vbi esset & ageret. Inde illum videntes Catholici nunquam non humentibus madere oculis, eius obliti nomen cognominarunt *Ioannem flentem.* Cuiusmodi fructus Exercitiorum vtinam per alta Christianitatis tutaque otia, vel decenniis singulis tot numeraremus, quot per atrocia, & sanguinolenta Angliæ tempora legebat annuatim Gerardus. Exibant ex eius manibus, artem meditandi sic ritè perdocti, sapideque experti, vt vnam quotidie horam illi tribuerent. Inde sibi viuendi ordinem præscribebant constantem, & ratum, piis distinctum exercitamentis,

tis, discussione operum, & cogitatorum; lectione rerum diuinarum, sacrorum frequentatione; pauperum, miserabilium, captorum, vacillantium & lapsorum subsidiis qua temporariis, qua Catholicis, & diuinis. Postremo eadem è schola prodibant in direptionem bonorum suorum, in exilia, dedecora, cruciatus, mortemque ipsam quamlibet immanem, & barbaram expediti. Quam multis autem religiosos ordines auxerit, coniecturæ sit quod ex decem in Clinexio carcere ad fidem conuersis religiosas familias quatuor subiere. Societatem nostram viris egegiis summeque frugiferis ditauit, Seminaria Belgij, Hispaniæ, & Romanum magnæ spei alumnis; Belgij Parthenones virginibus nobilissimi sanguinis. Totus quidem omnium in iuuandis omnino vniuersis, sed in sui cura virtutisque propriæ pluspuam totus, vt quæ nisi Apostolicis muneribus vigorem, & afflet & affundat, necesse sit ea effœta, & sterilia iacere. Hinc ille tam impatiens Catholicorum in eum amor vt eo carere non possent; Protestantium & odium, & veneratio, quod perspectam quam nollent imitari haberent eius sanctitatem. Ipsi quin etiam custodes carceris cum quibus aliquandiu variis locis egit, & reuerebantur, & deprædicabant cum admiratione velut sanctum: homines alioqui hæreticos, malè natos, malè comparatos excipiendis non modo fatibus diuinæ gratiæ, sed humanæ etiam comitatis, adeò sibi deuinxerat vt grandi suo periculo ministeria sacra, in carcere illi permitterent libera. Conueniebatur illuc ad conciones, ad sacrificium, ad Eucharistiæ diuinæ sumptionem, verso prope in templum carcere, eiusque dictis sic incendebantur vt custodiam pertæsi carceris alij Catholici fierent; alij, quod mirabilius, hospites Catholicorum Sacerdotum. Stupori fuit vnum in hominem duo conuenisse, quam longissimè inuicem disiuncta. Operarium scilicet curis, itineribus, latebris, simulatione personæ multiplici distentum perpetuo, agendo, sudando, succurrendo quacumque opus esset, hoc est Anglia vniuersa; & Nouitium, ac tyronem aut Nouitio similem. Dici enim potest nihil dissimile à Nouitio habuisse, præter celsam perfectamque virtutem, & Magisterium diuinorum, in quo posset Magistros etiam optimos habere discipulos. Catholici nobiles apud quos degebat, plus illi domi suæ tribuebant imperij quam sibi. Hoc ille imperio vsus, familias totas suis præceptionibus in omnem formabat non modo virtutem Catholicam, sed religiosam, ita illas aptabat ad amussim domorum nostrarum partitis in horas, parteque horarum diebus ad silendum, meditandum, legendum, studendum, audiendum, nisi publicus labor alio vocaret. Semper enim solitudini publicum; securitati periculum, & vitæ suæ conseruationi, salutem anteferebat alienam. Bis saltem quotannis vndecumque Garnetum adibat sibi Præpositum, depositisque apud illum rationibus animi accuratione singulari, eius excipiebat consilia & nutus, postque obitam peccatorum semestrem exomologesim vota instaurabat, vt solenne est nostris qui nondum in gradu religiosæ obligationis vltimo (apud nos satis sero) constitere. Moris huiusce vsu, ait, in sua hist. M. S. nullum expertus sum mihi & aliis, maiori fuisse adiumento, ego quidem

ingenuè fateor, nihil me probasse vtilius, ad huius etiam vineæ culturam. Nec enim tunc solum tranquilla fruebar animi voluptate, sed iuuenescere me quodammodo sentiebam, & nouis ad maiora desideriis animari; quare si minus officiis debitis satisfeci, non possum aliò culpam hanc nisi meum hunc in socordem, & ingratum animum conferre. [Non possunt certè ad apicem virtutis absolutissimæ validiora præsidia suggeri quam quæ de peculiari suo Societas suggerit.] Hæc de illis Gerardus ipsemet, quibus tamen intercluſus est aliquando, vt in Clinckio carcere, vbi meminimus suo loco vitam illum egisse in specu angusto Anachoreticam contemplando, dolendo, voluntariis se pœnis diuexando, quarum alias quoque fuit in se semper admodum liberalis. Sed hic de illo finis esto. Anni quos egit superstes vnus & triginta quibus Tomsoni accepit cognomentum ob indefectum Iacobi Regis contra se odium, argumenta sunt alterius temporis & locorum.

Non est tamen hoc æui sexto anno prius excedendum, quam memineri-mus nouas leges Maio desinente in Recusantium capita Parlamento sciscente promulgatas, quas etsi acerbas idcirco prætereo quod crudioribus subinde sæuitum sit. Iussit Rex Iacobus edictione tristi, & pauenda Sacerdotes omnes intra statos dies in exilium abire, iis interea quos carcer, latebræ, & quicumque alij tenebant receptus, onerata est nauis deportatique sunt extra Insulam. Hæsit tamen P. Thomas Strangeus in insula (vnus inter multos, Gerardi ab Exercitiis S. Ignatij fructus) vir egregius sed à Vvadeo ter triduum tortus; altero triduo excruciatus manicis ferreis, totos inde quos vixit annos triginta tres, elumbis, captus membris, doloribus capitis vexatus, sanationis expers egit. Fui, scribit ad P. Holtbeyum Præpositum suum *in faucibus terræ*, & in domo Capituli triduum. Intelligis reliqua, mea summa infelicitas est, quod frustra tam prope à felicitate postrema abfuerim, teneor etiamnum inter compedes gratis, fatentur enim ne suspicioni quidem ad fulciendam contra me causam locum esse. Hunc Cæcilij instinctu à Vvadeo turris Præfecto tortore nobili tam dire habitum vt crudelitatem eorum toto corpore prædicaret, vetuit Cæcilius extra Regnum agi, ne infinitam illam aduersus Sacerdotes Iacobi Regis clementiam cuiusmodi esset, reipsa ostentaret. Huic in manicarum equuleo pendenti ministellus insultare aliquid ausus est de Religione, cui Strangeus (vt olim alij) scande inquit, hoc mecum in pulpitum vt pugnemus hic æquo marte.

Nouo fidelitatis Iuramento Iacobus obstringit Catholicos. Quam acerbè illud exegerit Eboracensis Archiepiscopus. Quid in eo egerint P. Holtbeyus, & Archipresbyter Blackuuellus. Duobus Pauli V. diplomatis breuibus damnatur idem Iuramentum. Labitur Blackuuellus, & iurat, magno illorum periculo quos erat secum in ruinam tracturus, nisi P. Guillelmus Vvrightus obstitisset. Vvrighti carcer, discrimina, liberatio, sudores pro fide Catholica. Libri Romæ scripti à Card. Bellarmino, & à Personio contra defensionem illius Iuramenti.

CAPVT XIV.

SPERABATVR funestus cometes coniurationis execrandæ, pestem suam in annum seculi septimum haudquaquam sparsurus, sed probaturus Rex ipsis rebus quod vniuerso regno edixerat. Coniurationis illius monstrorum parricidium paucorum fuisse, nec debere Catholicis omnibus re vlla officere vt qui essent Principis, publici, & fidelitatis suæ peramantes. Verum enim vero Regis Consiliarios diuidebat ab animo lingua, iungebat solum vtilitatis punctum ex quo dabatur intelligi, quo modo aientes & negantes secum tamen minimè pugnarent. Velut ergo fideles Catholici, fidei essent maximè dubiæ, ac prorsus immunes coniurationis, eam forte interius probarent, solumque damnarent illius exitum, consilium amarent; securitati suæ Rex in posterum cauens lege in illos sanxit vt adstringerentur *Iuramento*, quod *fidelitatis* præferebat nomen. Huius cum satus virulenti Ecclesiam illam supremis attriuerint, ac perdiderint malis per annos multos consequentes, æquum est sciatur cuiusmodi fuerit.

Continebatur octo capitibus Iuramenti forma ex hoc vno aptis; perinde Papam in Regem Britanniæ, subiectos Regi, eiusque ditiones, nullam habere sacram seu spiritalem potestatem, vt si nullus omnino esset. Sic in eos nihil posse seu cogitaretur vt Papa auctoritate Ecclesiæ præditus, seu Romanæ sedis. Quod variis tum circumscriptis tum absolutis distinguebatur modis, cunctis tamen à Paulo V. & Iacobo Rege in omnes Ro. Pontifices

& Reges Angliæ transfusis quocumque essent sæculo victuri. Interea vero si quem Regi subiectum iuratæ fidei, & obedientiæ debitæ solueret Sacramento, quacumque tandem ex causa id fieret fore nihilominus Regi fidelem & obedientem. Positionem vero hanc Regem anathemate à Papa ictum, & iure coronæ priuatum posse à subiectis sibi populis deponi abominantur, & iurant hæreticam. Ad hæc Papæ nullam inesse potestatem ab hoc eos omni iureiurando, omnibusque iurandis absoluendi seu eximendi, cum & esset iis delatum Iuramentum à legitima potestate; & iummunitatis cuiuslibet abnegatione admissum; & vltro voluntarie verbis planis & vulgi vsu tritis, omni procul vllius æquiuoci facultate. Hæc erat iurisiurandi summa, quo non vsus solum Pontificiæ in Anglia potestatis vetabatur, sed conuellebatur penitus & abrogabatur Christi Vicario in omnes Christianos potestas diuina, & profitebatur iurans tot Sacerdotum & laïcorum fuisse cruores inglorios & conscelcratos quot à secessione Henrici octaui fuissent in hanc diem necati; damnationes illorum tanquam rebellium iustas; mortes ab Henrico, Eduardo, Elizabetha iis iure inflictas tanquam præconibus alienæ dominationis, summæque in regia etiam capita potestatis. Et in hoc sudabat pro Elizabetha sua senex Cæcilius, scripto vt fama est, vulgatoque de Iustitia Britannica infausto abortiuo, instabat quoque Rex Iacobus cùm scriberet. *Id constanter asseuero, & in apologia mea posui, hic neminem siue meis, siue defunctæ Reginæ temporibus, conscientiæ, & Religionis causa affectum esse supplicio.* Aliter censere *meram esse calumniam meram sycophantiam affirmat* Casaubonus cui ex Anglia ministellorum crepitacula omnia succinunt. Hinc illa consequitur ipsomet à Rege Iurisiurandi defensio qua negat exigere se à Papistis, nisi mere ciuilem obedientiam à subiecto fideli Principi debitam. Bellè prorsus, sed redacta prius in nihilum quam debent Christi Vicario vbique terrarum fideles omnes obedientia qua sublata solus in Regno suo Rex omnem subiectorum sibi obedientiam vendicabat. Quàm autem verè iurantibus particula illa in os inseratur qua iurant se *liberè* vltroque ac sponte iurare, patet ex pœna inexorabili, qua mox Recusantes, iactura mobilium multabantur, stabilium vero duabus tertiis in fiscum redactis, quæ supererat tertia Episcoporum dabatur arbitrio ex causa enim tribunal Ecclesiæ spectante vt tum Iurisiurandi, & hæreseos, qua (qua illos definierant teneri quicumque vllam Papæ in Anglia, & sedi Romanæ iurisdictionem spiritalem tribuissent) si quos boni Episcopi excommunicassent, hoc iis à fisco bonorum residuolo permisso, se suosque filios saginabant. Ac ne familiæ nobiles re omni sua spoliatæ, nudæ per vrbes vagarentur, earumque in se miserationem, crudelem, & probrosam in Episcopos cierent inuidiam occursum est scilicet huic malo, damnatione perpetui carceris. Catholicos lego magnanimos duodesexaginta Recusati nomine Iuramenti Eboraci fuisse carceri mancipatos; illorum quadraginta nulla vnquam spe libertatis aut lucis carcere sepultos. Erat hoc illustre facinus Matthæi eius vrbis Archiepiscopi, Iuramenti exactoris adeò seueri, & eorum qui id recusarẽt Inquisitoris solliciti, vt illi nõ sufficeret

ret suorum sagacitas atque audacia. Præibat ipsemet suæ lictorum familiæ mandata exequenti, scrutator idem, iudex, & damnator; habebatque huius feritatis Londini exemplum nobile, Cookeum qui de Regis mandato edita declamatione Iudices, præfectos, delegatos, inuestigatores extimulauerat ad discernendos interdiu arrectis oculis rebelles; manibus noctu strenuis, & paratis prendendos quoscumque indicia facerent Recusati suspectos Iuramenti, maximè si forent Sacerdotes; si vero Iesuitæ, ad configendam clauis eorum vel vmbram ne corpora ipsis euaderent. Ad hoc deputatus quidam Talboxius velut carnificum primipilus Regio armatus brachio circumducebat turmam promiscuam lurconum flagitiosorum, nullis aliis instructam & decoram armis præterquam multiplicis ingenij machinis ad perfringendum, euertendum, suffodiendum, reuellendos ipsis vsque ab inferis Recusantes, Sacerdotes & supellectilem Altarium sacram.

Vidit illico Ricardus Holtbeyus in officio regendi Garneto suffectus, quoad Iuramentum, haud minus fore cum quibusdam (esto Catholicis) quàm cum Regiis Ministris negotij. Quare nostris proinde indixit ne quid prorsus mouerent; responderent nudè interrogantibus liceret nec ne, id Iuramentum admittere. Cæterum in scriptis, concionibus, & publica omni explicatione argumento illo penitus abstinerent ne qui erant procaci ad contradicendum natura incalescerent subito, & sua hæretici gestirent voluptate, quibus æquè cordi nihil erat quam vt scissos Catholicos in partes, & studia cernerent. Sub hæc Blackuuellus & sui aliquot assessores Holtbeyum consulunt, vt statuerent inter se de doctrina, & vsu Iuramenti quid esset iure sentiendum, quid tutò populis suadendum. Sed deprehensa in quibusdam debilitate animi tenera; iudiciorum vero pugnantia in multis, quibus suum non erat moderari, & legem ponere, aut de Apostolici Archipresbyteri (qualis erat Blackuuellus) auctoritate sibi aliquid arrogare, significauit illi simpliciter suam mentem. Non posse Iuramentum salua conscientia admitti, sed quod vnum videbat offensionis cuiusvis periculo, & erroris carere, Iuramenti apographum transmisit ad summum Pontificem, quærens de illo quid esset sentiendum quid agendum, pro summa potestate decerneret. Nec multo post aliis interpellandus fuit literis Pontifex, ob repullulans virus erroris veteris, de adeundis Caluinistarum templis, seruandaque hoc leui cum iis assensu conscientia, & bonis. Hinc iam interea Blackuuellus Consiliariis duobus improbis, mente, improuida & metu auditisque simpliciùs duobus qui ad Regis partes defecerant cum iis sensit. Posse Iusiurandum à Catholicis admitti salua Religione Catholici nominis, sed expectandum super eo quoad esset publicè definitum. Auditus fuerat Iacobus in frequenti aula cùm diceret ita se acturum cum Recusantibus vt descenderent ad inferos nudi, bonisque quod doctè Ministri Regij capiebant, quæcumque in vita possedissent spoliati. Accesserant nouæ à Parlamento leges, quibus parte bonorum magna, auctoritate, officiis, pensitationibus, annuis censibus priuabantur. Recusantibus Iuramentum, incumbebat iactura mobilium & stabilium quæ forent residua, bonorum, ipsiusque in per-

petuum libertatis. Hoc tam intolerabili pondere Archipresbyter animo pusillus, & Dei fiducia; opprimendam putauit illam Ecclesiam. Hanc ergo ne aduersarij opprimant, fiat sanè quod volunt, hoc est (mirumque id non animaduersum) opprimatur. Sub hoc temporis Roma venit Pontificium diploma breue quo decernebatur quid sensu, factuque opus esset, quoad adeunda Protestantium templa, & admittendum quod exigebat Rex fidelitatis iusiurandum. *Zelo*, aiebat, Paulus V. *Pastoralis officij & pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assiduè laboramus; cogimur monere vos, atque obtestari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne in Dei iram incurratis. Non licet vobis hæc facere sine detrimento diuini cultus, & vestræ salutis. Quemadmodum etiam non potestis absque euidentissima grauissimaque diuini cultus iniuria, obligare vos Iuramento, quod similiter maximo cum nostri cordis dolore, audiuimus propositum vobis fuisse præstandum.* Hic verba Iuramenti vt erat conceptum integrè distendit. *Quæ cum ita sint, vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet quod huiusmodi Iuramentum salua fide Catholica, & salute animarum vestrarum, præstari non potest cum multa contineat, quæ fidei atque saluti apertè aduersantur.* Non poterat clarius exprimere Pontifex, quid vtrobique de iureiurando, & vitandis Protestantium ritibus sentiret ac iuberet; acceptum Blackuuellus de manu Holtbeyj diploma Pontificis, vix adducebatur vt proferret in lucem atque vsum nisi sua quadam interpretatione enerùatum planeque inutile, aiens, Pontificem consilium dare non autem præcipere; trangressorem illius non fieri violatæ reum obedientiæ, vbi potissimum priuati boni ac publici magnæ rationes id persuaderent. Sed erat hæc planè violenta, seu potiùs temerè, & ad arbitrium ignauum excogitata interpretatio, vt nisi ab iis qui latinè non caperent non posset intelligi; & cum ea vbique pugnarent verba textus, præsertim vero cùm denantiarent Iusiurandum. *Salua fide Catholica* non posse admitti, quod nemo non videat, meri esse haudquaquam consilij, sed seueri præcepti; stultum enim foret, præterquam quod iniquum, pronuntiari aliquid impium, nec illud strictius quam ex consilio vetari, relicta cuilibet eius obseruandi, vel omittendi libertate. Quare alio versum cymbam suam egere Blackuuelli capratores, quò solent nimirum qui videri præcipuè tunc volunt obedientiæ studere, cum ab ea longiùs recedunt. Papam de causa non satis cognouisse; quæcumque diplomate scripserat Iesuitarum dictata esse; nihil autem *proprio Papæ motu*. Quod item (falso necne) negare Legatus quidam ferebatur in domini sui ditione. Nihilo sanius docebant alij, vtcumque res esset, natura duce, ac magistra, licere ab se fraudem fraude propulsare, haud minus quam, vim vi liceret. Premere animo integritatem Catholicam, sensumque constantem pietatis, iuramentum lingua instar psittaci recitare. Sed hæc perspectæ veritatis nimium perspecta effugia tum demum prodiere, cum iam esset monitus Pontifex prius illud diploma irritum haberi quòd diceretur esse Pontifici subreptum. Rescripsit itaque Pontifex in hanc formam. Dilectis filiis Catholicis Anglis. *Renuntiatum nobis est reperiri nonnullos apud vos,*

vos, qui cum satis apertè declarauerimus per nostras literas anno superiori 10. *Calendas Octobris in forma Breuis datas; vos tuta conscientia præstare non posse Iuramentum quod à vobis tunc exigebatur; & præterea strictè præceperimus, ne vllo modo illud præstaretur, nunc dicere audent, eiusmodi literas de prohibitione Iuramenti, non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potiùs aliorum intuitu atque industria; eaque de causa iidem persuadere conantur, mandata nostra dictis literis expressa non esse attendenda*; questus se alia omnia de illorum virtute expectasse, dolensque filios alioqui ad obediendum tam dociles tantique in sedem Rom. meriti, expectationi suæ minimè respondisse; in transactorum remedium; *Iterum*, inquit, *ad vos scribere decreuimus, & denuo vobis significare literas nostras Apostolicas anno præterito* 10. *Calend. Octobris datas, de prohibitione Iuramenti non solum motu proprio, & ex certa nostra scientia, verum etiam post longam, & grauem deliberationem de omnibus quæ in illis continentur adhibitam, scriptas fuisse, & ob hoc teneri vos illas omnino obseruare; omni interpretatione secus suadente reiecta. Hæc autem est mera, pura, integraque voluntas nostra.*

Breue hoc alterum diploma Catholicis omnibus euoluit, dissipauitque ancipites explicationes falsorum interpretum prioris diplomatis, sed Londinum peruenit cum iam carcere quadrimestri Archipresbyter teneretur, & qua metu ingenti, senex mure timidior; qua subtilitate malitiosa Bancroftij Cantuariensis Archiepiscopi, manus dederat Regi, Iuramentum admiserat, scripseratque ad suos assessores, omnesque Catholicos, ne metuerent sequi præeuntem. Vnde illi postea dignitate casso substitutus est Archipresbyter Georgius Bercketus. Quæsita Bancroftij octo, & Blackuellij responsa superuacaneum sit referre, (quæ triumphabundus in lucem misit Bancroftius. In iis sextum numero fuit, fas esset necne Catholicis oblatum præstare iuramentum vetante licet Papæ diplomate? Et respondit fas esse, sensu fretus dictorum à Rege in Senatu 19. Martij, an. 1603. siue vt computamus 1604. qui de Recusantibus agens Catholicis *Illorum* (aiebat) *doctrinæ articulus est illa arrogans, & ambitiosa superioritas capitis sui Papæ, qua quidem superioritate ipse non solum se nominat spirituale caput Christianorum omnium, sed etiam sibi vendicat Imperialem ciuilem potestatem super omnes Reges, & Imperatores libitu suo deiectos de solio.* Adiecit Blachuvellus & Breuis alterius contemptum, & eorum à quibus denuntiabatur; spreta quoque opera literarum, quas ad eum Bellarminus & Arragonius Cardinales; Patres Personius, & Holtbeyus dedêre maximè efficaces, etsi subinde videbatur conscientia expugnari, testabaturque se velle in omnibus integram auctoritatem Ro. Pontificis; verum enimuero, reuoluebatur inde ad mortis metum, ex quo, inani & falso receptu nitebatur se se subducere, aiens non fuisse sententiam suam discrè à Papa damnatam hoc est præstationem iuramenti verbis Regis ipsius expositam. Nihilo pluris apud senem fuit Catholicorum Recusantium aditus, & generositas, demumque huc venit timiditatis & pauoris, vt nullo indicio auderet præferre Catholicum.

Blackuvelli lapsu, Rex lapsos putauit omnes Catholicos; futurumque

omnino Legato Galliæ fuisse affirmauit si potuisset iis proferre iusiurandum Archipresbyteri munitum chirographo. Sed enim currentem feliciter in peiora supplantauit Deus, elisitque illius vota sacrilega incredibili bonitate. Primum enim Romæ Tobias Matteius Eboracensis Archiepiscopi filius, Personij opera Catholicus effectus Londinum appulit; raris omnino dotibus iuuenis, & in omnium oculis, amoribus, admiratione; tresque alij ex Gagea gente haud ei absimiles, in quibus robur veræ pietatis quod abiecerat Blachuvellus, sedem sibi legisse videbatur, & Dei spiritus iucundum metatus hospitium. Hæsit Anglia, illorum mirata libertatem in aperta iuramenti impugnatione verbis primum coram Cantuarienſi, & Mortono eius Theologo, quem pudore suffudit disputans Matteius; factis deinde & tolerantia præduri sed læti carceris, vbi sunt à nostris in omnes casus fortiter animati. Sed doluit Regi præ cæteris obiecta Blachuvello ad impugnationem iuramenti, Patris Guillelmi Vvrighti egregia opera qui hebdomade non plus vna post tentum Blachuvellum in manus venerat aduersariorum. Hic olim Eboracinatus, & egregiam sortitus animam, festinauit illam miseræ patriæ periculis maturè præripere, Romæ in seminario Anglicano quò superioris æui anno primo & octogesimo venerat, cum menses egisset vix duos, exceptus est in societatem, cuius spebus, curis & prouidentiæ, virtute ac literis cumulatissimè respondit. Inde annos viginti qua Viennæ in Austria, qua Gretsij superiores scientias docuit, excelsi ingenij existimatione tam illustri, vt eum Imperator Ferdinandus II. eiusdemque Principes sanguinis sua sæpius cohonestarent præsentia, erat enim omnibus æquè carus. Inde tot laborum seu gratiam siue honorarium exorauit à Præposito Generali Aquauiua remitteretur in Angliam, Catholicæ fidei quod vitæ supererat, & vitium, & si Deus annueret, sanguinis daturus. Londinum attigit ineuntis seculi anno sexto, atque vt erat fama sanctimoniæ, & doctrinæ notus expetitus est certatim à Catholicorum præcipuis, sed eum ab Holtbeyio qui nostris præerat Eduardus Gageus præstantis in rem Catholicam meriti euicit, longè breuiori quam destinauerat voluptate, octo enim post menses ab sceleratis exploratoribus, aduersariis venditur; Vvadeo turri Præposito præda traditur captu digna; examinibus variis ab eodem tentatus, ab iis inuenitur alieniſſimus quæ illi pro veris exploratores affinxerant, ac tantumnon in patria externus vt qui extra illam annos vixisse duodetriginta. Cæcilius vero re ad se delata ægerrimè tulit, quod nulla probabili specie illum posset parte aliqua coniurationis cum Garneto inuoluere. Eam ob rem illius iudicium remisit ad Archiepiscopum Cantuarienſem, & quarto post die quam Turrim intraret, Lambethum trans Tamisim exportari iussit præsulis sedem, & tribunal. Excepit hominem senex rabiosus qua solebat fronte Sacerdotes, sed potissimum Iesuitas, deditque mox ducendum in carcerem Leonis Candidi nomine; interdictione seuera comminatus ne quis illũ aut affaretur aut viseret; cui subridens Pater, vixi, ait, annos in Germania viginti, quotidie cum Lutheranis assiduus, nemine illorum meos vsquam congressus deuitante, nunc ego idem qui tunc eram, ecquo tandem pacto,

peiores

peiores erga me populares meos inuenio, quam olim externos? Primum, secundum, & tertium reuocatus est à Brancroftio, introspiciente interea cuiusmodi esset temperatura illius ingenij, & quærente de variis Catholicæ doctrinæ articulis, vt eum potius responsa Patris fortuitò agebant, quam quod ipse antea designasset; pendebant vrbe tota Catholici, fluctuatione attoniti, dein lapsu probroso Archipresbyteri; multoque magis eius enciclica quam circumagebant Ministri Regij ad defensionem iuramenti, pẽdebant, inquam, mirè solliciti quo Guillelmus Vvrightus, vir tantus vergeret, tenebatque anxios quod fratrem Londini haberet, Archipresbyteri Sacerdotem, eique intimè addictum, & acrem iuramenti sacrilegi fautorem. Quartùm ergo accitus ab Archiepiscopo Guillelmus, comparatusque, sermone compositissimo ex blandis & minis ad quæsita proniùs haurienda; interrogauit de iuramento quid sentiret, quod iure omni naturæ, ciuili & Ecclesiastico, Regisque insuper indictum imperio, non liceret modo, sed esset omnibus præstandum. Negauit illico Guillelmus, stabiliuitque responsum suum Christi verbis, Petrum eiusque successores Præficientis vniuerso Ecclesiæ gregi tribuentisque ad hoc illis potestatem, & vires, & pedum, & canes arcendorum ab eo luporum; quæ iureiurando illo præstandæ fidei conuellebantur omnia, & mouebatur throno suo Christi Vicarius: quæ dum pergit Guillelmus confirmare, retruditur à furente sene, in suum carcerem, impatiente plurium, & conuitiante miraculum fore, si lingua Iesuitæ, spiritus alius loqueretur, quã quo arripiuntur proditores. Iuit gesta res in omnes tota vrbe Catholicos, ingentibus eorum lætitiis & accessione magnanimi roboris; iuit & literis in regnum vniuersum; tanta vbique veneratione, amore, ac fama peruagatum est Guillelmi nomen, vt itinere bidui, triduive, venirent ad eum Catholicorum gratulationes, munera, quotidiani victus subsidia, & aduersus pestem incipientem grassari antidota. Rex è contrario optauit mortuum, negauitque sæpius eius vitam posse cum publico bono consistere; sed ei patibulum idcirco distulit, vt peste potius, si casus ferret moreretur. Cœrerum priusquam spargeretur pestis, Magistrorum complures & prædicantium, cepit cupido experiundi cum Guillelmo, ventitare ad eum, colloqui, disputare de rebus in religione controuersis; ipse vt erat in Germania assuetus comiter omnes accipere; missisque tantisper quibus instructi veniebant captionibus acutæ sophistices, doctrinæ veræ principia solidè confirmare, ad quorum deinde euanescebant lucem quæstiunculæ leuiores. Fuit inter alios operis huius fructus, Doctoris diuinorum tam fortis, & constans conuersio, vt simulato iam rusticum habitu, cum omni familia reciperet sese in locum ab hæreticis securum. Pulpitum alter abnegauit cum professione prædicantis, quod nihil iam sibi dubitationis in fide Catholica remaneret. Longum sit de aliis scribere. Sed nefas omnino hic præmittere quod ipsemet tradit. Scribens enim de illis archididascalis; qui se tentaturi adierant. [Mihi nũquam, ait, in mentem venerat Academicos nostros Anglos tanta ignorantia laborare. Meas nemo illorum in manus incidit, ne Mortonus quidem Theologus, qui posset legitimè aut dici Theologus aut saltem Philosophus, sed So-

phista dumtaxat pessimus,& peior Grammaticus]neque illa quondam à nobis narrata, cum suis auctoribus Theologiæ sepultura, exitus alios habere potuerat, quanticumque forent ingenij vespillones qui eam efferebant. Velint nolint sciendi magistra est; si vera sciendi laus iis debetur, non qui suo quæ volunt arbitratu credunt; sed qui per causas ea norunt acri exculptas disputatione, cuius est opinionum veritatem ad obrusam probare agitatarum rationum. Sæuiens latè vrbe tota lues, in Leonis candidi carcere stragem fecit. Guillelmus contactis opem ferens, multos sanam ad mentem, fidemque reduxit, multos cœlo transmisit ritè expiatos. Aliis concessum vt domum curandi secederēt, data fide haud dubij in carcerem reditus quotiescumque citarentur. Guillelmum similiter sanandum Catholicorum votis supplicibus, rationibus, cautione omni fideiubentium, crudè semper senex barbarus negauit, illud pertinaciter inexorabile iterans, iuramentum eligat aut pestem, & dæmonem, qui de medio eum tollat. Restabant socij carceris duo tantum Brunista Puritanus, qui breui extinctus est, & quidam alius. Paucis inde diebus, Ministros carceris cum quibus erat perpetuus, quinque vidit coram lue præfocatos, neque tunc fuit aut valde operosum, aut periculosum Catholicis nouam clauim seræ carceris aptare, vt educerent Guillelmum & Ministri Regis libenter id dissimularunt. Inueteratus malorum senex solus discruciabat se iactura eius prædæ quam nunquam esset recuperaturus. Transmissus enim est Catholicorum beneuolentia & arte in Prouinciam Leicestrensem, vbi duodecim quos superuixit annos, fidem Catholicam multis auxit accessionibus animarum. Hanc viro egregio debui mentionem & laudem ob pondus incomparabile additum veritati contra Blachuvellum, in expugnatione scelesti juramenti, grandi alioqui offensione Catholicos perfidiosè decepturi. Cœteris vero per Angliam patribus nostrorum vni & quadraginta, eadem ex causa non defuit quod paterentur, & agerent; præsertim Adamo Arnoldio in Prouincia Deuoni, qui vnus sustinuit impetum aduersariorum duodecim, coniuratum ad hoc Catholicos rapere, non modo vt crederēt licere iureiurādo sese obstringere, sed iure etiā deberi.

Hic erat rerum in Anglia cursus, dum Romæ latinè Bellarminus, Personius Anglicè, errores confutabant, quibus Rex Iacobus iuramenti sui æquitatem scripto pariter defendebat, volens conscientia illibata posse illud à Catholicis suscipi. Perlatos in Angliam Cardinalis, & Personij libros, dici non potest quam auidè acceperint omnes & legerint non modo Catholici sed & Protestantes, quantoque præsidio Catholicis fuerint literatis iuxta & indoctis; (erant enim omnes illorum capaces) ad repudiādum iusiurandum, quod contendebat Iacobus æquum asserere; illi omnium machinarū soliditate atque industria euertebant. Conturbatus his libris grauiter Iacobus, Ancillotum Andreium tum Ciceſtrēsem Episcopum, mox in præmium operis, Elyensem manum iubet stylo admouere & Matthæum Tortium confutare cuius (sibi ab sacris) nomine Bellarminus librum emiserat. Palmam ferebat Lancillotus inter æui sui Anglos Theologos, eratque sensus Catholici quem occultaret animo suspectus; verum tam serio hæreticum agit, vt malim eum arbitrari veritatis

veritatis ignoratæ impugnatorem quàm cognitæ. Qui resonderent Personio Rex duos assignauit Episcopos Lincolnienſem,& Bathes. At enim quod Regem acrius pupugit fuêre verba hæc Bellarmini; *Præsertim cum Rex ipse ad Pontificem ipsum, necnon ad Cardinales Aldobrandinum, & Bellarminum literas scripsisset plenas humanitatis, quibus præter cætera petebat, vt aliquis è gente Scotorum, Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ crearetur, vt haberet Romæ per quem facilius, & tutius cum Pontifice negotia sua tractaret.* Hæc autem Regi propterea tam acerbè nunc sapiebant, quod pridem, & sæpius conteſtatò denuntiasset toti regno, fuisse se semper mente factisque Protestantem; semper à Roma penitus abiunctum; nec vnquam in Scotia oppigneraſſe fidem Catholicis promisso aliquo in gratiam Romanæ sedis. Hic iam vt credibile faceret suas illas literas quæ Romæ seruabantur non fuisse suas, sollicitatus est earum scriba Balmerinochius vt diceret, fuisse ab se corrupta Regis manu falso cõscriptas, falsoque signatas; verum turti licet propterea clausus vir famæ suæ amans, adduci non potuit, vt falsarij æternam maculam inuri sibi pateretur, id solum ex eo valuit expungi, vt fateretur se die quem notabat annis 1598. Regi ad venationem procincto literas obtulisse, retulisseque eius chirographum non mentem, cum ne obiter quidem illas oculis decurrisset. Hac Balmerinochium cõfessione subornatum, & quoad potuit credibiliter fucatum Ciceſtrensis produxit suo ad Tortium, hoc est Bellarminum, Tortij Dominum responso; non leui vt tunc fuit opinio innocentis iniuria; nam eo postmodum longinquo & securo, colores decimum post annum vetusto albario, in cassum illiti; euanidi, atque inertes defluxere. Verũ his quæ vulgo vtramque in partem ferebantur,, ad me quod attinet plus satis. Sequitur hoc anno sæculi octauo inexpectata scenæ mutatio; Thomas Garnetus ob reiectũ constanter iuramentum, Guillelmo Vvrighto fuga lapso succidanea victima.

Vita, & virtus Thomæ Garneti, & parentis eius Ricardi Garneti; Ille proditus, & captus mortem iuramento præfert, etiam sub ipso patibulo, magna quoque hostium commendatione.

CAPVT XV.

VIT Thomas Garnetus Henrici nepos; Ricardi filius, insignis iam inde à puero Catholici, quod illi vita stetit ærumnis continuis, & laboribus catenata hinc illud vulgo inter Catholicos, sapienter in eos partitum dona sua Deum; vt patrem Christi faceret confessorem; filium martyrem. Ac Ricardus quidem vel ipsemet primus, vel prima in acie sterit, pro cultu, & honore religionis Catholicæ quã Elizabetha omni contentione opprimebat. Oxonij siquidem vbi erat iam Philosophiæ auctus insignibus, & fama ingenij nobilis, institutum cum esset ab Elizabeth tribunal, ve-

xandis, & euertendis Catholicis; deprehensa est in eius conclaui Deiparæ statua, & ab satellitibus, illius tribunalis circumlata per vrbis frequentiam in execrationes, & derisum, tandemque igni sententia Iudicum addicta. Sequebatur dominam suam vinctus, ad tribunal ea modestia, & alacritate, probris vbique impluentibus & sarcasmis occurrens, vt esset plebeculæ petulanti censura impietatis indomitæ. Trahebat post se magnum curiosorum agmen, & in iis Academici complures, qui audita eius pro cultu sacrarum imaginum ardenti vindicatione, pressisque rationibus solida, sentire melius cæperunt de traditionibus antiquis R. Ecclesiæ. Inde amicorum deprecatione carcere solutus, sed Oxonio proscriptus Londinum se contulit, Iurisperitum professurus inter sapientiæ collegas, haud tamen fortuna quàm ante mitiori; exinde annos durauit quadraginta in assiduis Catholicorum Recusantium ærumnis, spoliationibus, vinculis, direptionibus, sed crescente in dies constantia Catholici roboris, suscipiendis malis paratior, quàm aduersarij ingerendis. Talis fuit Ricardus Garnetus Thoma filio dignus & parens, & Magister, quem cum ad annum sextum & decimum sua virtute imbuisset Audomarum misit, vt quod olim sibi optauerat, filius adipisceretur, fieretque idoneus ad nauandam Ecclesiæ Dei vtilem operam. Post ad superiores doctrinas progressum paulo ante finem sæculi prælabentis, Vallisoletum se contulit, vbi Personius seminarium Anglis fundandum curauerat. Annos quatuor conflictatus cum iniquitate illius cœli, iamque nihilominus ferè Theologus, initiatus est sacris cum Marco Berenvorthio (qui post Catholico nomini testimonium illustre, laquei supplicio exsoluit) Thomas reuersus in Angliam, sextum illic annum in quæstu animarum, & mortis optatæ agebat, cum à patruo Henrico, multa tandem, & longa post vota cooptatus est in Societatem; sed coniuratione Catesbyj præclusis in Belgium viis, & portubus, interim capitur, & carcere clauditur, ob suspiciones coniurationis: suspicionibus ansam literæ præbuere quæ ad illum ab Henrico datæ, atque interceptæ causa illi fuêre mutandi carceris. Turri ergo cum Henrico, sed diuerso carcere clausus est tam arcto, frigido & putri vt gliscente in medullas situ, contractis quoad vixit doloribus laborarit.

De coniuratione, cognitores cum nihil haberent, ex eo quod quærerent; nihil ipse vicissim quid iis responderet; iratus Cæcilius sibi nihil inde suppetere quo Henrici causa fieri posset deterior, vel tute, inquit furens, tibi melius consule, proditionibus tuis detegendis, aut ego illas tibi ad linguam extremis vsque ab digitis retorquebo. Frustra minæ fuerunt, suspicionis vmbram repetita sæpius examina nusquam notare potuerunt. Relictus itaque marcore carceris absumendus, menses ferè nouem illic iacuerat, cum Sacerdotibus iunctus est quos Iacobus mãdarat extra insulam deportandos. Narrabat autem multis ab hinc post annis, custodi suo pridie quam ad supplicium traheretur; cum educeretur olim ex carcere, naui Regis mandato in continentem efferendus, missum ad se ab Cæcilio folium proprio signãdum chirographo, dolosis partim perplexum ambagibus, partim falsis, & in Catholicorum perniciem instructis, ipsiusque Henrici patrui, à quo illa fingebant ad me scribi. Ego vero qui possem tam apertas, notasque calũnias meo chirographo pro

veris

veris accusationibus probare? insontes Catholicos, meumque adeo patruum, damnosis mendaciis, in meæ salutis exitium criminari? profiteri hoc ad me ab eo perscriptum folium quod nunquam accepi, eius esse hanc manum cuius non est; ibit tamen per ora famosum id scriptum, vt veri Archetypum, & indubitata Patris Henrici manus, tametsi confictum ab eius obitu, ex confessionibus, & literis ei attributis, quibus illo occiso, & silente addita sunt quæcumque libuit, & in acta, librosque Protestantium transcripta.] Exportatus ex Anglia Thomas, beatiori portu exceptus est, quàm quo exscenderat. Erat Louanij haud pridem Societati domus probandis tyronibus; illuc admissus, tantis profectibus ad summa enisus est, vt condiscipulis tyronibus, posset magisteriũ præstare; quare in Angliam haud diu post remissus ad instaurandos labores Apostolici muneris, mirum quanto Catholicis fuerit firmamento ad recusandum fidei Regiæ iusiurandum, Christi Vicario infidele: quod mortis sponte oppetitæ generositate potius inuicta perfecit, & efficaci, quam concionibus multorum annorum.

Regressus igitur non pridem in Angliam, expetitus est à Catholicis Cornubiensibus in Prouincia Vvaruvicensi. Parantem ire Rovuseus apostata proditor, & maleficij minister Cronus, Regis nomine illum remorantur, & Londinum perducunt, illic Gatehusæ ergastulo mancipatus, (qui vnus ex tribus est carcer ad tres vrbis portas) Iunij quinto, & decimo anno æui octauo, ad Rauisium ducitur Londini Episcopum, præsente Vvadeo, illo toties dicto Catholicorũ Sacerdotum Phalaride: interrogatur promiscuè variis de rebus. Essétne Sacerdos; quod eius parietes carceris monstrabant quos cubitalibus literis hac passim ornarat Epigraphe *Thomas Garnetus Sacerdos.* Quod idem Vvadei famuli tres, sed coniiciendo dũtaxat affirmabant; num Henrici Patrui literas ad Gerardum hoc est proditoris ad proditorem transmisisset? Cuius & similium quæsitorum, cum nullum Episcopus teneret argumentum; iis vltro tacitis ad hoc venit quod principio spectarat, verbisque in omnem effusis comitatem, minarum tamen haud prorsus expertibus, hortatus est illum non dissimulanter vt se Regi fidelem præstaret, admisso quod is indixerat iuramento; non posse ab eo securius libertati, ac vitæ consuli, causæque tametsi maximè capitali lætus finis imponi. Cui Pater semotis ambagibus; respõdit omnino se nolle, rationeque nolendi mox addita, nec posse; quòd iuris Ecclesiastici sanctitas & reuerentia, pessumdaretur eo iuramento, & diuinæ ruina potestatis, statueretur ciuilis, & humana. Sibi quidem promptum fidem Sacramento Regi obstringere quam ei deberet vt subiectus, quam posset vt piè Catholicus; sua nempe in omnibus Christi Vicario intacta potestate, & auctoritate incolumi: nihilo ad hæc commotior antistes; supersedeo, infert, hac repulsa vti. Cogitabis opinor maturius quid tibi conducat, & sanioribus consiliis pro sapientia qua te scio pollere animum applicabis. Menses tibi ad vsque Lucalia quatuor indulgentur ad deliberandum. Blackuvellum inter hæc Archipresbyterum si voles audire, scientia præditum, conscientia inculpatum, spero te non ægrè cũ illo sensurum. Ad has induciarum moras, intrepidè Thomas quod semel constabat nefas esse, id vero nec sub inducias, nec sub deliberationẽ deinceps cadere, Blackuvello sibi minimè opus esse, vbi eius errori contrarium summi Pontificis haberet oraculum.

Hic dum pergit Thomæ quadrimestres inducias Episcopus offerre Thomas respuere,assurgens Vvadeus,ad vtrumque graui cum stomacho,iuro,ait, huiusmodi hominum examinibus me nunquam adfuturum, nisi extemplo facinorosum hunc rapi iubeas ad Nevugatem (nouæ Portæ custodiam, vtpote Tiborno vicinam,ex qua erat rarus nisi ad patibulum exitus)tuo,inquit Præsul arbitratu fiat,& si Rex iubet eum mori, per me licet , his Thomas placidè admodum, Ego,inquit Domine ! & ad portam nouam,præsto sum,& ad Tibornum expeditus,& mors mihi summa votorum est,vt cui pridem cor meum integrè mancipaui,totum me sibi Christus possideat. Perculit ea vox tametsi fortis , & modesta Vvadeum,& præsulem prout erant quod notauit Thomas diuerse affecti, Vvadeus cui non poterat summa virtus non summè displicere; amenti similis conuitiis omnibus, & contumeliis Thomam coram proscidit, velut abominandum aliquid,& exsecrabile locutum.Monitoris officium assumens Episcopus,leni carpere reprehensione ; iubere caueret hæc parum consulta generositas piæ mētis,ne sibi fraudi post hanc vitam foret. Eius demum laudare seu magis irridere præstantis dotes ingenij, de quibus resciisset ab Archiepiscopo Cantuariensi cui esset Thomas in paucis carus , & in quo plurimum experiri optaret quod de aliis nostrorum circumferebatur,cum Societatis habitum induissent om ni se virtutum ornatu exuere,quantocumque maximè floruissent priusquam fierent Iesuitæ. Nationes omnes pro testimonio in oppositum illi adduxit Thomas,quibus ex vsu,& consuetudine nostrorum procerto constabat religiosa illos & diuina virtutum decora iunxisse ciuilibus, nedum vt ciuilia exuissent. Hactenus diei huius acta, & sub hæc Nevugatem in carcerem ducitur.Postridie nactus opportunitatem scribēdi ad Holtbeyum narratis quæ gesta diximus,quærebat,essetne sibi conueniendus Rex hoc iureiurando ad amouendam à Sacerdotibus,& Catholicis inuidiosissimā in illum infidelitatis calumniam. [Ego Thomas Garnetus sincerè, atque ex animo, & coram cœlesti curia,lingua profiteor,me Regi meo legitimo Iacobo fidelitatē omnem,& obedientiam præstiturum quæ illi naturæ, diuina, & veræ Christi Ecclesiæ debetur lege. Fidei meæ testificatio, si parum videtur sufficere, testis mihi sit,& Iudex Deus,orbisque vniuersus,Regum neminem posse plus fidelitatis ab suis exigere quàm quod ei lex diuina concedit;subiectorum neminē, Regi posse maiorem spondere aciurare obedientiā, quam quæ ab Christi Ecclesia probatur.Mea hæc mens est;sic me Deus adiuuet in hora mortis]subdebat huic iuramento preces quibus Holtbeyum enixè rogabat,ne quid mouere Catholicos sineret ad sui liberationē; fortassis enim,Deo propitio, vberiores fructus animarum ex sua morte,quám ex vita sua extituros. Suævero huius expectationis tenere se pignus minimè dubium Catholicis enim aliquando satagentibus illum in viuis seruare,aures pronas cum daret,iuuandarū studio animarum;interiori voce abductum ne faceret,duraret,perseueraret cōstans;spebus ne crederet longinquis & dolosis, plus hora vna moriendo , profuturum animis,& communi bono,quam multis annis laborando,& sudando. Quæ fuit illi alacritatis effusæ ratio,cum pronuntiari sibi mortis sententiā audiuit;metusque præterea perpetuum anxij ne Catholicorum interceſſione, aut rerum casu,sententia illa sibi adeo pretiosa mutaretur. Quatriduo post quàm de illo

Episcopus,

Episcopus,& Vvadeus priuato examine cognouissent, accersitus est ad tribunal publicũ portæ nouæ,vbi Montagutius quadruplici capite reum egit,quod esset Sacerdos Romanus; quod religiosus è Societate IESV; quod Catholicos seduceret; quod fidelitatis Sacramẽtum Regi Iacobo debitæ recusaret. Priora duo minus idoneis probata testibus,vltro tamen est fassus;tertiũ sibi per enormem calumniam falso imputari,valenter ac solidè stabiliuit.Quartum,qui erat totus rei cardo,ingenti animo admisit,sed negãs fortiter se Regi suo propterea esse infidelem,quin imo sinceræ in illum atque illibatæ,in Deum,& in Ecclesiam fidei. Cuius monumentum dum profert è sinu iuramentum illud quod narrauimus ab ipso scriptum, prohibitus est illud recitare, sibique auulsum è manibus idcirco tulit ægerrimè, quod pro patibulo destinasset illud populo profiteri, vt nosset Catholicos,Sacerdotes,& Iesuitas esse Regi constanter fideles in omnibus,saluo semper Dei, & conscientiæ,& Ro. Ecclesiæ iure.

Absoluta in hunc modum causa, die subsequenti Thomam in carcere adire Catholici, faustam eius poscere adprecationem; diripere illi quæ poterant. piè in eius memoriam asseruanda, quibus vir sanctus, quæ noua hæc pietas? Consolationi vestræ, meo dolore consulitis?Viuo etiamnum, & possum non mori.Flensque tres, ait, conscendi iam gradus, captus, iudicatus, conuictus. Proh quantum doloris, quantum foret pudoris, supremum non assequi,mortem videlicet tamdiu expetitam ? Postridie igitur illius diei reuocatur ad solennem mortis sententiam, qua proditorum supplicio est addictus. Inde subterraneo specu Lymbi nomine arctatus; manus pedesque compedibus grauis, & catenis (vt solent damnati, vndique circumcinctus ne destinatam sibi mortem præcipitata desperatione anteuertant) biduum illic egit, vbi eum sacra Præcursoris Baptistæ vigilia visens Mastenius eodem & ipse detentus carcere, gratulaturus illi auroræ aduentum toties suspiratæ, inuenit hominem lætis & alacribus oculis, iucunda defixum rerum diuinarum contemplatione,prorsus vt iam cœlo frui videretur ; cum principio eius noctis , prosecutus esset tristibus lachrimis exhibitum sibi à Catholicis honorem,reculas suas dirpientibus tanquam sacras; & extimuisset vehementer ne se Catholici deprecatione potentium apud Regem morti subducerent.Nunc hora instante supplicij, eo metu liber, & proximè securus fundendi pro Romana sede & Catholico nomine cruoris, perinde gestiebat vt putassem magis,ait,Mastenius sponsum alacrem à suis in conuiuium duci quam reum à carnifice in Tibornum agi. Subditque illam eius alacritatem tantam , fuisse nihilominus attemperatam moderatione amabili, & cum patientia inuicta, & robore animi coniunctam. Efferenti pedem è carcere vir grauis,& humanus iuuenem obtulit qui audiebat Theologus,auebatque nonnulla Protestantes inter & Catholicos controuersa,disputando decidi; sed nec sinebat temporis breuitas; nec stringi poterat in nodum concertationis summa: desultim solum hinc inde actum est,& Theologus iuuenis iurisperitum professus est, negauitque patri se pro patibulo assignaturum mortem suam Catholicæ, sed violatæ in Regem fidei, ob quam maiestatis occidebatur reus. Cui subridens Garnetus, suo inquit,Principi obsequens, non potest infidelis nomine argui. Sacerdotem iubet si redit in Angliam occidi; redeo, & occidor libens; reddo Cæsari corpus,& animam

Deo, cuique quod suum est. Hæc ille vt ab se iuuenem comiter amoueret, Turris Portæ propinquus vbi eum carnifex operiebatur, rogauit festinaret illum enim se pati passu sequi; vt ventum ad traham cratitiam, formato desuper Crucis signo, ligandum in ea se præbuit. Dicta eius & facta reliqua scripsit nobilis Anglus qui aderat, paucis quæ illi excidere singularibus exceptis, quæ ab aliis item præsentibus habemus.

Protractus, inquit, caballi cauda in Tibornum, multitudinem inuenit omnis generis spectatorum, quam exciuerat solito maiorem desiderium videndi hominis qui tantum aberat à nuncupando Regi Iuramento, vt moras etiam ad deliberandum oblatas recusasset. Exsoluto ex crate, suo statim ex cursu occurrit Thomas Cæcilius Comes Exceestrensis Regi ab arcanis consiliarius, magnaque affabilitate per mediam horam nescio quid ex eo visus est quærere, sed voce adeò submissa, vt nisi perpauca nihil conceperim, quibus vitam, illi saluam deferebat, si modo induceret animum Iuramento sese obstringere cui Pater, vel quinquies mille vitarum præmio negauit facturum; porro illum Comes non vitæ solum illicio ad Iuramentum inuitarat, sed exemplo item & ambiguitate Sacerdotum, qui & Regi obtemperauerant, & de Iuramenti æquitate multa inter se dubitabant, ex quo conficiebat Comes, non esse tam liquido palamque illicitum. Cui mox & breuiter, si pars, inquit, Pater, Sacerdotum negat Iuramentum posse licitè præstari, qui possum ego perinde illud admittere, vt si omnes communi assensu licere censuissent; nec plura, personis, doctrina, & consiliis eorum perstringendis abstinuit qui aduersus decreta Pontificis succubuissent expectationibus fraudulentis. Post quæ iussus in carrum sub patibulo ascendit, cum audaci à tergo prædicante, hortante vt iuraret, & Caluinista moreretur. Quo spreto, vt oculos in multitudinem vndique confertam circumtulit, velut fero pij memor officij signo se Crucis sanctissimæ muniuit, osculatus est trabem cui erat appendendus, hinc se ad populum, affatuti specie conuertit, qua re prædicans offensus, clamore illum nisus est exterrere. Ille serenus, & hilaris, manu, eius humero admota, iratum composuit; & ne faxit Deus, inquit; vt abscedamus inuicem inimici sibi deinde iniectum laqueum detraxit, & ducta desuper benedictum Cruce, pie osculatus, statim collo vt erat reposuit; post ad populum versus; quæsiuit an paucis, sibi eum alloqui fas esset, dataque vsus facultate. Ego, ait, quæ Dei est gratia, Catholicæ Ecclesiæ Sacerdos cum & Societatis Iesv beatæ, religiosus, vt omnium maximè virtutis imperfectæ, ita omnium maximè indignus. Sed enim hodie omnium qui viuunt me feliciſſimum arbitror, nec beatiorem ex quo in lucem veni diem nactus, meque ex vero, & ex animi sententia loqui, testem Deum volo. Quod tàm ægrè ac nouum, hausit Prædicans miser, vt stupens velut ad incredibile; rogaret, num procul omni prorsus æquiuoco loqueretur? Prorsus, inquit Garnetus, prorsus; tangensque incredduli pectus, si luberet Domine prædicans! æquiuocis ludere ludendum esset in iurisiurandi approbatione, in libertate vitaque asserenda; sed hæc argumenta, dissimulationes non ferunt & æquiuocorum ludos. Hic vestes denique incipientem sibi detrahere carnificè alacriter iuuit, & iam solo rectus indusio, à Cæcilio comite iterum est cõuentus, qui ex eo inter alia, sed valdè humaniter,

optauit

optauit discere, cur se statim captus, non esset fassus Sacerdotem? Vt inquit, maleficij Ministris, suas eius probandi partes relinquerem; & Consiliarij Regis non quæreretur, quod sæpiùs fecerãt Sacerdotes Catholicos in confessione Sacerdotij inconsultè præcipites, adigere se ad vim legũ in eos necessarioexerendam; & extorquere à se mortis sententiã. Nam quod alioqui Sacerdos essẽ loquebantur Turris parietes vbi locis septem grandi charactere legebatur *Thomas Garnetus Sacerdos*, quod Domino suo Vvadeo famuli, & Londinensi Episcopo testati fuerant se legisse. Resumpto inde ad populum affatu, nouem se annos in Anglia egisse dixit vnis occupatum ministeriis Sacerdotum, & ab omni semper in Regem, & publicum cogitatione alieniſſimo, quin imo totis perpetuo viribus & contentione incumbentem, vt Catholicos omnes ab turbulentis quibusvis molitionibus, & consiliis auocaret. Hic autem publicè recitato fidelitatis & obsequij Sacramento, quod vti diximus Regi statuerat offerre, rationes summatim complexus est, ob quas nullo modo licebat Catholicis dictatum præstare à Parlamento iusiurandum. Sublatis demum in cœlum oculis, & manibus gratias Deo egit beatissimæ huius lucis quam vitæ suæ ducebat Principem. Post quæ auertat, inquit, ab hoc regno iram suam Deus, nec ab eo aut Rege meum sanguinem exigat. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Parce Rovusio Sacerdoti apostatæ proditori meo; parce Crossio qui me comprehendit; Londinensi Episcopo qui me carceri mancipauit; Scribæ quoque illius, qui susurris suis eum mihi infensum reddidit; Vvadeo qui mortem meam vrsit; Montagutio denique, & iis qui mea in causa pro testimonio dixerunt, nec probarunt. Det mihi Dominus videre omnes in cœlo saluos, cum his monitus finem dictis imponeret; orare de genibus voluit, sed breuitate laquei præpeditus rogatis Catholicis vt suas iungerent secum preces *Pater*, *Aue*, *Credo*, Hymnum, *Spiritus sancti* recitauit, sed in iis verbis *Sermone ditans guttura*, subtractus est precanti Carnus, vetitusque est benignitate Thomæ Cæcilij, & beneuolentia, secto prius laqueo deiici quàm pendens animã efflasset. Eius amici quatuor, (vt moris) protracti pedibus corporis auxere põdus, & corripuêre illi vitæ moras lẽtiori suspẽdio laborantis. Hos inter deinde natrauit se fuisse quidam illius propinquus secta hæreticus, quem manu altera protensa visus est Pater ab se amouere; alterà, Cruce versus illum ducta signare quem cum fixo in eum peculiariter obtutu repexisset, viuere desiisse. Nihil morati sunt populum alij pariter, sed sua ob scelera puniendi; Londinum rediit Garneti sanctitatem, & magnitudinem animi celebrans vitæ oblatæ blanditiis, & morte præsenti fortiorem, in quo socios habuit etiam Protestantes. En autem dum corpus membratim carnifex secat in compita spargendum, adest horrido capillitio, & viridi habitu assimulatus in syluestrem quidã nomine Atkinsonus quem tenerrimus in Garnetum amor deformauerat in eam speciem, in qua ne posset quidem à notis agnosci. Carnificem conuenit, exponit supplicio affectum sibi esse sanguine proximum; de vestitu eius, & carnibus cum eo paciscitur. Fidem daret, nec ne. Petenti carnifex de vtroque spondet, vtrumque pretio sanè liberali, gaudens vendit; quo tunc nihil minus cogitans Atkinsonus vitam sibimet emit; paulò enim post morbo pressus sanationis desperatæ, applicitis pectori Thomæ sui catis-

simi sacris reliquiis, repente melius habuit, die postero, itineri ad sua negotia se dedit. Erat Thomas annorum triginta quatuor. Stouui Chronicum Anglicanum, solenni præconio eius memoriam ad vicesimum tertium Iunij consignat, annum huius seculi octauum, Iacobi Regis sextum, quo Thomas Garnetus vitam ad Tibornum ponere maluit, quam præstatione Iuramenti oblatam retinere. Audito Rex illius obitu ex Thoma Cæcilio comite Excestrensi, multisque aliis, pietatis in Deum, in Regem, in patriam, & bonum publicum eximiæ, & fidelissimæ; fertur indignatus Cantuariensi, & Londinensi Episcopis, quod parum prudenter ex Recusantibus, virum ad mortem delegissent qui tàm glorioſum de se spectaculum esset populo daturus. Sed præstantior ea laus quæ ad S. Ioannis exhibita est ipsi Louanij vbi prima Societatis tyrocinia posuerat, & prima Societatis vota nuncuparat anno septimo huius æui, & salutanti Elizabetham Virgini die sacro. Illic solenni gratiarum ad Deum actione commendata est posteris eius virtus.

Moritur Robertus Personius expeditionis Anglicæ fundator. Opera post se relinquit digna quæ æternum viuant, & viuunt etiam num & fructus suos ferunt, in conuersione animarum, & Catholicæ fidei propugnatione.

CAPVT XVI.

ATQVE hic mihi, Deo laus, operosæ magis historiæ quam longæ de nostris in Anglia rebus limes esto, hanc ego statueram per annos ad hæc perducere tempora, quibus vt vltimis, consueuit lector curiosius inhiare quòd varietate rerum, nouitate & copia, putentur magis commendari. Sed hæc ad plenam historiam necessaria rerum notitia, quam spernunt qui obiter & desultim scribunt, indicando magis quam docendo, magna quoque me ex parte destituit, quod esset ex vernaculis Anglorum scriptoribus & linguis petenda, ex quo factum interdum vt de materia diuitè ieiunè scripserim. Iam huius operis mensuram annis illis triginta circumscripsi, ex quo Præpositi Generales Mercurianus & Aquauiua Roberto Personio Anglicæ missionis grande negotium prouidentissimè crediderunt; primum in Anglia mouendum, & stabiliendum; procul deinde & extra Angliam promouendum, laude vtrobique hominis immortali, ab anno 1580. ad 1610. quo euocatus est à Deo ad mercedem laboriosissimæ procurationis. Ponam hic breuiter, illius obitum; inde singularibus meritis viri tanti, paulò fusius reddam quæ iure debentur. Annos itaque triginta cum pari prudentia, & robore animi cum missioni Anglicæ præfuisset, Romæ Seminario Anglorum duodecim; nunc in stabilienda Louanij aut alibi probationis domo strenuè satagens, & confutandis erroribus Lyncolnensis Episcopi Barlouuij, (qui

eius

eius librorum fuit decimus nonus)morbo correptus est tam acuto & sæuo vt paucis diebus, seruandæ illi vitæ spem omnem abstulerit. Ipse interea pro egregia pietate assiduus in sollicitudine animi ad iter supremum comparandi, erigendique cogitationibus Christi patientis; simul pro sua in rebus Angliæ cordata,& longa experientia intentus præsidiis quibus illic muniri posset Societas,scripto illa tradidit Generali. Sabbatho sanctiori,quatriduo quam extingueretur,dictauit epistolam ad Audomarēsem Episcopum,Anglorum quos illic alebat Seminarium nobile,verè patrem;alteram melle delibutam intimæ charitatis ad Georgium Birketum Archipresbyterum eiusque Sacerdotes; tertiam ad nostros in Anglia,hortatoriam,breuem,necessariis grauem consiliis, vltimum denique animi sui pignus, proinde maximè hoc loco dignam, [Reuerendi Patres,& Fratres mei carissimi,quos vocauit Deus,& in hāc Societatis nostræ missionem ad subsidium afflictissimæ patriæ coniunxit;iturus proximè, quod spero, ad Deum,& simul cum vita curis absoluendus quibus me vobis Generalis præesse iusserat,salutare postremum vos volui,& animæ meæ sempiternam quietem vestris precibus commendare;vobis deinde illum ob oculos reuocare Discipulorum Christi characterem, amorem videlicet mutuum, quem desidero ardenter conseruari à vobis semper illibatum, sed nunquam aliter quam ex Societatis spiritu inuicem dispensari; vnoquoque sibi locum infimum arrogante,postponente se cunctis,& interiorem hūc animum,foris quoad licet prodente;omnia in Dei gloriam,& animorum vestrorum commune solatium. Sic decurso vitæ huius,& diuini obsequij stadio, occurremus omnes vt fas est sperare per Christi merita in gloriam æternæ resurrectionis.] Cognito interim Paulus V. extremo eius periculo ex Cardinali Farnesio,benedictione illum Pontificia dignatus, peccatorum illi veniam indulsit,quam solent Pōtifices in eo articulo Cardinalibus impertiri. Instantem sub hæc sentiens discessum, collum sibi fidiculis obuolui petiit, quibus eius sodalis dulcissimus Cāpianus olim fuerat in equuleo tortus,iis dum sibi exhibentur,osculo,& pia reuerentia colendis subiit animum recordatio felicis periculi, quod non pari cum eo felicitate subierat, dolensque plurimum non fuisse illi fundendi cruoris socium,gratias Deo egit,quod annorum saltem triginta sudores non esset grauatus à se admittere. Sic preces inter & lachrimas fratrum,& circumadstantium alumnorum, spiritum Deo Personius reddidit, feria post Pascha Christi resurgentis quarta; quinto decimo Aprilis,anno seculi decimo,ætatis sexagesimo quarto, Societatis initæ tricesimo sexto, professionis editæ votorum quatuor vicesimo quinto. Corpus ritè cōditum iussu priuato Generalis,peculiari sandapila clausum,& ad dextram intimi olim sui Cardinalis Alani sepultum, in templo Seminarij Anglicani, cum honorifica memoriæ in posteros præstantis Epigraphe. Omissis nunc iis quæ supra humanum eius meritis assignantur, festino libentiùs ad ea quæ mihi supersunt de virtutum eius opibus scribenda,ex quibus quam vndeuis alias æquus æstimator viri tanti mensuram certius assequatur. Primum igitur illa se mihi obiicit vitæ illius vita & anima charitas animarū ardens,in cuius obsequium, & opem,omnes adhibebat quibus erat abūdè diues tum naturæ egregiæ dotes,tum diuinas. Ex iis illam præmitto cœteris,quæ vt forte illi minoris ste-

terit,tamen quia expeditior ad manum maiori cõpendio fuit ; illam dico scribendi facultatẽ potentẽ & facilem quæ nũc etiã fructus suos metit,in dilatãdis fidei Catholicæ finibus , cultuque seriæ pietatis in Christianorum animis vbique augendo;quod ego pretium fuisse crediderim ingẽtium operum quorum illi sementẽ in cassum iactam,Deus hoc præmio pensabat. Taceo pugnas singulares,in Hanmerum, Ciarcum, & Nicooum ; in Foxium, Astingum, & Sutellum;addo dictum toties Cookeum;Mortonum,& Barlouuicensem,Episcopum,infausta andabatarum terricula in cæcam armata Catholicorum dogmatum impugnationem,quæ vnus par omnibus defendit asseruitque Personius,moderata quidem styli temperie,sed illic acri & aspera vbi ex depressione tumoris hæretici & superbi,plus aliquid emolumenti sperabatur.Errores autem variarum sectarum quibus scindebatur,& lacerabatur Regni antiqua sanctitas,omnes vno complexu aggressus humi stratos afflixit,libro illo insuperabili,cui *De tribus Angliæ conuersionibus* nomẽ fecit,huic(inquit vir omnium errorum ab vsque Luthero,& Caluino inuestigator diligentissimus, & scientissimus,)nemo potuit respõdere,nam qui de subuersione cõuersionum trium contra scribere ausus est Sutcliffus scaphæ instar tenuis scopulos deuitat firmarum rationum ad quas esset frangendus;aut perinde illas videre dissimulat vt si alij pariter oculis carerent. Fuit eo in libro Personij scopus ex historia temporum,& Theologia euidenter probare qua primum diuinorum fide imbuti sint Angli prædicatione Ioſephi ab Arimathia,Christi Discipuli,& primi gentis Apostoli;qua deinde diuersis exinde sæculis duobus ad Põtificatum Gregorij magni,secundum & tertium floruissent,& Ecclesiam conflassent,si qua alia orbe toto, sanctitate, sapientia,& miraculis illustrem ; eandem hanc fidem postremis his annis,ferro,igni,proscriptionibus velut falsam, & superstitionum auctricem profligari, substituto in illius thronum Luthero,& Caluino,apostatarum, seditiosorum, & desperatorum Apostolis.Hæc summa & finis præstantissimi operis *de tribus conuersionibus* , cuius tamen excellentiam, & vtilitates, vicit maior seipso,& fortior,vtiliori libro Personius quem *Directorium* seu Directionis Regulam vocauit,*hominis Christiani* aliàs *Resolutionem*, eo artis arcanæ Magisterio digestum ad finem propoũti,conuertendos nimirum hæreticos,& perficiendos Catholicos, vt sit qui dixerit etsi nihil aliud in vita egisset Personius nostrorum tamen qui erant in Anglia comperatione, *Plus eum omnibus laborasse*.Anni sunt plus quam octoginta cùm pergit is liber, eique infusus Personij spiritus Deo animas quærere,lucra enim illarum dum vixit,nisi parca & minima videre non potuit. Non fuit eius mens acumen ingenij quæstionibus disputandis aduersus Lectorem exerere;sed impressione in iudicium valida,eius de caducis opiniones,amplas,splendidas & falsas suo nihilo reddere ; modosque dictare quibus se animus ab iis expediret,liberoque ad finem in quem conditus est æternum , aditu contenderet,quod iis euincit argumentis vt omnes omnino sint eorum capaces, & qui iis obstinauerit repugnare,negare illũ oporteat principia fidei,& naturæ.In Hibernia vir præstantis ingenij, parisque iudicij Elizabethæ cõsiliarius,negabat identidem exclamans,tam fortem,& efficacem librum nisi superiore ac diuino spiritu cõcipi, & scribi potuisse. Quod expertus est ipsemet, paulò post, magno , sed miro

mito suo bono. Immersus iacebat collo tenus, deliciis, opibus, & aulæ honoribus; lecto eo libro, tanta illum cepere tamque intoleranda eorum fastidia, vt placandis tandem iactati animi tumultibus abdicauerit se omnibus quibus inter aulæ proceres eminebat, & bona vxoris cum venia solitarium secessum adamarit, vbi vitam purgaret anteactam dolore, & lachrimis, quarum illi Deus peculiare donum indulserat. Alios in eundem librum obiter incidentes, ita repente mutauit in melius vt esset iis de manibus à compotoribus extorquendus, ne quod inceperant pergerent boni esse. Hæretici quoque seu inuidentes Catholicis tam potentem morum corruptorum censorem, seu vim eius admirati, edidere eum Londini publicè, sed in sectæ suæ detortum errores, & regulas. Denique homines lyncei apud omnes, & perspicacissimi iudicij negarunt vllum ingenij opus hac ætate frugis tantæ fuisse, ac tam copiosæ, mutandis potissimum eorum animis, quorum suis obtrita sceleribus obcalluerat mens, & conscientia nequicquam reclamante rationi libido sensuum ad nutum imperabat. Mihi quidem (iam tum primis illis temporibus scribebat Gerardus) persuasum est Directorio Personij opere, conuersiones ad Deum factas maiori constare numero quam libri folia, obseruatumque vulgo recens ad fidem Catholicam reduces, dum inter se vt fit, vel cum aliis sermone reuocant conuersionis suæ memoriam, præsidia, & causam, ferè omnes ad librum Personij omnia referre.

Hactenùs ingenij conatus, & contentiones quibus Angliam labantem firmauit scribendo Personius; sequuntur facta & res ipsæ quibus agendo eam iuuit, in iis dubito vtrum illi minoris steterint quam essent per sese; magnum planè fuit in restituendis Catholicæ fidei Regnis duobus operam moliri, nihil enim minus vasta eius desideria spirabant; magnum neruos omnes in Reginæ Mariæ liberationem intendere, quam exceptura erat Religionis Catholicæ libertas, & Regnum. Interea vero Prouincias omnes Sacerdotum præsidiis habere munitas; sufficiendos illis in tyrocinia Seminariorum maturè parare, fingere; atque in eam prouehêre pietatis mensuram, & roboris vt posset iis tuto âplificatio Catholicæ fidei, ac vitæ, Regno toto cõmitti, magni quidem hæc negotij opera fuêre. Sed cogitatione perpetuò, mente, ac manibus sanctimoniæ studio, & veri aduersus patriam & Religionem Catholicam amoris, tam difficilia & grandia semper agitasse, & respondisse nonnulla eorum duratis ab eo laboribus; tam caro illi stetit, vt cuius vnquam fama fuerit scissa crudelius, calumniis atrocioribus innocentia; & nominis honor libris, literis, edictis fœdius deturpatus, nouerim neminem. Nullum Elizabeth suorum opera, & falsorum fratrum, acerbioribus infectata est iris, & furiis. Sed qui sciet notas compendiarias legere, & de rerum euentu causas æstimare, videbit omnino nihil Personio hac sui famosa depressione & ignominia venire gloriosius potuisse; nec dissimiliter ipsemet causæ illius gnarus de hac sensit, nec pro illis quibus ardebat diuinitus ingentibus animis, & magna mente, quicquam vnquam eorum curauit quæ de se & contra ab omni hominum conditione spargerentur, nec vllo propterea abstitit officij vllius genere quod illi Apostolicus suaderet instinctus. Debacchabatur Elizabeth in Seminaria, Hispali, Vallisoleti, Audomari Anglis à Personio fundata; & in

hospitia iisdem Vlissypone & alibi posita, scholas esse aiens proditionum, & seditionum, in quibus iuuenes erudirentur ad tolledam Reginæ vitam, Angliæ libertatem & Religionem; procul hæc omnia moliri Personium; propius vero ipsaque in Anglia, omnino eadem per Sacerdotes ab se educatos. Suspicionibus his colorē allinebat, quod essent hæc Seminaria, in ditionibus Regis Catholici bello tunc ab Elizabeth dissidentis. Sed erat hæc rerum necessitas, & inopia sumptuum quibus aliter occurri non poterat; nec de his aliter sensere qui scripserunt illum quanto Hispaniæ beneficiis obligatiorem, tanto minus in Angliam affectum.

Multis pridem locis obiter indicatum, ne offenderentur scilicet (qui vmbras metuebant rerum historia pleniori) de coniurationibus Anglorum in Personium perplexis, quorum professio simulata Catholici nominis, cum sinceram conciliaret apud omnes fidem, inuoluebant suis consiliis, & molitionibus alios eorum mentem non satis expertos, vt iungerent operam ad perficienda quæ per se non poterant. Sic inuidentiæ, priuati commodi, & deceptionis credulæ rationes conuenerunt ad euertendum Personium, & Doctorem Alanum (postea Cardinalem.) Hinc suadere Gregorio XIII. & Sixto V. tādiu grauius vexatum iri Catholicos, nedum esset aliquid mitius expectādum, quamdiu non truncarentur Personio manus; prohiberetur scribere, Seminaria moliri, rebus Angliæ sese immiscere. Sed enim Pontifices sapientissimi, rati Cæcilium, Vvalsinganum, Reginamque ipsam, linguis eorum loqui, delationes suspectas habuêre, faciliorem illis se præbuit Clemens VIII. iussitque illorum rogatu Personium Roma facessere; sed is cautè iussa præuerterat. Apud Henricum IV. Christianissimum, quibus officiis, verbis, importunitati etiam parcitum, vt ei eius obsequiis, & Regno minus addictus persuaderetur Personius; sed in Petri Coroni literis lego sapientissimum Principem, fuisse in rebus, consiliis, & gestis Personij oculatiorem, Ministrorum quibusdam qui de iis aliter scripsêre. Nolo hic Lectorem grauare palinodiis calumniatorum Personio publicè solenni ritu litantium, vnam pono nobilis generosi Antonij Coplei cuius linguam & stylum cum aliena peruersitas aduersus Personium acuisset, recepit se tandem & Personio coram damnaturus quæcumque dixerat Romam venit; & restitutæ Personio famæ testem habere voluit Cardinalem Anglorum patronum, ipsumque adeò Clementem VIII. nec eo contentus admonitione in lucem missa Nicolaüm Fitzherbetum auertit ab insectatione Personij quem ore, & calamo tractabat iniquius.

Restat hodieque viuax seu calumnia seu accusatio, cuius de iure videndum est; hanc status publici administratores, & Catholicorum grandia nomina, quos non est opus meminisse, in Personij famam concinnarunt, libro edito cui *Dolmam* titulus Anglorum lingua. *Diribitor* appositè ad mentem auctoris, sua cuique iura, & rationes describentis ad succedendum Elizabethæ in Regno Angliæ. Odiosum planè argumentum, siue ipsum per sese, siue ob cōpetitorum rationes; seu præcipuè ob prærogatiua Isabellæ Infantis Hispaniæ iura quam præfert cœteris; telo triplici alios ac Regem imprimis Scotiæ configens Iacobum, cui iure sanguinis Anglia debebatur; Angliam deinde in caput extraneum transferens; postremo gentem Austriacam nouo Regno augens.

augens. Visus est libri scopus toto eius decursu, eò contendere vt vellet Anglia Principem sibi præesse Catholicum. Non collineauit recta in mentem auctoris Camdenus, cùm scripsit, *Spreto natalium iure antiquas leges patrias, de hæreditaria in Regno Angliæ successione immutandas; nouas de electione inducendas: neminem, nisi Romano-Catholicum, quacunque sit sanguinis propinquitate in Regem admittendum differere voluisse.* Illud tantum sat egit Dolmanus, vt sua cuique iura Diribitor arbitrarius notaret; cœterum Lectori accuratius de illis iudicium cederet; vulgandi porro huius libri causas saltem duas ignorare non potuit Franciscus Inglefildius, Eques aurei calcaris, & Reginæ olim Mariæ, ac Philippi II. dum Rex Angliæ fuit consiliarius. Prima quod editionibus admodum formidandis Elizabetha vetuisset de rationibus cuiusquam in Regni successionem aliquid scribere, vt Catholicorum Principum in eam iura populis occultaret; altera vt occasionem subministraret respondendi, auctoris nouitij libro, non tamen Angli, qui persuadere conabatur, Religionis probæ, aut pessimæ nullam esse in successionibus ducendam rationem, sed vnius tantum propinquitatis, & sanguinis. Viuebat tunc forrè in Anglia quidam cognomento Dolmanus, opinione sui doctus, sed cuiusvis alterius æstimatione mortalium omnium maximè ineptus ad componendum eum librum, cui fortuito eius cognomentum fuerat inditum. Hic dici non potest quantos Anglia tota contra Personium multis annis tumultus mouerit, tanquam eius libri, mirabilis scilicet, auctor legitimus, quem sibi Personius tentaret adscribere. Hinc vulgi per ora duplici nomine reus personius, & quod haberetur libri auctor, & quod Dolmanum calumniaretur. Cuius autem verè is partus fuerit, putat se Camdenus indubitato diuinasse, trium nempe fuisse ingeniorum communem operam Alani, Equitis Inglefildij, & Personij, quem vnum dente figit maledico. Ego ex Inglefildio, & Personio didici, horum tractuum Anglos Catholicos sapientissimos & cordatissimos incubuisse omnes in id opus; ita vt nisi temere diuinando, non possit cuiquam aut soli, aut præcipuè tribui. Semper quidem Personius questus est, quæ sua non essent, contra verum sibi imputari. Si quam habuit in hoc libro partem, non possum quin factum improbem; tum argumenti causa inuidiosi per se ac lubrici; tum Societatis cuius homines oportet esse ab iis negotiis maximè alienos cum illos seueriſſimis legibus ab iis tangendis arceat. Quod si superiori mandato id Personius tractare attentauit: esto supremis authoritatibus parendo culpam vitauerit, Societatis damnum profecto non vitauit, quam tamen vnicè & teneriter amabat, sic vt primo suo in Angliam ingressu solenni scripto apud Consiliarios Regios Catholicum professus, addiderit etiam Iesuitam. Et si video, inquit, conditione hac temporum, locorum, & Iudicum, nomen hoc sonare asperius, exacerbare in me illorum animos, quorum beneuolentiam ambiebam, & me ore manuque propria damnare. Verum ne sic quidem induco animum vt id dissimulem multo minus vt negem; et si hanc mihi tam cari nominis confessionem oporteat meo sanguine signare. *Etenim existimo inter alia salutis media meum in Societatem ingressum præcipuum vehementissimu nque fuisse, vbi plura pietatis exempla quam verba; & longè aliter quam in hoc mundo solet euenire, plures honestatis professores, quam eiusdem prædi-*

catores iuueni. Hæc ille quibus egregiè respondit triginta per annos consequentes, quibus amores suos omnes defixos habuit in vtramque, Societatem gratia matrem, Angliam natura. Ei certè cùm esset perfacile pro intima apud Philippum II. gratia, suorum egestatem conditione opima ditare, ne verbum quidem vnquam sibi pro illis excidere passus est; pro Societate parente optima perfidiosorum filiorum exagitata rebellionibus, iter suscepit in aulam Hispaniæ, & coram Rege sapientissimo Philippo II. Societatis rationes ita sustinuit, vt lethale schisma quod imminebat, ab ea auerterit; hoc improbi homines suo partim fastu, & superbia tumidi; partim offensi Aquauiuæ Præposito, admotis etiam secularibus machinis vrgebant in ruinam Societatis vniuersæ. Debebit hæc æternum Personio disiecta eorum consilia, & molitiones in vacuum actas. Quod etsi magno consecutus sit labore, sed laude apud homines etiam non vulgari, haud æquali tamen apud omnes, in primigenio Societatis spiritu conseruando, admittendis in eam dignitatibus inimico. Alano enim Cardinali è viuis sublato, anno 1594. Catholici Angli vota, & oculos in Personium verterunt, dignum præ cœteris qui Alani locum & mensuram impleret; cuique ad hoc fauorem eo procliuius Rex Catholicus esset præstiturus, quo plura eius ex Lusitania, & Hispania, experimenta iam teneret. Ingruêbant ad eum hortatoriæ vndique, vt Romam se conferret. Vicissim Personius Stapletono cum magnoperè auctor esset vt Romam peteret, respondet inter alia insignis Theologus, nolo ait, quis promouendus sit ad sacram purpuram diuinare; sed neque adulari, à quo semper longissimè abfui; sed tam paucos video, illi gradui pares, vt te vnum omnibus præponam; dum ne Ordinis tui repugnent institutiones, per quas tamen si semel iam licuit dignitatibus in eum accessum permittere; poterit etiam secundùm. Post hæc Stapletoni, videndum superest, quid senserit, quid deinde Personius egerit. Ac mens quidem eius aliundè haberi verior non potest quam ex epistola eiusdem ad intimum equitem Inglefildium vbi se mortem asserit præoptare quam vt Societati fidem, ac Deo violet, cui post solennem votorum quatuor consecrationem votum adiunxerat ex plena fundatoris sententia, reiiciendi dignitates Ecclesiasticas. Exponit deinde compositis libratisque inter se Cardinalis, & religiosi priuati ad iuuandos Anglos officiis, sibi haud obscurè compertum fuisse plus se Angliæ suæ priuatum vt erat Iesuitam, quam Cardinalem profuturum. Ex quo necessario sequeretur, incertus cùm esset promotioni suæ an Deus annueret, abnueret; quin certior potius hanc illi ita placere; ab eius cogitatione, ac desiderio sibi esse non modo longius absistendum, sed modis omnibus ne fieret obstandum; haud ea solum ratione vt præstem voto meo, & Ordini fidem, sed extra periculum, salutem animæ in tuto stabiliam. Hos sensus Personius suis ad Equitem literis exprimebat; sed ne verbis, & scriptis constare omnia putentur; Romam reuersus, & voces audiens de se vulgo, quasi iam Cardinali, veritus iis ne quod subesset omen verum, Generalem conuenit eiusque Assistentes, volens Roma quouis, & quam longissimè fugere; sed magis probantibus vt per se ipsummet adiret Pontificem deprecaturus quod timebat, iis acquieuit, amorique in Societatem priuatum honorem; prælatorum arbitrio; proprium

proprium illorum iudicio postponens, præoccupatione vti non refugit, quæ artificiosi ambitus suspecta videbatur, aut parum consultæ leuitatis, egit cum Pontifice solus, & sine arbitris velut ex eo Pontificis deliberatio penderet; sed rediit saltem liberior ne qnis illi deinceps de Cardinalatu molestus esset. Neque illi propterea decessit aliquid de reuerentia qua obseruabatur, & existimatione sapientiæ, ac virtutis qua inter nos excellenti vigebat, gnaros videlicet metiri homines, veris suis, & summis dotibus, suoque merito æstimare. Inuisit Aquauiua vltimùm ægrotantem, visêre Assistentes, & qui Romanæ tunc Prouinciæ præerat Fabius de Fabiis cum Anglis duodecim Societatis tyronibus, vehementer dolens viri tanti iacturam, addensque ab annis quinque & triginta visum sibi semper viuendo & agendo ad sanctimoniam tendere, quod peculiari ad Patres nostros & alumnos Seminarij Anglici cohortatione confirmauit. Quoties Romam statis annis conueniebant Patres ab suis missi Prouinciis, nemo erat qui nollet Personium audire & alloqui, nemo qui post illud experimentum breue, ac tenue, vulgata eius fama non censeret maiorem. Dum sperari aliquid potuit de vita illi proferenda, alumnorum quos ipse regebat, gratus in eum animus, & amor, nullis pepercit apud Deum votis, peregrinationibus, ieiuniis, omnique alia vexatione corporis hanc illi à Deo impetrare. Deposita vero fleuere tanquam Patrem, ille singulis seorsum amplexus diuidere & apta cuique monita, illi aliquas eius tanquam viri sancti ambire reliquias, narrare aliqua supra Ordinem naturæ in beneficium animi eius sibi patrocinio concessa. Seminarium Anglorum post eius obitum afflauit illico is ardor pietatis, tranquilli feruoris, & aspirantis ad diuina iuuenum Anglorum animos in Seminario Ro. vt non dubitarent illam tanquam pignus accipere amoris in salutem ipsorum perpetui. Egit sæpè cum viris Principibus etiam supremis, in auxilium Religionis Catholicæ inter Catholicos, nunquam nisi magna opinione sui apud eos relicta. In extremis agentem adiere complures officij gratia; quos inter Eminentissimi Farnesius, Bellarminus, Blanchetius, Bandinus; multoque maiori numero Episcopi, & diuersorum prælati munerum qui deinde illius obitum grauiter doluêre, vt etiam Pontifex Paulus V. Planè in eum Deus exemplo rarissimo, collegerat omnia quæcumque possunt diuinæ gloriæ Ministrum ingentem componere. Maiestatem oris, persuadendi vim, spiritus animosos ad capessendum ardua, & ingenium locuples ad excogitanda præsidia iis perficiendis idonea, sed ante omnia consultissimum iudicium in iis seligendis quæ forent diuinæ gloriæ maximè oportuna. Singularem ad hæc difficultatum prospicientiam, & dexteritatem iis declinandis; adeundæ si forent, pectus ad illas perfringendas inuictum. Cumque esset agendo ferè lentus; si quid tamen agendum apud se decreuisset, nulla eum fastidia, & moræ à durando dimouebant, nusquam egens calcari, nusquam fræno. Vbique illud familiare sibi ore ac manibus retinens, *fortiter & suauiter*. Quanquam autem nihil prope susceperit, cui difficiendo transuersos non passus sit æmulos, Catholicos dico, qui cum eius æquare staturam non possent, conabantur ad suam eum deprimere; nunquam tamen cœptis propter hos abstitit; sed obseruatæ in iis prudentiæ rectique iudicium, veritati sem-

per, & tempori, & rerum euentibus remisit. Erat eius Symbolum & amussis, in vsu vitæ, & temporis illud Apostoli, *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Huius vero tenax regulæ quàm esset, sanctioris hebdomadæ feria tertia probauit, cum sæuis morbi excruciatus doloribus (quibus dies superuixit paucos) egit cum Primate Iberniæ de rebus illius Ecclesiæ adeò tranquillè, vt nullum ei præberet indicium tormenti quo diuellebatur. Alias negotium acturus ingentis ad fidem Catholicam momenti, febrim qua laborabat, vel nolens sentire, vel minimè sentiens, nauim ad longam, & periculosam conscendit nauigationem. Verbo demum concludo omnia: ex quo se Ecclesiæ Anglicanæ vtilitatibus mancipauit, nullus abiit dies, triginta totis quibus illi vixit, & seruiuit annis, in quo illud de se non expresserit, quod iam inde à principio illius temporis Alanus Cardinalis de illo scripserat ad Generalem Aquauiuam *Patris Roberti Industria, Prudentia, Zelus; in scribendo, & agendo dexteritas; superat omnem fidem.*

FINIS.

INDEX

INDEX AVTHORVM,
quibus hæc confirmatur Hiſtoria.

En tibi Lector, huius Hiſtoriæ Teſtes luculentos, idcirco hic ſimul, in ſingula huius capita digeſtos, quod capi non poſſent huius Voluminis anguſtiori margine, niſi minutiſſimo, confuſo, & incõmodo caractere.

LIBER PRIMVS.
CAPVT PRIMVM.

GODVVIN *in Henrico octauo.*
Cardinal. Bentiu. vol. 1.
Cardinal. Baronius.
Richard. Smitheus l. 2. florum hiſt. Eccleſ.
Capgrauius in prologo de ſanctis Anglis.
Malesbur. l. 3. de geſtis Regum Angliæ, fol. 101. in Vuillelmo I.
Paulus III. in Bulla anni 1538.
Eraſmus in colloquio, de peregrinatione religionis ergo.
Ioan. Stouu. in præfat. ad Chronicum.
Rich. Smitheus in epiſtola hiſtorica ad Iacob. Regem, ſub finem.
Rich. Smitheus florum hiſt. Angl l. 7. c. 36. aliique poſt illum.
Camden. in apparatu ad hiſt. Elizab.

CAP. II.
Ioan. Stouu. in præfat. ad Chronic.
Godwin. in Henrico 8.
Staplet. l. 1. contra Hornum.
Rich. Smitheus l. 7. c. 36.
Ioan. Bretleius in Apolog. Proteſtant. Tract. 2 c. 1. ſect. 5.
Idem Bretleius tract. 1. ſect. 1.
Beda l. 2. hiſt. c, 1. & 3.
Apparatus hiſtor. Elizabethæ.

CAP. III.
Gaſpar. Vlemberg. in vita Phil. Melanct.
Bretleius tract. 3. ſect. 2. Apolog. Proteſtant.

CAP. IV.
Camden. in apparat. ad hiſt. Elizab. n. 14
Idem in hiſt. Elizab. ad ann. 1559
Ioan. Stouu. in annal. fol. 624
Bancroftius in ſententiis ſcandaloſis.
Bretleius in Apolog. Proteſt. tract. 3. ſect. 2.
Holinshed fol. 1104
Foxius fol. 1280. impreſſ. 1596
Camden. in appar. ad hiſt. Elizab.

CAP. V.
Camden. anno 1. Elizab.
Bretleius in Apolog. Proteſtant. tract. 3, ſect. 2
Philopater.
Camden. in Elizab. anno 1588.—Idem anno 1559, & 1560, 65, 81, &c.
Spondanus ad annum 1559. n. 5.
Andreas Philopater ſect. 1. num. 30

CAP. VI.
Andr. Philopater ſect. 1. num. 32
Sander l. 3. de ſchiſm. Anglic. fol. 377, & de viſibili Monarchia l. 7

Richardus Smitheus in vita Magdalenæ de Monteacuto.
Philopater sect. 4. num. 273
Camden. in anno 1580
Ioan. Brieger. in vita Rob. Dudlei.
Sander. l. 3. de schism. Angl. fol. 379
Spondanus.

CAP. VII.

Camden. Philopater sect. 4. n. 273
Cardin. Bentiuogl. in relation. prou. vol. 1. cap. 3
Sanderus de visibili Monarchia l. 5. c. 4
Iulius Brierger. in vita Roberti Dudlei.
Bucholzer. in anno 1560

CAP. VIII.

Responsio ad iustitiam Britann. c. 8
Martinus Becanus in confutatione torturæ torti, parad. 2
Osiander Centur. 16. fol. 208. & 209
Bretleius tract. 2. cap. 2. sect. 10. subsect. 13 & 14
P. Ioan. Ogleby in epist. data ad Gener. Aquauiuam 2. Martij 1615

CAP. IX.

Camden. anno 1559, 1560, 1561
Hieronym. Gatena post Camden. anno 1572
Responsio ad iustitiam Britann. circa cap. 4

CAP. X.

Abraham. Bucholzer in indice Chronol.
Apologia pro Sacerdot. Societ. Iesv, & seminarij alumnis.
Sander. de schism. Angl. l. 3. fol. 420
Camden. anno 1580
Andr. Philopater sect. 2. num. 85
Acta Anglica, &c. excusa Bergomi 1580

CAP. XI.

Ioann. Stouv anno 1407
Acta Anglica, &c. excusa Bergomi.

CAP. XII. & XIII.

Hieron. Pollini l. 4. c. 22
Codices M. S. seminarij Anglic. Rom.
Guillelmus Brukesbey.
Andreas Philopater sect. 1. n. 73
Sander. de schism. Angl. l. 3. fol. 420
Relationum Prouin. obed. in Belgio. vol. 1. cap. 3
Apologia pro Soc. Iesv, & semin, cap. 3.

CAP. XIV.

Septem è nostris in turri Londin. inclusi: Thomas Pondo, Thomas Mettamo, Thomas Cottamus, Edmondus Campianus, Alexander Brianti, Iacobus Bosgrauius, Ioannes Harro.
Eduardus Risthonus in Diario turris Londin.
Ratio annorum vitæ Thomæ Pondo habetur ex literis ipsius 3. Iun. datis an. 1609
Thomas Stephani in sua relatione anni 1578

CAP. XV. & XVI.

Literæ de persecut. Anglic. fol. 32
Sander. de schism. Angl. l. 3. fol. 453
Colloquia mens. German. fol. 4. & 290
Gaspar. Vlembergius in historia vitæ Lutheri ad annum 1546. n. 2
Apologia Martyrum.

CAP. XVII.

Epistolæ Thomæ Pondo 3. Iulij 1609, & Personij 16. Iunij 1581. ad Generalem Aquauiuam.
Historia Patris Henrici Moro, lib. 2. num. 22

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

SAnder. l. 1. de schism. Anglic. anno 1540. quo confirmata fuit soc. IESV à Paulo 3.
Ioan. Polancus in hist. M. S. tom. 2. fol. 1048, & 1086, & tom. 3. fol. 457
Ribadencira histor. Eccles. Anglic. l. 2. cap. 22
Acta Anglicana excusa Bergomi.

CAP. II.

Acta Anglic. sup. cit.
Sander. de schism. Angl. l. 3. fol. 433
Perkerus in præfat. ad lect.
Spelman. in dedicat. suorum Concil.
Smitheus in fine l. 7. florum hist.
Camden. in sua Elizab. anno 1602
Apologia pro soc. IESV, & semin. c. 6

CAP. III.

Ioan. Pitseus de Academ. Oxoniensi c. 7
Fitzherbertus in vita Card. Alani.
Pitseus cap. 12
Apologia Protestant. tract. 2. c. 3. sect. 5. subsect. 6
Pitseus de scriptoribus Angl. in Campiano, & Martino.

CAP. IV.

Henricus Canisius tom. 1. antiqu. lection. fol. 125
P. Thomas Fizherbertus in quadam epistola data 1. Febr. an. 1628
Epistola P. Vvenceslai Hermani, Brunâ 10. April. 1665

CAP. V.

Camden. in sua Elizab. anno 1602, & liber cui titulus est The Iesuits Dovvnefall. &c. & vita P. Personij excusa Oxfordiæ anno 1612 fol. 52
Ioannes Pitseus in relat. histor c. 6. proëmij, & Ioan. Stovv, & l'Hovves in append. ad Cron.
Camden. in sua Elizab. anno 1580
Epist. quædam P. Garneti, 18. Oct. 1601

CAP. VI.

Sacch. par. 4. l. 8. num. 96. Holinshed fol, 1362. col. 2
Camden. in sua Elizab. ad an. 1580
Epistola Personij Remis data 4. Iul. 1580 ad Generalem soc.

CAP. VII.

Concertat. Anglic. fol. 70
Vita & martyrium P. Campiani, Concert. Angl. fol. 53
Bombinus. Apol. Mart. Angl fol. 221
Sacchinus part. 4. l. 8. n. 104
Spondanus anno 1590
Epistola Campiani ad Generalem Mercurianum, 20. Iun.

CAP. VIII. & IX.

Epistola Personij ad Generalem Aquauiuam 21. Oct. 1581
Sanderus de schism. Angl. l. 3. fol. 439
Holinshed anno 1584. fol. 1362
Camden. anno 1580
Epist. Doct. Alani datæ Remis, altera ad P. Agazzari; altera ad Georgium Gilbertum 15. Ianuar. 1582

CAP. X.

Epistola Personij 17. Nou. data Londin. 1580
Edmundus Camp. comprehensus an. 1581 mense Iulio.
Ioannes Nicolaus fuit in Romano semin. & ab eodem electus.

Literæ P. Personij anno 1580, & 1581
A. Gerardus de persecut. Angl. excus. Romæ 1582
Literæ Personij 1580.— Sander. l. 3. fol. 453
Rich. Smitheus in epist. dedicat. præfixa vitæ Magdalenæ de Monteacuto.
P. Camp. in epist. sua ad Gener. Euerardum.
Pernyus in respons. ad Edictum Reginæ, fol. 184
Yepes in hist. persecut. Angl. l. 2. c. 8
Literæ Alani ad P. Agazzari, 15. Iun. 1581, & 23. Iunij.
Sander. de schism. l. 3 fol. 433

CAP. XI.

Personius in vita sua.
Humfredus in vita Ioan. Giuelli excusa Londini, 1573. fol. 123. 125
Alanus in apologia socier. IESV, & semin. cap 3
Bretleius in apolog Protest. fol. 320, &c. & 322
Eques Edvvinus Sandes in narrat. religion. occid. sect. 21
Sanderus de schism l. 3. fol. 448
Camden. in sua Elizab. anno 1580

CAP. XII.

Sander. l. 3. fol. 392
Guillelmus Rastallus in collectione statutorum.
Historia P. Henrici Mori, l. 3. num. 6. &c.
P. Personius in sua vita.
P. Toletus in epistola quadam 14. Iunij 158
Baronius, Bellarminus, in approbationibus suis libri Personij, cui titulus, Quæstiones duæ, &c. *Suarez in defens. fidei, &c. l. 6. c. 9*
Martyres Ioan. Finchij, & Ricchard. Vitus in concert. Angl fol. 168, 174, &c.
Relationes PP. Veston, & Gerardi.
Palinodia Laurentij Caddei.
Apologia Martyr.— Sander. de schism. l. 3. fol. 450, & 470

CAP. XIII.

Camden. in sua Elizab. anno 1580
Epistola Personij ad Generalem, Londini data 30 Aug. 1581
Concertat. Angl. fol. 73. & Epistola Personij Londini data 26. Iun. 1581

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Campianus in epistola sua ad Gener. Mercurianum.
Acta martyrij Ioan. Payno occisi 9. Iulij 1582
Epistola Personij 30. Aug. 1581
Doctor Alanus ad Gener. Aquauiuam, 23. April. 1581.

CAP. II.

Apologia Martyr. §. Nec Miretur.
Personius ad Gener. Aquauiuam 30. August. 1582
Bombinus c. 59, & Yepes l. 2. c. 11. n. 29
Camden. anno 1581
Diarium Turris Londinens. 31. Aug. 31. Oct.
Epistola Personij 22. Nouembr. 1581. Item Alani epistola Remis data 14. Dec. 1581.— Et martyrium Campiani in concertat. Angl fol. 60

CAP. III.

Concertat. Angl. fol. 58

Literæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Literæ de persecut. Angl. ad Gerardum.
Defensio fidei, &c. l. 6. c. 10. 11
Concert. Angl. in martyr. Campiani.
Diarium Turris Londin. 31. Aug.
Camden. in sua Elizab. 1580
Martyr. P. Campiani in concert. Angl. fol. 58
Bretleius in apolog. Protestantium tr. 2. cap. 2. sect. 10. subsect 2
Apologia Protestantium tract. 1 sect. 10. subs. 4
Guillelm. Raynerius in præfat. apolog. Protestant. Latinè reddita.
Concertat. Angl. fol. 59
Epistola Personij 22. Nou. 1581
Diarium Turris Londinens. 31. August. 1581
Lud. Granatensis parte 2. c. 23. introduct. ad symbolum.
Personius in epistola 23. Decemb. 1581

CAP. IV.

Diarium Turris Londin. 17. Aug.
Concertat. Angl. fol. 57
Bretleius tract. 2. c. 2. sect. 7. & alij post eum.
Giuellus in respons. fol. 506. — Defens. apol. fol. 33, & 34
Historia P. Mori l. 3. n. 22
Camden. in sua Elizab. 1580
Personius in epistola 30. Aug. 1581
Concertat. Angl. fol. 58
Ribad. de schism. Angl. l. 2. c. 32. fol. 300
Yepes histor. Angl. l. 2. c. 4. num. 7. — Et Eduard. Risthon.

CAP. V.

Personius in epistola 22. Nou. 1581
Martyr. Campian. in concertat. Angl. fol. 57. & 58.
Camden. anno 1581
Apolog. Alani pro soc. &c.
Spondanus anno 1581. num. 10
Holinshed in iudicio P. Campiani anno 1581
Epistola Personij 20. Oct. 1580
Diarium Turris Londin. 29. Dec. 1580
Thomas Smitheus de Rep. Angl. l. 2. c. 16. & l. 3. cap. 1. & 2. — Acta M. S. martyr. Duchet, &c.

CAP. VI.

Epistola Thomæ Couert. ad Bryckleum 28. Dec. 1581
Item martyrium Campian.
Raphaël Holinshed fol. 1323. typis anni 1587
Camden. anno 1580, & Holinshed anno 1584. fol. 1362
Antilogiæ, &c. c. 6. fol 86
Martyrium Camp fol. 62. concert. Angl.
Epistola Personij 23. Dec. 1581
Responsio ad iustitiam Britann. c. 2
Ibidem c. 4. §. Eorum.
Litteræ Thom. Couert. ad Bryckleum 28. Nou. 1581

Ex Capite VI.

Literæ Alani ad Agazzarum 23. Iunij 1582
P. Morus l. 4. num. 12
Alanus ad Generalem Aquauiuam, 1. Ian. 1582
Testimonium Fitzherb. in fauorem Campiani habetur eiusdem manu scriptum.
Eduard. Risthon 21. Nou. 1581
Yepes in hist. persecut. Angl. l. 2. cap. 11. num. 28. & Fitzherbert. in epistola 1. Febr. 1628
Apologia Martyr. fol. 224. concert. Anglic. §. Eliottus.
Thom. Couert. ad Brickleum 28. Decembris 1581

CAP. VII.

Sacchin. parte 5 l. 1. num. 231
Camden. in sua Elizab. anno 1581
Spondan. anno 1581. num. 10
Bernardin. de Mendoza Legatus, in suis literis ad Regem Cathol. & ad sororem suam Annam, 4. Dec. 1581

P. Moro in hist. Angl. l. 3. n. 38
Alanus in epistola 20. Decemb. 1581. ad Agazarum.
Holinshed, & Thom. Couert. ad Agazarum, Decemb. 1581
Literæ Personij ad Agazarum 1. Mart. 1582
Concertat. Angl, fol. 70
Appendix Risthoni ad 3. lib. Sanderi.
Diarium Turris Londin. — Concertat. Angl. & literæ Personij, Alani, & Couert.
Concert. Angl. fol. 75

CAP. VIII.

Camden. in Elizab. 1580
Literæ Alani ad Agazarum, 20, & 24. Dec. 1581. Et ad Gener. Aquauiuam, 9. Iul. 1581. sub nomine Alexand. Striberi., & Personij ad Agazarum, 1. Mart. 1582
Literæ Serrani 4. Dec. 1581. — Personij 23. & 28. Dec. 1581. — Thomæ Couert. 16. Ian. 1582. — Doctoris Alani, 7. Febr. 1582. — Annuæ literæ colleg. Angl. Rom. 1583. — Synopsis vitæ & mortis P. Salesij, c. 3. & 13
Apologia Martyr. concertat. Angl. fol. 225
Camden. in sua Britannia fol. 220
P. Moro histor. l. 3. num. 12
Ricchard. Smitheus florum hist. &c. l. 7. cap. 36
Responsio ad iustitiam Britann. cap. 3. §. pudet.
Historia Vicleffiana cap. vlt.
Ypes in historia partic. Angl. l. 2. cap. 15. num. 4. &c.

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Literæ Alani ad Agazarum, 5. Nou. 1582
Historia partic. Angl. &c. l. 2. c. 10. n. 13. & 14
Literæ Alani 14. Mart. 1583
Literæ Personij ad Gener. Aquauiuam. — & eiusdem ad Agazarum 12. Martij 1582
Vita S. Ignatij l. 2
Concertat. Angl fol. 95. — Concert. Angl. fol. 94
Bombin. cap. 24
Diarium turris Londin. 5. & 10. Decemb. 1589

CAP. II.

Liserę Alani 22. Sept. 1581
Literæ Personij 2. & 27. Dec. 1581. ad Generalem.
Literæ Alani 15. Mart. 1581. ad Agazarum.
Camden. anno 1581

CAP. III.

Camden. sub finem anni 1584
Liber Nouitiatus S. Andreæ Romæ f. 70

CAP. IV.

Responsio ad iustitiam Britann. cap. 1. §. quod si.
Diarium Turris Londin. 5. Febr. & 19. Mart. 1581
Concertat. Angl. fol. 85
Præfatio ad Martyrium 16. Sacerdotum.
Holinshed anno 1582. fol. 1383
Historia martyrij 16. Sacerdotum, fol. 153 & concert. Angl. fol. 94.
Literæ annuæ collegij Angl.

CAP. V.

Doctoris Alani epistola ad Agazarum 8. Aug. 1583. & eiusdem ad Cardinalem Boncompagnum 12. Sept. 1583
Personij epistola Parisiis scripta ad Agazarum 24. Aug. 1583

CAP. VI.

Historia M. S. anni 1583
Alanus ad Generalem Aquauiuam 23. April. 1583
Idem ad eundem 6. Aug. 1583. & annua M.S. ann. 1583
Diarium Turris Londin 15. Febr.
Risthon. in appendice ad Sander. fol. 466. & concertat. Angl. fol. 409

CAP. VII.

Relatio Agazari ad Generalem Aquauiuam 14 Oct. 1585
Epistola Alani ad Agazar. 30. Aug. 1581
Relatio Agazari vt supra.
Yepes l. 6. cap. 9
Alanus ad Agazarum 28. Maij 1582
Concertat. Angl. fol. 104. &c.

CAP. VIII.

Camden. an. 1584. in Elizabetha.
Robert. Ionhston in historia Britann. an. 1584. fol. 97
Personij epistola Parisiis data ad Agazarum 15. Sept. 1584
Alanus ad Generalē Aquau. 2. Aug. 1584

CAP. IX.

Spondan. an. 1583. num. 23
Camden. in sua Elizab. an. 1584
Sander. l. 3. fol. 477

CAP. X.

Camden. an. 1585. in Elizab.
Diarium Turris Londin.
Ludou. Richeomus in Apologia.
Holinshed. fol. 1386 — Et Camden. an. 1585
Camden. sub initium an. 1585
P. Ludou. Richeom in tertia Apolog. aduersus Anticotonum, & soc. crimin. fol. 105. §. quod ait.
Camden. an. 1588. §. hæc audita.
Richeomus loco supra citato.

CAP XI.

Epistola de persecut. Angl. ad Gerardum, §. cæterum.
Diarium Turris Lon. 29. & 31. Decembris 1580
Epistola Doctoris Alani ad Agazarum, 7. Febr. 1582
Epistola eiusdem 12. Febr. 1582
Diarium Turris Lond. 1. Dec. 1582
Epistola Thomæ Couert. 25. Apr. 1582. ad Agazarum.
Historia M.S. rerum Anglic. an. 1584. & Personius in epistola Parisiis data 15. Sept. 1584
Concertat. Angl. fol. 194
Epistola Doctoris Barreti 3. Nou, 1585

CAP. XII. & XIII.

Guill. Vveston in historia sua M. S.
Robertus Ionhston in historia Britann. l. 4. an. 1586
Narratio P. Roberti Southvvelli. — Spondan. an. 1585. num 10
Peralta in vita P. Vveston.

CAP. XIV.

Andreas Philopater sect. 1. n. 36
Camden. an. 1587
Romuald. Scotus in respons. ad acta, & rationes Cancellarij, &c.
Camden. 1586, & 87. — Et Robert. Ionhston. histor. Britann. l. 4. an. 1586
Camden. 1587. sub finem in elogio Mariæ. — Idem 1586. & 87
Tom. 1. concertat. Angl. fol. 212
Franc. Suarez Tomo 3. in 3. part. disp. 72. sect. 3. in fine.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAP. XV.

Florimund. Raymondus l.6. c.13.n.3

Leyburn. in respons. circulari excusa, an. 1661

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

Ioan. Gerardus in sua relatione.
Camden.an. 1588. in sua Elizab.

CAP. II.

Spondanus an. 1590. n.23
Stovv 6. April. 1590.
Camden. in Elizab. an. 1590. Elizabethæ 32

CAP. III.

Camden.an. 1591. & Elizabethæ 33
Yepes l.2. cap. 8. num. 12. — & author exemplaris literarum cuiusdam Anglı, cuius prima pagina non est penes me.
Philopater sect. 1. num. 21. — Camden. an. 1591
Epistola P. Garneti 17. Mart. 1593

CAP. IV.

P. Henricus Garnetus in sua narratione, an. 1593

CAP. V.

P. Henricus Garnetus in sua narratione, an. 1593
Epistola Richardi Verstigan ad Rugerium Banesium, 16. April. 1594
Epistolæ eiusdem ad eundem, 26. Dec. 1592. — 16. April. & 25. Iun. 1594. Antuerpiâ.

CAP. VI. & VII.

Yepes in histor. Angl. l. 5. cap. 4. §. 3. num. 2
Relatio de lege, vita, & martyr. P. Cornelij.
Historia P. Mori, l. 5. num. 8
Camden.
Guillelm. Vveston in historia sua M.S.

CAP. VIII.

Epistola P. Garneti Londino ad Gener. Aquauiuam.
Histor. P. Mori l. 5. n. 12
P. Gerardus in relatione sua M.S.
P. Garnetus in relatione sua M. S. an. 1593
Epistola Richardi Verstegan ad Ruger. Banesium 1. Aug. 1592. — & P. Garneti ad Generalem, 17. Mart. 1595

CAP. IX.

Richardus Verstegan in epistola sup. cit.
P. Henric. Garnetus in relatione de martyrio P. Vvalpoli.
Idem in epistola ad Generalem 7. Mart. 1595. — & narratio P. Ioan. Decherij ad General. an. 1595. mense Aug.
Verstegan ad Banesium 13. Maij 1595. Et P. Gerardus in sua narratione. — Et P. Garnetus in martyrio Vvalpoli.
Verstegan 1. Aug. 1592
Garnetus ad General. 17. Mart. 1595
P. Morus in historia l. 5. n. 25
P. Garnetus ad General. 22. Febr.
Narratio Decherij, & alij plures.
P. Gerardus in sua histor. M.S.
P. Garnetus in epistola, 18. Nou. 1600
Narratio P. Decherij.
Epistolæ P. Garneti ad Gener. 22. Febr. & 17. Mart. 1595.
Rich. Verstegan ad Benesium, 3. Iul. 1595

CAP. X.

CAP. X.

Ioſephus Creſuvellus in martyrio P. Henrici Vvalpoli.
P. Garnetus in relatione martyrij P. Vvalpoli.

CAP. XI. & XII.

Gerardus in hiſtoria ſua M.S.
P. Garnetus in relatione martyrij P. Vvalpoli.
P. Ioſephus Creſuvellus in relatione typis mandata.

CAP. XIII.

Apologia Eudæm. Ioan. cap. 8. numero 3.
Epiſtola P. Garneti ad Perſon. 25. Nou. 1597

CAP. XIV. XV. & XVI.

Camden. an. 1596, & 97
Idem 1602. — Et Richard. Ionhſton. l. 9. hiſtor. Britann. fol. 309
Concertat. Angl. fol. 405
P. Morus l. 4. num. 18

CAP. XVII.

P. Vveſton. in ſua hiſtoria M.S.

CAP. XVIII.

Camden. in Elizab. an. 1603
P. Henricus Garnetus in epiſtola 30. Iunij 1601
P. Morus l. 6. num. 14
P. Ioannes Garnetus in ſua hiſtor. M.S.

CAP. XIX.

Camden. & Ionhſtonus.
Hiſtoria M.S. P. Ioan. Gerardi.

LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

Beyerlink anno 1603
Camden. in fine ſuæ Elizab.
Perſonius in examine reſponſionis Barloi. fol. 216, &c.
Relatio M.S. P. Ioan. Gerardi.

CAP. II.

Barlovv Epiſcop. Lincoln. in reſponſ. ad epiſtolam Theol. Catol. fol. 131
Charlton. & Burton. in narratione tumultuum Hereford.

CAP. III.

Robertus Abbotius in antologia aduerſus apologiam Andreæ Eudæm. c. 9

CAP. IV.

Eduard. Cooke. Action. pag. 106, &c.
Doctor Abbotius in Antol. cap. 4. fol 59, &c.
Gerardus in quadam epiſtola 4. Iul. 1606.
Abbotius in Antolog. cap. 9. fol. 134. & 142
Iſaacus Cauſobon. epiſtolâ ad Front. Ducæum fol. 105
Epiſtola P. Garneti ad General. 24. Iul. 1605
Abbot. Antol. cap. 9. fol. 141

CAP. V.

Epistola Richardi Blunt. 23. Apr. 1606
Stovv cum apendice Houvei.
Abbotius in pluribus locis suæ Antol.
Robertus Ionhston. hist. Britann. l. 12. fol. 410
Abbotij Antolog.
Præfat. monitoria ad Apologiam pro iuramento fidel.
Suares in defens. fidei, l. 6. c. 11
Robert. Ionhston. l. 12. histor. Britann. fol. 410
Abbotij Antol.
Epistolæ duæ P. Ægidij Schondonch. ad Person. 14. Mart. 1606

CAP. VI.

P. Morus l. 7. num. 61
Idem l. 7. num. 44
Stovv.
Ægidius Schondonch 1. Mart. 1606

CAP. VII.

Abbotius cap. 9. fol. 135. — Eudæm. Ioann. in paral. Torti, & Tortor. fol. 265

CAP. VIII.

Confessio P. Oldcornei, 12. Mart. — Et Action. &c. Cooke. fol. 86. & 131.
Abbotius Ant. c. 10. fol. 150
Lancilottus Andr. in Tortura, &c. fol. 328. — & fol. 280
Robertus Abbotius cap. 10. fol. 151
Antolog. cap. 10. fol. 151
P. Ioan. Floydus in M. S.
P. Gerardus in histor. sua M. S. & in quadam epist. 4. Iul. 1606
Lister. in quadam sua relatione.

CAP. IX.

Epistola quædam Baldvvini Bruxellis, 15. Apr. 1606
Abbotius, fol. 4. euidenter planè compertum, &c.
Abbotij Antol. cap. 7. fol. 114
Epistola Baldvvini 13. Mart. 1606
P. Gerardus in sua historia, & in epistola quadam 4. Iul. 1606
Causobon. epistola ad Ducæum, fol. 104
Abbotius cap. 13. Antolog.
Episcopus Vecester. fol. 292

CAP. X.

Action. &c. fol. 59, 78, 117, 119
Abbotius cap. 9 fol. 134
Eudæmon. in Paral. Torti &c. fol. 267
Historia M. S. coniurationis.
Causobon. ad Front. Ducæum fol. 73
Antol. cap. 5. fol. 65
Antol. epistol. ad Lectorem, & cap. 9. fol. 135
Antol. c. 5. fol. 65. — cap. 6. fol. 95
Antol. cap. 4. fol. 60. cap. 10. fol. 165. cap. 13. fol. 184
Molina de Iust. disp. 119. concl. 2. — Coninck disp. 31. de bello, dub. 7. concl. 8. & alij Theologi.

CAP. XI.

Robert. Abbotius, cap. 1. fol. 10
Histor. M. S. coniurationis, cap. 14
Action. fol. 86
Abbotius, cap. 11. Antol. fol. 174
Action. fol. 134. — Abbotius cap. 1. fol. 10
Causob. epistola ad Ducæum, fol. 115
Apologia pro iuramento fidelitatis.
Respons. ad prædictam Apol.

Action.

Action. fol. 111. *Apolog. Eudæm. Ioan. fol.* 204
Causob. epistola ad Ducæum.
Antol. cap. 9. *fol.* 136
Action. fol. 130 — *& infra fol.* 160
Eudæmon in parallelo Tortoris & Torti, fol. 161. *& infra* 286
Causob. ad Ducæum. — *Abbotius cap.* 1. *fol.* 4
Abbotius cap. 9. *fol.* 146. *cap.* 9. *fol.* 136. *cap.* 1. *fol.* 5
Eudæmon. in Apolog. fol. 7. *&* 203
Antol. cap. 8. *fol.* 4
Robert. Ionhston. l. 12. *hoist. fol* 410
Action. posterior. fol. 132 —
Causob. fol. 93. *&* 94. *epistol. ad Ducæum.*
Abbotius cap. 9. *fol.* 146
Eudæm. in Apol. fol. 309
Abbotius c. 9. *fol.* 144. *&* 145
Apolog. P. Eudæm. fol. 7
Historia M. S. coniurationis Catesbyj.
Action. fol. 128. — *Episcopus Ciceſter. in Tortura Torti fol.* 183
Idem Episcopus, fol. 281. — *Action. fol.* 111
Causob. epist. ad Ducæum, fol. 76. *& infra fol.* 81
Episcopus Ciceſter. fol. 281
Action. poster. fol. 250. *& Causob. fol.* 81. *& alij.*
Lancilottus in Tortura torti, fol. 286. *& Abbotius, cap.* 9. *fol.* 144. *& infra, fol.* 145
Abbotij Antolog. c. 9. *fol.* 148
Tortura Torti. fol. 189

CAP. XII.

Epistola Richardi Blunt Londinenſ. 23. *April.* 1606
D. Petrus de Zuniga Legatus in epist. ad Ducem Arcos 13. *Maij* 1696
Alexander Gatti præsens martyrio Garneti.
Episcopus Ciceſter in Tortura Torti, fol. 288, 89, 90. — *& Abbotius, fol.* 195
Eudæmon. in Paral. Torti, & Tortoris.
Ioan. Stovv in Chronic. an. 1606. 4. *Iacobi.*
Abbotius cap. 14. *fol.* 194
Antolog. cap. 9. *fol.* 141. *& cap.* 14. *fol.* 197
Idem Abbotius cap 9. *fol.* 141
D. Zuniga Legatus in ſupradicta Epiſtola.
Historia coniurat. M. S.
Alexander Gatti præsens ſpectaculo morientis P. Garneti in epistola ad Abbatem Iuſtinianum, Londino 18. *Maij* 1606
Epistola Balduini Bruxellis 27. *Maij* 1606.
Richard. Holtbey, Londino 6. *Ianuar.* 1607.
Morus in Historia l. 7. *num.* 34.
Richard. Blunt. 27. *Murt.* — *Et Thomas Stephanſon.* 6. *Iulij* 1607. *Londino.*
P. Richard. Holtbey ad General. Aquau. 6. *Ian.* 1607
Duplex in histor. Franc. Tom. 4. *an.* 1605. *fol.* 368. — *Spondanus. eodem anno, &c.*

CAP. XIII.

Historia coniurationis, cap. 16

CAP. XIV.

Epistola P. Vright. Londino 13. *Nou.* 1607
Reſponſ. ad Apol. pro iuramento fidel. fol. 132

CAP. XV.

Balduinus 2. Februar. 1606 ad Personium.

P. Michael Vvalpolus ad Personium 26. Iul. 1608

P. Thomas Garnetus in Epist. 16. Iunij 1608

Camden. an. 1598. in sua Elizab.

P. Thomas Talbott. Louanij ad Personium 18. Iul. 1608. & in alia epist. ad P. Henr. Silisdon.

CAP. XVI.

P. Morus l. 8. num. 27

Ioan. Bretleius in Apol. Protest. tract. 1. sect. 1. fol. 5

P. Morus in histor. l. 4. num. 2

Ioan. Gerardus initio histor. M. S.

Sacchinus part. 5. l. 9. num. 169

P. Morus l. 6. num. 6. historiæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Europea
historiæ S I
Pars I
Anglia

494

Th
4862²